Emptus ab Adm. R.D. Gregorio
Bodo per P. Josephum Mader
Coadjutorem Parochiae Xf 30.

Anno 1788

126



EXEMPLA BIBLICA

In

MATERIAS MORALES

Distributa

A

REVERENDISSIMO DOMINO

NICOLAO HANAPO

PATRIARCHA

HIEROSOLYMITANO ORDIN.

PRÆDICATORUM.

Dum

In Alma, ac Regio-Principali Soc. J.

UNIVERSITATE CLAUDIOPOLITANA,

POSITIONES PHILOSOPHIÆ UNIVERSÆ

publicè propugnandas suscepit

Rev. Nobilis, ac Eruditus

D. ANDREAS MATIS

AA. LL. & Philosophiæ Baccalaureus,

nec non pro suprema ejusdem Laurea Candidatus

è Sem. Cleric. Alum. Apor.

PRÆSIDE

R. P. LADISLAO REPSZELI

è S. J. AA. LL. & Philosophiæ Doctore, ejusdémq;

Professore emerito,

AUDITORIBUS OBLATA.

Anno Salutis MDCC. XLII Mense Aug. Die.

CLAUDIOPOLI

Typis Academicis S. J. per Michaelem Becskereki.

BIBLIOTECA ASTRA SIBIU

DIVO JOANNI

Superevolanti Evangelistarum Aquilæ,
Perspicacissimo
DEI Unius in essentia,
Et Trini in personis,
Humanæque in CHRISTO Naturæ
Hypostaticæ Verbo unitæ
ELUCIDATORI,
Acerrimo Triadomachorum Hosti,
Hæreticæ communionis Mastygi,
PATRI, ET CONDITORI THEOLOGIÆ
Quam in cœna didicit,
Sub Cruce docuit,
Ferventis olei Cathedra propugnavit,
Sacratiori Apocalypticorum
Arcanorum Oedipo.
Sagaciſſimo Apostolorum
PHOENICI.

AD LECTOREM.



Damus tibi, Lector benevole, aureum hunc librum, dudum à Reverendissimo Domino Nicolao Hanapo Patriarcha Hierosolymitano conscriptum, & ad communem Sacrorum Oratorum usum typis vulgatum. Exempla continet è Sacris Litteris deprompta, & materiis moralibus, quæ Christianæ concioni è Cathedris proponi solent, accommodata. Nos illorum Titulos, quos Author Capita vocat, in alium ordinem, Alphabeticum videlicet, ad faciliorem usum digessimus. Adjunximus complures

*novos Titulos, asteriscô, seu hôc * præfixô signô notatos. In cæteris Titulis nihil admodum immutavimus, sed vel ipsum Authoris antiquitatem redolentem stylum reliquimus. Non est porrò, quòd multis utilitatem hujus libri tibi ob oculos ponamus. Quis nescit, quantum ad permovendos, atque adeò trahendos animos exempla valeant? quantúmque illa, quæ Divinus ipse Spiritus è Sacro suo Eloquio ad manus dat, cætera omnia, & veritate, & dignitate, & unctione, & movendi virtute antecellant? Hunc igitur laborem nostrum, quem in evulgando hoc libro impendimus, boni consule, eóque utere ad Majorem DEI Ter Optimi Maximi Gloriam, & animarum salutem.*

PROOE-

PROOEMIALIS PERIOCHA VITÆ, ET LUCUBRATIONUM REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS, AC DOMINI NICOLAI DE HANAPIS,

Sacri Ordinis Prædicatorum olim Patriarchæ Hierosolymitani, præsentis Lucubrationis genuini Authoris.

NICOLAUM DE HANAPIS, Virum quâ doctrinâ, quâ dignitate, nec non virtute clarissimum, in vestibulo hujus sacratioris Lucubrationis laudare condecet, utpote Sacrarum Literarum Cultorem Eximium, Prædicatorii Ordinis Jubar splendidissimum, ac præsentis partûs literarii, omnium votis utilissimi, virum, & genuinum Authorem. Agnomen suum à loco originis, qui vernaculè *Hanapes*, vel *Hanaps* nuncupatur, traxit, loco in Diœcesi Remensi sito, propè Aubentonium in Thierascia. Ordini Prædicatorio adlectus Conventum suum Remensem, cui adscriptus fuit, utì, & singulariter Conventum San-Jacobeum Parisiensem, in quo sacris initiatus est literis, etsi non ad gradus promotus, egregiis suis meritis, & amplissima dignitate plurimùm illustravit. Claruit ille sæculo XIII. nec dubium, quin variis in Provincia Franciæ, cujus Alumnus exstitit, perfunctus sit muniis scholæ, & regiminis. His instabat, cùm Romam accitus, ibidem Pœnitentiarii Romani linguæ Gallicæ, officio perfunctus est, eo omnino temporis tractu, quo Nicolaus IV. ad S. Petri Cathedram evectus, in Urbe præsidebat,

Accidit subinde : quòd Ecclesia Hierosolymitana Latino Patriarcha destituta fuerit ; ad quam Nicolaus noster doctrinâ, & meritis refertus, visus est altefato Pontifici cum consilio Sacri Collegii promovendus. Rem succinctè narrat noster Bernardus Guidonis, Vir sua ætate cùm de Ordine nostro Prædicatorio, tum de Republica literaria Ecclesiastica apprimè meritus, ità scribens : „ Frater Nicolaus de Hanapis de Provincia Franciæ, Remensis Diœcesis, fuit Patriarcha Hierosolymitanus. Hic cùm esset Pœnitentiarius in Curia Romana Vir probatus DEO, & hominibus, vitâ, & moribus acceptus D. Nicolao IV. Papa singulis Cardinalibus imponente, quòd quilibet in crastino nominaret sibi tres viros idoneos, non sinè nutu Divino Fr. Nicolaus fuit Patriarcha à singulis nominatus : & sic per summum Pontificem ad Patriarchatum S. Civitatis Hierusalem est promotus „. Hæc præfatus Bernardus Guidonis.

Ejus quoque meminit Sixtus Senensis Biblioth. Sanctæ lib. 5. Edit. Paris. Rolini Theodorici 1610. pag. 275. col. 2. ità scribens : „ Nicolaus Hanapus ex Ordine Prædicatorum Patriarcha Hierosolymitanus zelô charitatis instinctus, decerpsit ex Sacris Voluminibus Enchiridion, in quo ad utilitatem Concionatorum universa tam virtutum, quàm vitiorum exempla, in Libris utriusque Testamenti dispersa, collegit summa brevitate, ac sub diversorum argumentorum titulis, secundùm literarum consequentiam dispositis. Operis principium tale est : *Tantâ pollet excellentiâ, &c.* Aubertus Miræus autem in Auctario de Scriptor. Eccles. pag. 264. cap. 448. de nostro Nicolao sequentia recenset : „ Nicolaus Hanapus, natione Gallus, in Diœcesi Remensi natus, Professione Dominicanus, dignitate Patriarcha Hierosolymitanus, obiit annô 1288. collegit ex utriusque Testamenti Libris *Exempla virtutum, & vitiorum.* Tubingæ 1533. Parisiis 1547. & alibi excusa. Vocantuur verò *Biblia pauperum*, falsò S. Bonaventuræ à quibusdam adscripta, ùt ex MSS. codicibus Neapolitanis Antonius Senens. in sua Biblioth. tradit. Hæc ille.

De-

Doctissimus Laurentius Pignon non minùs cum laude mentionem facit Nicolai nostri in suo catalogo, ubi sic habet: „ Fr. Nicolaus de Hanapis Episcopus Acconensis, & Patriarcha Hierosolymitanus, &c. Nimirum à tempore Urbani IV. hæ duæ Ecclesiæ, videlicet Acconensis, & Hierosolymitana, adunatæ fuerant: Et revera extant Nicolai P. IV. ad Hanapium nostrum literæ Romæ 2. Kalend. Maji Anno 1. datæ, id est 1288. quibus postquam dixit: se eidem propriis manibus munus consecrationis impendisse, ac pallium per duos Diaconos Cardinales exhiberi feciss, addit: se cum Hierosolymitana, quam ei jam tradiderat, Acconensem Ecclesiam unà gubernandam, ùt eam ultimus defensor Elias Patriarcha possederat, committere. Has refert Raynaldus ad M. CC. LXXXVIII. n. 41. Legationem eidem in Syria, Hierusalem, Cypro, ac Armenia contulit Summus Pontifex per alias literas VI. Kalend. Septemb. datas, ùt refert idem Raynaldus: qui & ad annum M. CC. LXXXIX. n. 69. habet litteras, quas nostro Hanapio idem Pontifex scribit, ei 20. galeas, quas postulaverat, in subsidium Terræ Sanctæ promittens, Reate Id. Septemb. anno 2.

Neque omittendum, quod narrat Philippus à Limborch in Histor. Inquisitionis. „ Annô, inquit: M. CC. LXXX. „ Inquisitionis officium in Syria, & Palæstina institutum „ est, grassantibus illic hæreticis, ac Judæis, quibus bel„ lorum tumultus impunitatem promittere videbantur. „ Amplo dato diplomate ad Nicolaum Patriarcham Hie„ rosolymitanum Apostolicæ Sedis Legatum, jussit Papa, „ ut in terris suæ Legationis Inquisitores hæreticæ pravita„ tis de consilio Provincialium Prædicatorum earundem „ partium, vel eorum vices gerentium deputaret. Porrò Annô 1291. obsessa, & tandem expugnata à Soldano Babylonis, suisque Saracenis Accone, in ea nunquam satìs lugenda clade periit noster Patriarcha, sicque super ovium suarum sibi concreditarum acervum, tamquam bonus Pastor, & glorioss victima procumbens, sanguine lauratus cœlos petiit, ùt piè speramus. Bernardus Guidonis, quem jam suprà citavimus, sic habet: „ Hic (Nicolaus

„ de Hanapis) obiit, quandò capta, & desolata fuit ci-
„ vitas Acconensis Annô Domini M. CC. LXXXVIII. In alio codice M. CC. LXXXIX. sed in utroque erratum; nam id accidit M. CC. LXXXXI. ùt habent omnes Auctores.

Laudandus foret in præsentiarum Author Anonymus (si otium, & locus vacaret) qui ad amussim describens obsidionem, & expugnationem civitatis Acconensis, simul & munia Pastoralia, quæ tempore dictæ obsidionis obiit, quàm solertissimè Nicolaus noster, patheticè expressit, atque vivis calami depinxit coloribus. Hunc vide sis Parisiis in Biblioth. Victorina cod. MS. memb. fol. mag. n. 974. & apud nostrum Echard. de Script. Ord. Prædicat. T. I. pag. 422. col. 2. Porrò interim hæc meminisse satis esto. Ad ingenii sui præclara monumenta amodò, quæ posteritati transcripsit, tandem accedamus: Hæc subinde sunt opera ejus.

1. *Virtutum, vitiorúmque exempla ex sacris Literis excerpta.* Pluries typis prodierunt; & quidem bis ante annum 1530. tum Tubingæ 1533.

Postea hoc titulo: *Virtutum, vitiorúmque exempla ex utriusque legis promptuario decerpta per R. D. D. Nicolaum Hanapum, Almi Ordinis Prædicatorum Patriarcham olim Jerosolymitanum, nunc duobus antiquissimis exemplaribus reformata per F. Maximum Trochæum Tarvisinum Ord. Præd.* Venetiis Joannis Patavini, & Venturini Roffinellis 1537. in 16.

Antverpiæ, Joan. Steelsii 1544. in 16. Coloniæ 1544. in 8. Parisiis 1547. Basileæ 1550.

Ibidem, Henrici Petri 1555. fol. Initio collectionis Auctorum, qui de exemplis scripserunt.

Parisiis, Hieronymi de Marnef. 1560. in 16. pag. 540.

Lugduni, Guilielmi Rovillii 1566. in 8. Ibidem 1599. Ibidem Rovillii 1608. in 12.

Ibidem, Joan. Radisson. 1677. in 12.

Moguntiæ, Joannis Baptistæ Schönvveteri, 1667. in 8. Ad hanc editionem ab eo, qui eam accuravit, non modò proprius, & legitimus operis titulus, sed & ipsum genuini Authoris nomen suppressum est, prodiitque sub hoc co-

lora-

lorato titulo: *Manuale Concionatorum, Sac. Scripturæ floribus discretum; quod velut instructissimum; virtutum omnium, & vitiorum, statuum, & officiorum utriusque sexûs, nec non harmoniæ cœlestis, & terrestris theatrum singulis Divini Verbi Prædicatoribus potissimam simul, ac facillimam exhibet materiam, pro quolibet concionandi munere.* Non minùs ad præfatam editionem Moguntinam resciſſa est Præfatio F. Maximi Trochæi Tarvisini, quam præ se fert editio Lugduniana facta ad annum 1566. sicut & ipsiusmet Authoris Procœmium, quod incipit: *Tantâ pollet excellentiâ, &c.* sed etiam per oscitantiam omissum est Caput XXXVIII. *De vana, & stulta confidentia:* porrò hæc editio habetur in Biblioth. apud nostros Austæ ad Albim.

Prodiit etiam hoc aureum opus sub initio sæculi decurrentis Herbipoli, editionem curante Paulo Zichii Canonico Jaurinensi apud Joan. Hofm. Viduam, & Engelbertum Streckium 1703. in 12. ad editionem anni 1533.

Ubi tamen notandum: in præfatarum editionum quibusdam errore non ferendo, hanc Hanapianam Lucubrationem nostro inscribi Guilielmo Peraldo Lugdunensi, qui & falsò dicitur Episcopus. Sic in suprà cit. Edd. procusis 1608. & 1677. apud Joan. Radisson, qui Bediano Morange Doctori Sorbonico, & S. Nicetii Canonico nuncupavit.

Novissimè hunc utilissimum Hanapianum fœtum, publici juris fecit Reverendiss. ac Illustriss. D. Joannes Gotthardus Dominicus L. B. de Vöhlin, Ecclesiæ Cathed. August. Canon. & Scholastic. nec non in Spirit. Vicarius Generalis, sub hoc titulo: *Exempla Biblica in materias morales distributa, olim conscripta à Reverendissimo Domino Nicolao Hanapo* (Ord. Præd.) *Patriarcha Jerosolymitano, nunc in ordinem alphabeticum redacta, & novis aliquot Titulis aucta. Opus omnibus Verbi Divini Præconibus utilissimum. Augustæ Vindelicorum apud Mathiam Wolff Bibliopolam Augustanum 1726. in 4. pag.* 367. Hæc novissimè adornata editio ab eodem nuncupata est triginta tribus diversis Reverendissimis, & Amplissi-

mis

mis D. D. Præſulibus, nec non brevi, ac ſuccincta ad Lectorem inſtructa Præfatione, gaudétque *Titulis*, ſeu *Capitibus* numerô CLXXXIII.

Porrò præter ea, quæ jam monuimus, adhuc id monendum duximus: varia nimirum fore opuſcula eodem ferè titulo inſignita; è quorum numero ea habenda, & cenſenda eſſe pro genuino fœtu noſtri Nicolai de Hanapis, quorum præfatio paſſim ſic incipit: *Tantâ pollet excellentiâ Officium prædicationis, quòd Chriſtus Dominus, & Salvator noſter, dum vitam hanc viveret, illud exercere, &c.* Caput verò primum ſic; *De miraculis Divina poteſtate factis.* Creatio rerum fuit ità mirabilis, &c.

Eſſe autem noſtri Nicolai de Hanapis probatur authoritate noſtri Ludovici à Valleoleti in ſua Tabula n. 33. *D. F. Nicolaus de Hancipis* (erratum eſt Notarii, qui ſcripſit codicem Victorinum, pro *de Hanapis*) *Patriarcha Hieroſolymitanus ſcripſit librum de exemplis S. Scripturæ.* Tum ex fide omnium codd. MSS. ætatis Authoris. Hi à me viſi (verba ſunt noſtri Doctiſſimi ac Solertiſſimi Echard. Tom. 1. de Script. noſtris pag. 426.) Pariſiis. In Regia n. 3840. Liber elegans memb. fol. med. ad cujus calcem eodem charactere: *Explicit liber de exemplis S. Scripturæ, compilatus à Venerabili Viro F. Nicolao Fratrum Prædicatorum Socio D. Latini Hoſtienſis* (nempe Urſini de Malabrancha Ord. etiam Præd.) *poſtmodum Patriarcha Hieroſolymitano.* Ibidem n. 5694. In Colbertina cod. 5118.

In Victorina cod. 1091. membr. fol. charactere majori, & accurato. Ad calcem: *Explicit lib. de exemp. Sac. Script. compoſitus à F. Nicolao de Hanapis Ordin. Præd. Patriarcha.*

In Sarbona cod. memb. fol. max. eleganter ſcriptus cum pluribus aliis ejus rationis. Idem finis: *A F. Nicolao de Hanapis Ord. Præd. Patriarch. Hieroſol.* Eſt & alter fol. med. memb. eodem titulo, & fine, ex legato Jacobi Vulpis Socii; circa an. 1300. ambo ſcripti.

In Bibl. Eccleſiæ Pariſien. memb. fol. par. n. C. 29. 4. *Incipit liber de Exemplis S. Scripturæ, compoſitus à Fr. Nico-*

Nicolao de Hanapis Ordinis Præd. Patriarch. Hierosolym. De miraculis, &c. Explicit, &c. ùt suprà.

In Navarr. extat. etiam, sed absque nomine Authoris.

In Bibl. Eccl. Turon. recensetur duplex n. 220. & 228. sub nomine *Nicolai de Hanaps.*

In catalogo Bibl. Servorum Florent. n. 93. *Nicolai de Benagis* (erratum Notarii pro *de Hanapis*) *Ordin. Prædicat. Exempla S. Scripturæ.*

In catal. Anglic. T. 1. P. 1. 1241. *Nicolai de Hanapis, &c.*

In Gothana inter cod. MSS. memb. minores n. XIII. *Nicolai de Hanaphs Ord. Præd. Patr. Hierosol. Liber de Exemplis S. Scripturæ.*

In Lipsienſ. apud Fellerum p. 414. sub nomine *Nicolai de Hanapis.*

In Elencho codd. MSS. Belgii apud Sanderum p. 182. 270. & 271. *Nicolai de Hanapis Ord. Præd. Patr. Hierosol.*

In Augustana apud Reiserum p. 48. *Nicolai de Hanapis Patriar. Hierosol. Ordinis Præd.*

In Neapolit. S. Dominici vidit Lusitanus cod. memb. & ætate Authoris.

In Antverp. Prædic. *Nicolai de Hanapis Ord. Prædic. Patriar. Hierosol.* fol. memb.

In Catal. Bunderii p. 455. teste ipso Alva exempla quatuor laudantur apud Augustinianos Mechlin. Minores Brugen. & Diesten. Prædicatores Gauden. sub eadem nomenclatura.

Nullum hactenus MS. exemplum antiquum productum est, quod S. Bonaventuræ nomen, ùt Authoris exhibeat. Hinc falsò ei tribui, & inter ejus opera T. VII. sub titulo: *Biblia Pauperum.* nulla authoritate impressum fuisse, conveniunt omnes antiquarii. Editionem quidem antiquam, sub nomine S. Bonaventuræ, asserit: à se visam ejus Operum Editor Angelus Rocca Augustinianus, nec id mirum: quid enim in eo genere non permiserunt, vel Librarii, vel Editores? sed codices veteres MS. proferre debuerat? quos si consuluisset, fortè quidam Anonymi occurrissent, sed nulli nomine Auctoris insigniti, qui non Hanapo nostro vindicarent:

cer-

certò post tot lustratas Bibliothecas nullum profert Petrus Alva.

Editionem antiquam laudat Alva hoc titulo: *Incipit præclarum opus, quod Biblia Pauperum appellatur, editum à D. Bonaventura Ordinis Minorum.* Principium: *Abstinentia Uxori Manue conceptura filium, populi liberatorem, Angelus apparens abstinentiam indixit.* Finis: *Expliciunt Exempla S. Scripturæ ordinata secundùm Alphabetum, ut possint faciliùs à Prædicatoribus inveniri.* Venetiis, Joannis de Colonia, & Gerrecken 1477. in 4. Quod Opus, si non sit aliud, ùt asserit Alva, & prima ex fronte apparet, quàm ipsum opus Hanapi inversum, scilicet, & quod hic ordine quodam doctrinæ tradidit, in illo ordine Alphabetico exhibeatur, erit hominis ocioši non magnus labor, sed non Bonaventurâ digna bonarum horarum lucubratio; unde nec inter ejus opera relata. Quibus quidem hactenus simpliciter expositis, quisquis cordatus judicabit, si mea me non fallit opinio, momentis omnibus Alvæ in suo *Pleytos de los libros pag.* 567. planè factum satis: neque enim ineptiis ejus, & ludicris contemnendis potiùs, quàm seriò refellendis operam perdere, & Lectorem morari vacat.

Hoc eodem ordine Alphabetico repræsentatur editio suprà laudata, curis Pauli Zichii Hungari Canonici Jaurinen. Herbipoli 1703. in 12. Et hæc ferè de verbo ad verbum Doctissimus Echard noster locò suprà cit.

Hujusmodi dispositionis ordine gaudet, editio Augustana Annò superiori luci data, & jam suprà recensita, acurante D. Joan. Gotthardo L.B. de Vöhlin Eccles. Cath. August. Canon. & Scholast. in 4to, quantumvis hinc indè interpolata, & ùt præfertur Titulis, seu capitibus aliquot aucta, ùt ex collatione facta ad alias editiones constat; quam etiam dispositionem, ac ordinem secuta est novissima, & præsens, An. 1742. in 8vo. editio.

Sed priusquam residuas nostri Nicolai de Hanapis, quas is posteritati transcripsit, lucubrationes exhibeamus, operæ pretium fore duximus suprà citati nostri Fratris Maximi Trochæi Tarvisini Præfationem in præsentiarum attexere, quam

is

is sæpius laudato operi Hanapiano, & quidem editioni Lugdunensi Guilielmi Rouillii 1566. præmisit, & inseruit; cujus tenorem in sequentibus terminis, prout offendimus, genuinè damus.

F. Maximus Trochæus Tarvisinus Almi Prædicatorum Ordinis, ferventissimo Divini eloquii declamatori S. P. D.

Cùm superioribus diebus duo antiquissima exemplaria Divini opusculi hujus, quod paulò antè bis jam impressum fuerat, casu ad manus devenissent, hoc ipsum illis comparandum censui. Et id quidem non sinè hujusmodi ingenioli nostri magno labore, summáque vigilantia perlegi. Prima itaque facie, Authoris procœmium, deinde toto libelli corpore diligenter perlustrato, alia nonnulla ipsi desse comperi. Quæ omnia congruis, propriisque locis, maxima cum diligentia collocavi. Verùm Procœmium ipsum, & Scriptoris insciti â, & vetustatis causâ adeò confusum, atque corruptum reperi, ut vix mente, quod contineret, eo quo cernis, modo colligere voluerim. Materias insuper, quæ in libelli Capitibus confusè tantùm assignatæ fuerant, ordine Alphabethico ità digessi, ut, quæ desideras, primo intuitu se se tibi offerant. Margines postremò quotationes fideles, ac (ùt ità dixerim) veridicas habes, quæ omnes in aliis, antea impressis, mendacissimæ inveniuntur. Hunc autem laborem eò libentiùs suscepi, quò libellum ipsum tam salubrem, támque rebus spiritualibus, ac Divinis refertum comperi. Author namque ipsius, ùt verus DEI cultor, & amator, hominum utilitati, & saluti consulens, fertili, ac florigerô utriusque legis agrô perlustratô, validissimis sententiis, efficacissimis testimoniis, veracissimisque exemplis in unum coacervatis, ipsum, veluti quodam copiosô florum cumulô, instar jucundissimi hortuli exornavit. Quibus omnibus quasi expeditissimis armis, pro vitæ Christianæ instauratione, simul, & componendis moribus, uti possis. Hunc itaque libellum simplici corde, benignoque suscipe vultu: sciens, hæc fidelibus Christi magis profutura, quàm Philosophorum scripta, qui semper addiscentes, nunquam ad scientiam veritatis pervenerunt. Vale.

Atque

Atque his subinde sic adductis, & pro jugi memoria Reverendissimi Nicolai de Hanapis posteritati transcriptis, haud quidpiam amplius hìc superaddendum restat, quàm sequentia ejusdem pietatis monumenta; videlicet:

2. *Tabula super legendam auream.* Extat hæc in Bibl. Navar. ad calcem ipsius legendæ cod. MS. memb. par. fol. Princ. *Quoniam sicut dicit Isidorus, &c.* Servatur etiam in Victorina cod. 236. fol. med. charta, & pergam. ad folium codicis 200. Ad calcem sic legitur: *Explicit legenda, dico: tabula super legenda Sanctorum, edita à D. Patriarcha Hierosolymitano de Ordine Prædicatorum. Amen.*

3. *Prædicationes, quæ fiunt sub Evangeliis, & sub Epistolis in Quadragesima Fratris Nicolai de Hanapis Patriarchæ Hierosolymitani Ordinis Prædicatorum.* Codex MS. memb. in Bibl. S. Marci Florentiæ. Arm. III. n. 117.

4. *Dicta salutis* (Oudinus Tom. 3. de Script. Eccles. pag. 594. legit, *Dicta salutis*) *F. Nicolai de Hanapis, Ord. Prædicat.* Sic apud Fellerum de Bibl. Paul. Lipsien. p. 185. n. 41. sed an revera sit illius fœtus, inquit Echardus noster (nos verò addimus: an sit omninò lucubratio distincta ab ea, quæ inscribitur: *Exempla virtutum, & vitiorum, &c.*) codex ipse consulendus, & evolvendus foret.

Atque hæc de Nicolao de Hanapis (cujus gloriam proinde,

\- - - - *nec ventura silebunt*
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas)

ejúsque utilissimis operibus, ut in omnibus honorificetur DEUS ter Optimus Max. attulisse, Sacræ Literaturæ Cultoribus in præsentiarum sufficiat.

PROOE-

PROOEMIUM
REVERENDISSIMI DOMINI
NICOLAI HANAPI.

TAntâ pollet excellentiâ officium prædicationis, quod Christus Dominus, & Salvator noster, dum vitam hanc viveret, illud exercere nunquam dedignatus fuerit, & discipulis suis ante suam in cœlum ascensionem ad universorum salutem exercendum, faciendúmque præcepit: * *Euntes*, inquit: *in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Evangelium nempe prædicandum instituit, non inutiles Philosophorum, ac Poëtarum vanitates, aut proprias fictiones, ùt nunc à multis, Evangelium erubescentibus, fieri perspicuè cernitur. Contra quos Christus: ** *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit, &c.* At cur sic obsecro? Nonne DEus hujus mundi sapientiam stultam fecit? Nonne sapientissimus Paulus Vas electionis, Prædicator veritatis, & Doctor gentium Evangelium prædicabat? *** Ait enim: *se non erubescere Evangelium.* Prædicator itaque, assumpto tantæ dignitatis munere, omni studio, & vigilantiâ,

b totó-

* Marci 16. ** Lucæ 9. *** Rom. 1

totóque mentis affectu Christum, ejúsque discipulos imitari studeat: utilia magìs, quam subtilia diligentiùs exquirendo. Divinam igitur, sanamque doctrinam, & non indoctas sequi fabulas conetur, vel ob inanem gloriam, perpolito sermone, diversas, & pene infinitas involvendo sententias, sciolus videri. Nam quæ scientia tam digna, tam nobilis, tam præclara, támque sublimis inveniri poterit, quæ divinæ æquiparari valeat? Cùm ipsa, ùt divus quoque testatur Augustinus, omnium Gentilium scientiis, tum subjecti nobilitate, tum etiam solidæ omnino, & indubiæ veritatis excellentiâ præstet, ac è mediis Philosophorum tenebris, ceu sydus fulgentissimum, eluceſcat? Tot insuper, ac tanta in se uberrimè continet: ut vel indocto cuilibet fœcundissimam suppeditet prædicationem. Quæ tamen omnia eô majoris sunt ponderis, & valoris, quô sublimiori authoritate, ac certiori, ùt dixi: veritatis lumine conspiciuntur. Concionator igitur sermones suos copiosiùs, & nobiliùs dilatare poterit, sacratissimam exponendo Scripturam, ejúsque saluberrimis verbis, sententiis, ac exemplis utendo, quàm si cujusvis alterius scientiæ, licèt exquisitæ, materias, vel cujuscunque historiæ gesta pertractaret. Et quoniam, ùt clare patet, antiquorum gesta, & exempla ad excitandas hominum mentes, animósque movendos tanti sunt roboris, & potestatis, ut nil aptius,

nil-

nilque fortius inveniri queat; siquidem majorem vim secum afferre videntur, & eorum, quæ dicuntur, pleniorem tribuere cognitionem, quàm verba: idcirco hoc apud me perpendens, zelô charitatis ductus, universa ferè exempla, in utriusque Testamenti libris dispersa, quadam brevitate, ac sub diversarum materiarum Titulis, eo quo scivi ordine, in unum redigere laboravi. Formalia verò textuum verba hìc non invenies, quod brevitatis causâ factum esse cognosces. Cæterùm non te moveas, optime Lector, si aliquod me hìc exemplum, quod ad hanc vel illam materiam applicari poterat, omisisse, vel aliquod etiam uni materiæ, quod fortasse alteri congruentiùs tribuendum erat, dedisse deprehenderis, quoniam homo sum: satísque tibi videatur, hoc in libello nobiliora, & utiliora omnia copiosissimè contineri. Quæ profectò mirum in modum utrique hominum saluti conducent, si habita semper loci, temporis, & audientium ratione, eo modo, & ordine, quo materia expostulare videbitur, fuerint enarrata. Nam placidis aliquando mitioribúsque verbis utendum erit, durioribus interdum, fortiori, ac vehementiori quodam Spiritu prolatis. His enim modis auscultantium animi deliniri, & allici facilè poterunt, & eorum mentes admiratione quadam repleri, ac ingenti stupore concuti: quo fiet, ut ea, quæ dicis, adeò tenaciter memoriæ infigantur, ut nulla possint oblivione deleri. Hoc unum

postre-

postremò te admonitum velim: idem exemplum diversis tam virtutum, quàm vitiorum materiis nonnunquam deservire posse: quod ut clariùs apertiùsque intelligas, unicô duntaxat exemplô declarabo. Joseph optimus adolescens, ùt habetur in Genesi, procaci Putipharis uxori ipsum sollicitanti, ut suis inhonestis voluptatibus indulgeret, acquiescere noluit, & hac de causa carceri traditus est, &c. Hoc exemplum multa continet, & respicit, ùt puta: juvenum constantiam adversùs res venereas, & castitatem: ac servorum fidelitatem; item mulierum infidelitatem, falsitatem, volubilitatem, insatiabilitatem, mendacitatem, malitiam, arrogantiam, & crudelitatem maximam. Respicit rursus inconsideratos homines, eorúmque nimiam & crudelitatem, & levitatem, atque imprudentiam; nam Putiphar mentienti uxori citò, & leviter credidit, ac innocentem, nulla præmissa inquisitione veritatis, damnavit. Super hoc denique poteris de occultis Dei judiciis, & justitia, atque misericordia, & providentia verba facere, qui, cùm sit judex æquissimus, & misericors, neminem in se sperantem derelinquit, sed potius inopinatis subsidiis, quemadmodum Joseph, quem per hanc viam exaltare voluit, fecisse legitur.

TITU-



* TITULUS I.

Abnegatio ſui ipſius.

ABraham exuit omnem amorem erga terram, cognationem, & domum ſuam, cunctáque relinquit ad imperium DEI. Gen. 12. 1.

Idem ſuperat amorem naturalem erga unigenitum ſuum filium, paratus illum propriis manibus immolare, poſtquam à DEO juſſus fuit. Gen. 22.

Levitæ ſinè ullo reſpectu ad proprium ſanguinem occidunt vituli cultores, quia juſſu DEI hoc eis mandaverat Moyſes. Hinc tam uberem accipiunt à Moyſe benedictionem. Ex. 32. 27. Deut. 33. 8. 9.

Eliſæus omnia ſua relinquens ſequitur Eliam. 3. Reg. 19

Eleazarus non admiſit illicita propter vitæ amorem, moríque maluit, quàm vivere cum peccato. 19. 2. Mach. 6 18.

Job voluntati Divinæ omnem poſthabuit amorem erga ſua bona, ſuos liberos, ſuum proprium corpus. Job. 1.

Apoſtoli relinquentes omnia, ſequuntur Chriſtum, & auſteram ab eo præſcriptam vitæ rationem amplectuntur. Hinc omnium nomine Petrus ad Chriſtum dicit: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Matth. 4. 19. &c. Matt. 19. 27.

Chriſtus Dominus in Evangelio ſuo nullam virtutem à ſuis magis exigit, inculcat, & ſuo exemplo docet, quàm iſtam. Mat. 5. 29. † 10. 39. † 16. 24.

Luc. 9.23. Adolescens cæteroquin perfectus abiit tristis, cùm
Mat.10.16 à Christo audit, necessariam sibi esse abnegatio-
Mar.10.17 nem sui.

1. Cor. 9. Paulus castigat corpus suum, & in servitu-
27. tem redigit.

TITULUS II.

Abstinentia, & Sobrietas.

Gen. 2. PRæcepit Dominus Adam dicens: Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno scientiæ boni, & mali ne comedas. In quo abstinentia commendatur, dum non omni cibo voluit hominem uti in Paradiso.

Exod.24. Moyses fuit in monte cum Domino 40. diebus, & 40. noctibus, & non manducavit nec bibit. Abstinentia enim bona dispositio est ad percipiendas revelationes divinas, & homo refectus divina consolatione, solet corporales delicias abhorrere.

Lev. 11. Filiis Israël præcepit Dominus à multis cibis abstinere.

Num. 6. Vir, sive mulier cùm votum fecerit, ut sanctificaretur, & se voluit Domino consecrare, à vino, & omni eo, quod inebriare potest, abstinebat.

Judic.13. Uxori Manue liberatorem populi concepturæ, Angelus apparens abstinentiam indixit.

Luc. 5. Ad commendandam sobrietatem, quæ est in esu piscium, & in abstinentia à carnibus, multum facit, quòd Dominus in Evangelio pluries multiplicavit pisces, non carnes. Unde ad præceptum Domini concluserunt discipuli multitudinem piscium copiosam.

Præterea panes, pisces bis multiplicâsse legitur, nunquam carnes. De quinque panibus, & duobus piscibus. Marci 6. Luc. 9. Item de eodem Joann. 6. De septem panibus, & paucis piscibus ab ipso Domino multiplicatis habetur. Matthæi 15. Marci 8.

Vo-

Volens Petrus rationabiliter ostendere, quòd discipuli Spiritu Sancto pleni, non essent ebrii, dicit: quòd adhuc non erat hora diei tertia. Dans intelligere, quòd ante horam tertiam esset inconveniens manducare. Act. 2.

Populus Israël erat in castris esuriens, & erat mel per agrum, & nullus comedit de eo, quàm Jonathas filius Saul. 1.Reg.14

Cùm desiderâsset David aquam de cisterna Bethlehem, allatam postea noluit bibere, quia nimis avidè concupiverat illam. 2.Reg.23

Tenuis victus sufficiebat Heliæ, qui petiit à vidua Sareptana paululum aquæ, & buccellam panis. 3.Reg.17

Uxor Hieroboam vadens ad Heliam Prophetam, tulit decem panes, & vas mellis: non fit ibi mentio de carnibus, quia supponebat Prophetam non vesci talibus cibis. 3.Reg.14

Notabile est, quòd Heliam paverunt corvi carnibus bis in die 3. Reg. 17. Sed Angelus Domini ostendit ei panem, & vas aquæ semel tantùm. 3.Reg.19

Audiens Achab comminationem sibi factam à Domino per Heliam Prophetam, post occisionem Naboth, operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulabat demisso capite: propter quod Dominus illam, quam comminatus fuerat, temperavit pœnam. 2.Reg.21

Esdras prædicavit jejunium, & fecit, quòd omnes afflligerent animas suas, quia petierant à Domino, ut viam rectam, & prosperam daret eis. Sequitur, jejunavimus, & rogavimus Dominum pro hoc, & evenit nobis prosperè. 1.Esd. 8.

Congregati sunt filii Moab, & filii Ammon, & cum eis de Ammonitis, ut pugnarent contra Josaphat regem Juda. Quod ille audiens totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium in universa Juda. Sequitur, quòd victoriam obtinuit. 2.Par.20.

Rogaturus Neemias Artaxerxem regem pro civitate san- 2.Esd. 1.

sancta, ut muri ejus possent reparari, dicit de se-ipso; Jejunabam, & orabam ante faciem DEI cœli.

Act. 14. Paulus & Barnabas cùm constituissent in diversis civitatibus, per singulas Ecclesias Presbyteros, & orâssent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.

Tob. 9. De Tobia juniori, & socero ejus, ac cæteris amicis dicitur; Cum timore Domini convivia nuptiarum exercebant. Angelus etiam postea dicit utrique Tobiæ: bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna.

Judith. 4. Audientes filii Israël terribilem potentiam Holofernis, humiliaverunt animas suas in jejuniis.

Judith. 8. De Judith etiam dicitur, quòd jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & festa, & Neomenias domûs Israël.

Esth. 4. Allocutura regem Assverum, dixit Esther Mardochæo: Congrega omnes Judæos, quos in Susis reperies, & orate pro me, non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cum ancillis meis similiter jejunabo.

Jer. 35. Commendatur à Domino abstinentia Rechabitarum, quia noluerunt bibere vinum, sicut præceperat eis pater eorum.

Ezech. 4. Duram diætam imposuit Dominus Ezechieli prophetæ, dicens: Sume tibi frumentum, & hordeum, & fabam, & lentem, & milium, & viciam &c.

Dan. 1. Proposuit Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis. Sequitur; Pueris illis dedit Dominus scientiam, & disciplinam &c.

Dan. 10. Daniel per tres hebdomadas panem desiderabilem non comedit, & caro, & vinum non introierunt in os ejus, & tunc mirabilem ostendit ei Dominus visionem. Gregorius in homilia Pentecostes dixit: quòd Spiritus Sanctus abstinentem implevit puerum, & prophetam judicem senum fecit, sicut apparet Dan. 10.

Pa-

Panem, & pulmentum misit Dominus per prophetam Abacuc Danieli posito in lacu leonum non carnes, aut alia cibaria delicata. Dan. 14.

Eleazarus vir ætate provectus, maluit occidi crudeli morte, quàm carnes porcinas contra legem manducare, vel etiam simulare se comedisse. 2.Mach.7

Contigit, septem fratres cum matre eorum compelli à rege, carnes porcinas contra legem manducare: illi verò magis elegerunt crudelissima tormenta sustinere. Ibidem.

De beato Joanne Baptista dicitur, quòd ejus esca erant locustæ, & mel sylvestre. Matth. 3.

Multam abstinentiam in cibo, & potu dicebatur facere, quasi non manducans, nec bibens, scilicet Joannes. Matt. 11.

Anna prophetissa filia Phanuel, inter cætera commendatur, quòd non discedebat ex templo, jejuniis, & obsecrationibus serviens die, ac nocte. Luc. 2.

Salvator noster post baptismum, statim ductus est in desertum, & ibi jejunavit, donec esuriret. Matth. 4. Luc. 4.

Contra illos, qui jejunant cum fœditate conscientiæ, vel qui nolunt tempore jejunii esuriem sustinere.

Filii Israël de duodecim tribus primò, & secundò à filiis Benjamin debellati, postea fleverunt coram Domino, & jejunaverunt die illo, & sic prævaluerunt in illos. Judic. 20.

Philistæi tempore Heliæ debellaverunt filios Israël, una vice, & altera, & arca Domini fuit capta. Tertiò postea congregati sunt Philistæi sub Samuele. Sed filii Israël jejunaverunt die illa atque dixerunt: Peccavimus Domine &c. Sequitur, quòd cæsi sunt à filiis Israël. 1.Reg. 4.

Post resurrectionem etiam septem discipulis piscantibus, & non prendentibus, manifestavit se Salvator dicens: Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Sequitur, quòd extraxerunt rete plenum magnis piscibus, & de piscibus illis Joan. 21.

dedit Dominus discipulis suis. Populo autem Judaico tanquam carnali, & de carne curanti, dedit Deus carnes ad vescendum, licèt in malum ipsius.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Multum valet abstinentia ad hoc, quòd homo possit vigilare faciliùs, & orare. Nam post cœnam increpavit Dominus discipulos suos, dicens: Non potestis unâ horâ vigilare mecum?

Luc. 24. Joan. 21. Salvator noster, cujus actio est nostra instructio, nunquam legitur carnes comedisse, nisi de agno Paschali. De pisce verò, sibi allato ad manducandum, comedit.

Luc. 10. Mittens Dominus discipulos ad prædicandum dixit: In quamcunque domum intraveritis &c. edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Hoc est, ut essent contenti cibariis, quæ haberent, non curiosè alia quærerent.

Act. 10. Cùm esuriret Petrus in domo Simonis coriarii, cecidit super eum mentis excessus, & vidit cœlum apertum &c. In qua etiam visione oblata sunt sibi animalia, secundùm legem vetita. Qui comedere renuit, quamvis ùt dictum est, esuriret.

Act. 13. Erant in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ, & doctores &c. Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus illis, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum &c.

2. Esd. 9. Convenerunt filii Israël in jejuniis, & in saccis, & humo super eos &c. Et steterunt, & confitebantur peccata sua, & legerunt in volumine legis.

Tob. 2. Cùm esset factum prandium bonum in domo Tobiæ, & audisset unum de filiis Israël jugulatum jacere in platea, statim exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus venit ad corpus.

Dan. 9. De seipso loquens Daniel ait: Posui faciem meam ad Dominum DEUM, rogans, & deprecans in jejuniis, sacco, & cinere. Et tunc percepit specialem revelationem de incarnatione, de passione, & occisione Christi &c.

Ba-

Baruch legit verba libri sui ad aures Jechoniæ filii Joachim regis Juda, & ad aures populi universi, qui audientes plorabant, & jejunabant, & orabant in conspectu Domini. Baruch. 1.

* TITULUS III.

Acceptatio Personarum.

DEUS à Judice exigit, ne consideret personam pauperis, nec honoret vultum potentis. Lev. 19. 15.

Samuel, cùm ingressus esset domum Isai, ut aliquem ex ejus filiis in regem Israël inungeret; jubetur à DEO, non respicere vultum alicujus, nec altitudinem staturæ. Deut. 1. 16. 17. 1. Reg. 16. 7.

Josaphat Rex Juda, cùm Judices per cunctas civitates constitueret, præcipit illis: ne personam respicerent, ponens eis ante oculos exemplum Dei. 2. Par. 19. 7.

Inter alia, quæ Isaias de Christo Domino prædicit, etiam hoc est: Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet. &c. Isai. 11. 3.

Sacerdotes facti sunt contemptibiles, & humiles omnibus populis, quia acceperunt faciem in lege, hoc est, personam, prout etiam septuaginta vertunt. Malach. 2 9.

Pharisæi, ut Christum in sermone caperent, laudant ejus veritatem, ac justitiam, putántque, se non posse evidentius testimonium ejus justitiæ afferre, quàm si illi dicerent: non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum. Matt. 22. 16.

Cùm Cornelius Ethnicus, & miles mirabiliter ad fidem fuisset vocatus, exclamat Petrus: in veritate comperi, quia non est personarum acceptor DEUS, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi. Act. 10. 34.

Paulus hortatur Dominos, ut sint mites, & humani erga suos servos, reddítque rationem: quia illorum, & vester Dominus est in cœlo, & personarum acceptio non est apud eum. Eph. 6. 9.

1. Pet. 1. 17. DEUS judicat sinè acceptione personarum secundùm uniuscujusque opus.

Jac. 2. 1. & seq. Jacobus Apostolus hortatur fideles, ut nullum faciant discrimen inter divitem & pauperem, arguítque illos peccati, qui personam accipiunt.

* TITULUS IV.

Accusatio Falsa.

Gen. 39. 17. &c. JOseph à Putipharis uxore falsis criminationibus delatus in carcerem conjicitur.

Esth. 3. &c. Aman calumniis Judæorum populo exitium parare meditatur, quod tamen in ejus caput redundat. Nam in crucem, quam Mardochæo paraverat, cum liberis suis sublatus est. Ejus dignitas Mardochæo, bona Reginæ Esther sunt collata.

Dan. 6. Principes, & Satrapæ apud Darium falsis accusationibus efficiunt, ut Daniel in lacum leonum conjiciatur, ubi tamen mirabiliter conservatur, ejus accusatoribus leonibus in prædam cedentibus.

Dan. 13. Innocens Susanna falsò accusatur à senioribus; illa tamen liberatur; hi lapidibus obruuntur.

Luc. 23. 2 10. Christus Dominus quàm multis falsis accusationibus ad Judices delatus.

Act. 24. à v. 1. Paulus à Principe sacerdotum, & senioribus coram Præside accusatur, quòd sit homo pestifer, auctor seditionis, & templum violare conatus.

TITULUS V.

Acedia, & Negligentia.

Gen. 42. AUdiens Jacob quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis; Quare negligitis? Descendite, & emite nobis necessaria.

Num. 11. Panem Angelorum habebant filii Israël in deserto, & tamen excæcati desiderabant cibos Ægypti.

Ace-

Acedia, vel tædium homini est causa impatientiæ, & carnalis desiderii, & causa multiplicis mendacii, sicut patet Numeror. 11. Recordamur piscium &c. Eodem.

Profecti sunt filii Israël de monte Hor, & tædere cœpit populum itineris, & laboris, locutúsque contra Dominum, & Moysen ait: Anima nostra nauseat super cibo isto leviſſimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes. Num. 21.

Negligenter custodiebat Abner Dominum suum Saul. Nam quando David venit ad castra ejus, neminem reperit vigilantem. 1.Reg.26

Dormiens fuit percussus Isboseth filius Saul, & occisus. 2.Reg.4.

Tempore quo solent reges ad bella procedere, remansit David in domo: ubi grave adulterium, & graviſſimum homicidium hac occasione commisit. 2.Reg.11

Placuit Joas regi Juda, ut instauraret domum Domini, & præcepit Levitis, ut circa hoc essent solliciti. Porro Levitæ egerunt negligentiùs, qua de causa rex arguit Jojada sacerdotem. 2.Par. 24.

Cùm dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania in medio tritici. Matt. 13.

Arguuntur otioſi, & remunerantur operarii. Matt. 20.

Facta tempestate in mari Jonas descendit ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi, & accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, invoca DEUM tuum. Jonæ 1.

Durè reprehendit Dominus servum malum, & pigrum, qui multiplicare neglexit commissum sibi talentum. Matt. 25.

Virgines dormientes, quarum lampades non fuerunt prius ornatæ, fuerunt postea à nuptiis excluſæ. Ibidem.

Valde videntur fuisse acedioſi discipuli horâ illâ, postquam rogati à Domino vigilare, continuò dormiebant. Matt. 26. Marc. 14.

TITULUS VI.

Adulatio.

Num. 16. CHore & complices ejus, cùm ſtetiſſent adverſùs Moyſen, & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, in ipſis eſt Dominus. In quo apparet, quòd captabant benevolentiam populi.

2. Reg. 1. Adoleſcens narrans David mortem Saul, & filiorum ejus, occiſus fuit de mandato ipſius. Putabat autem ſe proſpera nunciare.

2. Reg. 4. Duo latrones, qui filium Saul Isboſeth occiderunt, & caput ejus David attulerunt, placere credidérunt, ſed David bene oſtendit, quòd ſibi diſplicuit.

2. Reg. 15 Dicebat Abſolon homini negotium habenti coram rege David: Videntur mihi ſermones tui boni, & juſti, ſed non eſt, qui te audiat, conſtitutus à rege.

3. Reg. 22 Mali prophetæ dicebant Achab regi Iſraël de bello futuro proſpera, ſecundùm quod eum velle ſciebant.

2. Par. 24. Poſt obitum Jojadæ ſacerdotis, principes Juda adoraverunt regem. Qui delinitus obſequiis eorum acquievit eis, & deliquerunt templum Domini, ſervierúntque lucis, & ſculptilibus.

1. Eſd. 4. Ædificantibus templum filiis Judæ, poſt reditum de captivitate, hoſtes eorum ſcripſerunt regi. Nos memores ſalis, quod in palatio comedimus, & quia læſiones regis videre nefas ducimus.

Judith. 2. Nabuchodonoſor dixit majoribus natu, & ducibus bellatorum ſuorum, cogitationem ſuam eſſe, ut omnem terram ſuo ſubjugaret imperio, quod cùm placuiſſet omnibus &c.

Eſth. 1. Rex Aſſverus iratus contra Vaſthi reginam, interrogavit ſapientes conſiliarios ſuos, cui ſententiæ Vaſthi ſubjaceret? Qui non temperaverunt regis furorem, nec excuſaverunt abſentem, ſed unus reſpondit, cum indignatione dicens: regis juſta eſt indignatio.

Ami-

Amici Aman, & uxor ejus, non avertentes pessimum animum, quem habebat erga Mardochæum, nec increpaverunt eum, sed dixerunt: Jube excelsam parari trabem. Esth. 5.

Principes & Satrapæ Darii regis Persarum, cupientes, quòd rex iniquum statueret decretum, proposuerunt aliquid, quod videbatur pertinere ad honorem ipsius. Dan. 6.

Alcimus proditor impius, qui volebat fieri sacerdos, dixit regi Demetrio; Perdidit Judas & fratres ejus amicos tuos. Sequitur postea; Quòd Alcimum hunc constituit rex in sacerdotio, & mandavit ei facere ultionem in filios Israël. 1. Mach. 7

Recedentibus discipulis Joannis, cœpit Dominus ipsum mirabiliter commendare, contra illos, qui palàm laudant, & occultè detrahunt. Matt. 11.

Pharisæi volentes capere Christum in sermone, cœperunt magnas laudes ei dicere; Magister, scimus, quia verax es &c. Matt. 22.

Videns Herodes Agrippa rex magnus, quia placeret Judæis in hoc, quòd quosdam de Ecclesia cœperat, & Jacobum fratrem Joannis occiderat, apposuit apprehendere & Petrum. Act. 12.

Herodi nequissimo regi, qui occiderat Jacobum, & incarcerabat Petrum, populus acclamabat, voces Dei & non hominis. Ibidem.

Orator Tertullus, contra Paulum à principe sacerdotum adductus, in principio orationis adulatus est Felici præsidi. Act. 24.

TITULUS VII.

Affectio Carnis.

MOyses distribuit Levitis 12. boves, & sex plaustra, quos obtulerant principes filiorum Israël, sed nullum dedit filiis Caat, licèt essent ei magis propinqui. Num. 7.

Non

Non legitur Moyses alicui de filiis suis magnum dedisse officium, licèt ipse à populo in tanta reverentia habererur.

Num. 27. Moriturus Moyses sollicitè rogavit Dominum, ut populo de duce idoneo provideret. Nullum tamen de generatione sua nominare voluit.

Josue 17. Distribuens Josue terram filiis Israël, ità parvam portionem dedit illis de tribu sua, ut de hoc specialem querelam fecerint. Sed nota responsionem, quam fecit eis.

1.Reg.4. Audiens Heli mortem filiorum suorum in prælio, non visus est multum curare, sed cùm nuncius ille dixisset, arcam DEI esse captam, cecidit de sella, & mortuus est.

2.Reg.19. Quia David nimis flebat occisum filium suum Absalom, inposuit ei Joab: quòd non ita doluisset, si totum amisisset exercitum.

2.Mach.7. Supra modum mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bonô animô ferebat.

2Mach.16 Euntibus ad prælium Judæis contra Nicanorem, pro uxoribus, & filiis, itémque fratribus, & cognatis minor sollicitudo, maximus autem, & primus pro sanctitate timor erat templi.

Matt. 12. Loquente JEsu ad turbas, dicit ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te: qui respondit: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? quicunque fecerit voluntatem Patris mei &c.

Matt. 20. Petenti materteræ Christi secundùm carnem, ut duo filii sui sederent juxta eum in regno suo, respondit ipse Dominus ità durè, ac si fuisset aliena omnimo; & ità bonum forum de regno suo paratus est facere tibi, sicut illis.

Joan. 21. Quamvis beatus Joannes, & duo Jacobi essent maximæ sanctitatis, nulli tamen eorum commisit generalem Ecclesiæ curam, sed Petrum, qui non

sibi

sibi carne attinebat, constituit caput, principem & pastorem.

Salvator noster approbans Petri professionem, quam fecit de ipso, cùm dixit: Tu es Christus filius Dei vivi, consequenter subjunxit: Caro, & sanguis non revelavit tibi. Per hoc innuens, quòd caro parvas revelationes facere consuevit. Matt. 16.

Apostolus Paulus commendans suum Evangelium dicit: Complacuit ei, qui segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam &c. Continuò non acquievi carni, & sanguini. Galat. 1.

* TITULUS VIII.

Altaria erecta.

Ædificavit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus mundis, & volucribus, obtulit holocaustum: odoratúsque est Dominus odorem suavitatis. Gen. 8. 20

Apparuit Dominus Abraham in terra Chanaan, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. Gen. 12. 7.

Apparuit Dominus in Bersabee Isaac, dicens: noli timere, quia ego tecum sum. Itaque ædificavit altare Domino, & invocato nomine Domini erexit tabernaculum. Gen. 26. 24.

Locutus est DEUS ad Jacob: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, fácque altare DEO &c. Ædificavítque ibi altare, & appellavit nomen loci illius Domus DEI. Gen. 35. 1. 7.

Moyses ædificavit altare ad radices montis, in quem jussus est à DEO ascendere, obtulítque super illud holocausta. Exo. 24. 4.

Josue, ut se gratum Domino sisteret pro obtentis victoriis, ædificavit altare Domino de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit. Jos. 8. 30.

Gedeon in loco, in quo ei apparuit Angelus, & carnes, panésque azymi ab igne ex petra prosilien- Judic. 6. 24.

liente consumpti sunt, ædificavit altare Domino, vocavítque illud Domini pax.

1. Reg. 14 35. Saul, ut placaret Dominum peccanti populo, ædificavit altare.

2. Reg. 24 25. David, ut flagellum pestilentiæ à populo averteret, ædificavit altare, & obtulit holocausta; & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.

2. Par. 4. 1 v. 19. Salomon in suo templo fecit altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis. Fecit quoque altare aureum.

1. Mach. 4 44. Judas Machabæus altare à gentibus profanatum destituit, & novum ædificat.

TITULUS IX.

Ambitio.

Num. 12. LOcuta est Maria, & Aaron contra Moysen, & dixerunt: Nonne & nobis similiter locutus est Dominus? Sed hæc verba videbantur ambire ducatum populi sui.

Num. 16. Chore, & complices sui anhelantes ad regnum populi, condemnaverunt Moysen, & Aaron accusaverunt, dicentes: Sufficiat nobis, quòd omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini?

Judic. 9. Abimelech filius Gedeonis callidè procuravit se eligi per amicos ex parte matris suæ: sed postea pessimè successit utrisque.

Eodem. Parabola illa, quam proposuit Joatham, quòd oliva, vitis, & ficus noluerunt sibi regnum accipere, & principatum, rhamnus verò arbor modica & vilis, regimen usurpare præsumpsit, potest ambitiosis aptari.

Eodem. Dicebat Gad filius Obed: Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech.

Absa-

Absalom, hominibus ad judicium regis venientibus, David blandiendo, detrahendo simul, & ambiendo, dicebat: Videntur mihi sermones tui boni, & justi, sed non est, qui te audiat, constitutus à rege. Quis me constituat judicem super terram? Sed nota, quid ei postea acciderit, Cap. 17. ejusdem. 2.Reg. 15

Adonias filius Hagith elevabatur, dicens: Ego regnabo. 3.Reg. 1.

Dixit Ahias Sylonites propheta ad Hieroboam. Regna super omnia, quæ desiderat anima tua. Sed postea adeptus regnum super 10. tribus, pessimè se habuit. 3.Reg. 11.

Zambri videns Hela dominum suum regem Israël temulentum, occidit eum, & regnabat post eum septem diebus tantùm. 3.Reg. 16

Athalia mater Ochoziæ regis videns mortuum esse filium suum, in tantam exarsit libidinem dominandi, quòd interfecit omne semen regium, excepto Joas, qui fuit à sorore Ochoziæ furtivè sublatus. 4.Reg. 11

Sellum filius Jabes conjuravit contra Zachariam regem Israël dominum suum, & interfecit eum, & regnavit pro eo uno mense. 4.Reg. 15

Nabuchodonosor rex Assyriorum vocavit duces bellatores suos, dixitque, cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio. Judith. 2.

Ambitiosi, & superbi plus affliguntur de paucis, qui eos præcedunt, vel eis non obediunt, quàm lætentur de multis, qui eos sequuntur, vel obsequuntur eis. Unde superbus Aman, qui erat secundus à rege, & filios, & divitias multas habebat, nil se habere putabat, quamdiu videbat Mardochæum ante fores regias &c. Esther. 5.

Audivit Seron, quòd congregavit Judas Ecclesiam fidelium, & ait: Faciam mihi nomen, & glorificabor in regno, & debellabo Judam: ipse citò fuit debellatus à Juda. 1.Mach. 3

Alci-

1.Mach.7. Alcimus, qui volebat summus sacerdos fieri, & quidam alii iniqui de populo Judæorum, venerunt ad regem Demetrium dicentes ei: Perdidit Judas, & fratres ejus amicos tuos, & nos dispersit de terra nostra.

1Mach.11 Ptolomæus rex Ægypti voluit dolô opprimere regnum Alexandri, & tandem obtinuit, Alexandrô devictô, & in Arabiam fugatô, & abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, & misit Ptolomæo, qui parum gavisus est, quia mortuus est die tertia.

1Mach.15 Ptolomæus filius Abobi habebat argentum, & aurum multum. Exaltatum cor ejus est, & volebat obtinere regionem, qua occasione proditiosè occidit Simonem summum sacerdotem, & duos filios ejus.

2.Mach.4 Ambiebat Jason super omnes summum sacerdotium, propter hoc adiit regem Antiochum nobilem, promittens ei 360. argenti talenta, & multa alia. Quod cùm rex annuisset, modico tempore sacerdotii honore functus est; quia Menelaus, quem misit ad Antiochum, retorsit in se summum sacerdotium, qui etiam citò fuit amotus, & Lysimachus frater ejus loco illius substitutus.

Act. 8. Cùm vidisset Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ei: Pecunia tua tecum sit in perditionem.

TITULUS X.

Amicitia.

Gen.29. VOcatis multis amicorum turbis ad convivium, Laban fecit nuptias, & dedit filiam suam Rachel nepoti suo Jacob.

Exod.33. Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo ad amicum suum.

Ruth.

Ruth adhæsit socrui suæ Noëmi, & dixit ei: Quocunque perrexeris, pergam: & ubi morata fueris, & ego pariter morabor. Ruth. 1.

Anima Jonathæ colligata est animæ David, & dilexit eum Jonathas, quasi animam suam. Nam expoliavit se Jonathas tunicâ, qua erat indutus, & dedit eam David. 1.Reg.18.

Signum fuit fidelis amicitiæ, licèt indiscretæ, quòd armiger Saul, videns dominum suum mortuum, mortuus est cum eo. 1.Reg.31.

Misit Abner ad David dicens: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te universum Israël. 2.Reg.3.

Chusai Arachites amicus David, venit ad Absalom, & dissipavit consilium Achitophel. 2.Reg.8.

Propheta Jehu dixit Josaphat regi Juda, qui inierat fœdus, & venerat ad prælium cum Achab rege Israël: Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris. Et idcirco iram Domini merebaris. 2.Par.19.

Aman superbus convocavit amicos, & exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, & filiorum turbam, & quanta eum gloria super omnes principes rex elevâsset. Esth.5.

Audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, ut visitarent eum, & consolarentur. De his tamen dixit postea: Subvertere nitimini amicum vestrum. Job 2. & Cap. 6.

Alcimus proditor & impius, concitavit regem Demetrium adversus Judam Machabæum, pro quo dixit ei: Perdidit Judas, & fratres ejus amicos tuos. 1.Mach.7.

Rex Alexander misit epistolam Jonathæ, nunciavítque ei dicens: Audivimus de te quod sis vir potens viribus, & aptus, ut sis amicus noster. 1.Mac.10

Accepit Jonathas aurum, & argentum, & alia xenia multa, & dedit Demetrio, & invenit gratiam in conspectu ejus, & fecit eum Principem amicorum. 1.Mac.11

1.Mac.12 Vidit Jonathas, quia tempus eum juvat, misit viros Romam statuere, & renovare cum Romanis amicitiam.

1.Mac.10. Postquam Alexander percussit Demetrium, misit ad Ptolomæum regem Ægypti legatos, ut statueret amicitiam ad invicem, & daret ei filiam suam in uxorem.

2.Mach.6. Propter veterem amicitiam, quam habebant ad Eleazarum, quidam astantes attulerunt carnes, quibus vesci licitè poterat, ut simularet se de sacrificii carnibus manducâsse, & sic evadere posset mortem.

2.Mac.11 Lysias intelligens invictos Judæos, DEI omnipotentis auxiliô, misit ad eos, promisitque se regem compulsurum, amicum fieri.

Luc.16. Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet, acquirendo amicos de bonis Domini; Concludens per hoc: quòd facere debemus amicos, qui possint recipere nos, quando nos in morte deficere oportebit.

Luc.11. Ponit Dominus exemplum de illo, qui media nocte vadit ad amicum, ut petat aliquid ab eo.

Luc.23. In passione Domini, Herodes, & Pilatus facti sunt amici.

Act.19. Commota civitate Ephesо, & confusa, quidam de Asiæ Principibus, qui erant amici Pauli, miserunt ad eum rogantes, ne se daret in theatrum.

* TITULUS XI.

Amor proprius.

Ezech.28 17. PEccatum Angelorum à nullo alio traxit originem, quàm ab amore propriæ excellentiæ.

Gen.3.5. Primi parentes ob nullam aliam rationem transgressi sunt mandatum DEI, quàm quia ex amore proprio affectabant similitudinem cum DEO, & scientiam boni & mali.

Gen.25. 28. Isaac amabat Esau, non quòd esset primogenitus,

vel

vel aliis bonis qualitatibus instructus, sed quòd de venationibus ejus veſceretur.

Saul dolet, se peccâsse, non ob amorem DEI, sed ob amorem proprium, quòd nempe perdiderit honorem suum apud populum. Hinc rogat Samuelem: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël. 1. Reg. 15 30.

Absalom subditis sui patris omnem exhibet humanitatem, ut eorum corda lucraretur, & viam sibi sterneret ad solium Israël. 2. Reg. 15 2. &c.

Ob amorem proprium petunt cognati à Christo, ut miracula faciat, & se manifestet coram populo. Joan. 7. 4.

Petrus, cùm in monte Thabor vidisset gloriam sui Divini Magistri, exclamavit: bonum est nos hìc esse. Matth. 17. 4.

Omne odium Pharisæorum erga Christum provenit ex amore proprio, nempe ex amore propriæ æstimationis, & timore, ne hanc perderent apud populum, si Christus plus honoris, & æstimationis per sua miracula apud populum acquireret.

Loth ità amabat domum, & Sodomam patriam suam, ut ab Angelis, apprehensâ ejus manu, quasi per vim, inde debuerit abstrahi. Gen 19. 1.

Heli ità erat alienus ab amore proprio, ut non doleret acceptam cladem, fugam militum, interitum suorum liberorum, & domûs, sed unicè captam arcem. 1. Reg. 4. 13.

Samuel, dum erat judex, repositò omni amore proprio, ipse circuibat cum magna sua molestia omnes urbes, ut singulos ubique audiret, eisque jus diceret, & à nemine ullum munus accepit. 1. Reg. 7. 16.

Jonas amorem propriæ vitæ ità exuit, ut pro salute suorum comitum mortem elegerit. Jon. 1. 12.

Paulus ità fuit expers amoris proprii, ut de se scribat Corinthiis: paratus sum venire ad vos, & non ero gravis vobis. Non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos. 2. Cor. 12 1.

TITULUS XII.

Angeli Boni.

Gen.18. ANgeli apparuerunt Abrahæ, & erga eum sese familiariter habuerunt.

Gen.19. Apud Loth hospitati fuerunt Angeli, & quasi piam ei violentiam facientes, ipsum de periculo extraxerunt.

Gen.22. Angelus Domini vocavit Abraham, & prohibuit, ne filium immolaret: & magna ei propter obedientiam promisit.

Gen.28. Fugiens Jacob Esau fratrem suum, vidit Angelos ascendentes, & descendentes per scalam.

Gen.32. Redeunti Jacob à servitio Laban ad Isaac patrem suum, Angeli ei, scilicet ad protegendum, obviaverunt.

Exod.14. Angelus Domini, qui præcedebat castra Israël, quando recedebat populus de Ægypto, stetit inter castra Ægyptiorum, & castra Israël. Unde in Exodo: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum, quem præparavi.

Num.22. Stetit Angelus Domini in via contra Balaam, qui sedebat super asinam.

Judic. 2. Angelus Domini increpavit filios Israël, qui juraverant amicitiam cum habitatoribus terræ Chanaan, memorans beneficia eis à DEO collata.

Judic. 6. Apparens Gedeoni Angelus Domini confortavit eum, & animavit eum ad liberationem populi.

Judic. 13. Uxori Manue sterili apparuit Angelus, conceptionem filii prædicens, & abstinentiam indicans.

2.Reg.24 Numeratô populô ad mandatum David, misit Dominus pestilentiam in Israël. Cúmque extendisset manum suam Angelus Domini super Hierusalem, ut disperderet eam, videns David Angelum cædentem populum, ait: Ego sum qui peccavi.

3.Reg.19 Fugientem Heliam, Jezabel tyrannisantem reginam, Angelus Domini confortavit, & sobriô cibô eum refecit.

Et

Et Angelus revelavit eidem, quid reſpondere deberet nunciis Ochoziæ. 4.Reg.1.

Plures Angeli boni erant cum Eliſæo, ad eum defendendum, quàm cum adverſariis eſſent mali homines ad nocendum. 4.Reg.16.

Venit Angelus Domini, & percuſſit una nocte centum octoginta quinque millia hominum, de exercitu regis Aſſyriorum. 4.Reg.19.

Raphaël Angelus, qui fuit dux Tobiæ, ipſum à devoratione piſcis eripuit: uxorem ejus à dæmonio liberavit: patri cœco viſum reſtituit: & per eum tam parentes, quàm ſocii fuerunt multiplici conſolatione repleti. Tob. 5.

Vivit Dominus, ait Judith: Quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem. Judith.13

Volavit ad Eſaiam unus de Seraphin, & mundavit eum calculô, quem forcipe tulerat de altari. Eſa. 6.

Angelus Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis ejus in fornacem ignis. Dan. 3.

Daniel in lacu leonum exiſtens, dixit Dario regi ad ipſum venienti: DEUS meus miſit Angelum ſuum, qui concluſit ora leonum. Dan. 6.

Poſtmodum Angelus Domini Habacuc Prophetam de Judæa in Chaldæam tranſtulit, ut ferret prandium Danieli. Dan. 14.

Revelata ſunt Danieli multa, & magna myſteria, per miniſterium Angelorum. Dan. 9. 10 & 11.

Machabæus, & qui cum eo erant, rogabant Dominum, ut bonum Angelum mitteret ad ſalutem Iſraël. Sequitur: Apparuit præcedens eos Angelus in veſte candida. 2. Mach. 11.

Ad annunciandam conceptionem Joannis Baptiſtæ, apparuit Angelus Domini Gabriel Zachariæ. Luc. 1.

Ad annunciandam conceptionem Salvatoris, miſſus eſt idem Angelus à DEO in civitatem David. Eodem.

Rurſus etiam nato Domino, Angelus Domini ſtetit Luc. 1.

tit juxta paſtores, & facta eſt cum Angelo multitudo militiæ Cœleſtis exercitus laudantium &c.

Matth. 1. & 2. Angelus Domini legitur etiam apparuiſſe Joſeph, & ei locutus eſſe. Primò ante nativitatem Domini. Matth. 1. Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Secundò: Poſt adorationem Magorum: Surge, & accipe puerum tuum, & fuge in Ægyptum. Tertiò: Poſt mortem Herodis: Accipe puerum, & Matrem ejus, & vade in terram Iſraël.

Matth. 4. Poſt receſſum tentationis, legitur: Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

Luc. 22. Poſt Cœnam, in oratione facta in horto, apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum.

In ejus reſurrectione, Angelus Domini deſcendit de cœlo. Joan. 20. Matth. 28. Marc. 16. Lucæ 24.

Act. 1. In ejus Aſcenſione: Ecce duo viri aſtiterunt.

Act. 5. Principes ſacerdotum, & omnes, qui cum illis erant, injecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica. Angelus autem Domini per noctem aperiens januam carceris, eduxit eos, & dixit: Ite, & loquimini in templo plebi.

Act. 8. Angelus Domini dixit ad Philippum: Surge, & vade meridiem versùs &c.

Act. 10. Cornelius vidit manifeſtè Angelum horâ diei nonâ, introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi: Corneli &c.

Act. 12. Et dormiente Petro in Herodis carcere.

Eodem. Herodes rex veſtitus veſte regali, ſedebat pro tribunali, populus ei acclamabat, voces DEI, non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, & conſumptus à vermibus exſpiravit.

Act. 27. Aſtitit Angelus Paulo in navi, ſuadens eum bonô animô eſſe, dicens: Ne timeas Paule &c.

Apoc. 1. Significavit DEUS quæ oportet fieri citò. Poſt hoc loquens ſervo ſuo Joanni, qui teſtificatus eſt ſermonem DEI &c. Et totus liber ille plenus eſt Angelicis revelationibus.

TITU-

TITULUS XIII.

Apparitiones.

ANte peccatum, locutus est Dominus ad Adam: post peccatum, ad Adam, & Evam, & ad serpentem. Cain etiam monuit ante fratricidium, & post durè arguit eum. Gen. 2. 3. & 4.

Noë præcepit Dominus, ut faceret arcam: deinde ut ingrederetur in eam. Et post exsiccationem terræ, præcepit: ut egrederentur de arca. Deinde benedixit Dominus Noë, & filiis ejus, & dixit jad eos: Crescite, & multiplicamini. Gen. 9.

Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & cognatione tua. Eodem cap. Apparuit Dominus Abrahæ, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Gen. 12.

Et postquam divisus est Loth ab eo: postea proximo cap. Factus est sermo Domini ad Abraham per visionem. Deinde apparuit ei Dominus, & dedit ei præceptum circumcisionis. Gen. 14. & 15.

Apparuerunt ei tres viri &c. Tunc audivit certum tempus filii nascituri. Gen. 18.

Venerant duo Angeli, sedente Loth in foribus civitatis: qui cùm vidisset eos, surrexit, & ivit obviam eis, & adoravit eos. Gen. 19.

Venit Dominus ad Abimelech per somnium, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum. Gen. 20.

Cùm durè accepisset Abraham verba Saræ, conquerentis de ancilla, & filio ejus, dixit ei Dominus: Non tibi videatur asperum super puerum. Gen. 21.

Apparuit Angelus in deserto Agar ancillæ, & filio. Ibidem.

Tentavit DEUS Abrabam, & dixit ad eum: Tolle filium tuum &c. Et postquam extendisset gladium, ecce Angelus Domini &c. Gen. 22.

Apparuit Dominus Isaac in Bersabee, dicens: Ego sum DEUS Abraham patris tui &c. Gen. 26.

Apparuit Jacob multoties eunti ad Laban. Gen. 28. & re- Gen. 28. & 31.

& redeunti. Cap. 31. ubi etiam dixit Laban in somnis: Cave, ne quicquam asperè loquaris contra Jacob. Et post locutus est Dominus pluries ad Jacob.

Exod. per totum. Quoties apparuerit Moysi, & locutus ei fuerit, nimis longum esset dicere; videatur Exodus cap. 3. & sequentibus.

Num. 22. Legitur quoque Dominus fuisse locutus Balaam dormienti, & eidem sedenti super asinam, quæ vidit Angelum, quem Balaam non vidit.

Josue 1. Pluries etiam locutus est Dominus ad Josue, sicut apparet, Josue Cap. 1. 4. 5. 7. & 13.

Judic. 1. Post mortem Josue, consuluerunt filii Israël Dominum dicentes: Quis ascendet ante nos? Dixítque Dominus: Judas ascendet.

Judic. 2. Ascendit Angelus Domini ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto.

Judic. 6. Venit Angelus Domini, & apparuit Gedeoni, & ait: Dominus tecum.

Judic. 13. Apparuit Angelus Domini uxori Manue: & alia vice apparuit Manue pariter, & uxori ejus.

Judic. 20. Filii Israël congregati, ut pugnarent contra Benjamin, consuluerunt Dominum, quibus ait: Quòd Judas esset dux exercitûs. Licèt autem bis fuerint debellati, tamen dixit eis Dominus: quòd pugnarent.

1. Reg. 3. Vocavit Dominus Samuel quater, tandem ait: Loquere Domine, quia audivit servus tuus, juxta consilium quod dederat ei Heli sacerdos. Sequitur, addidit Dominus: ut appareret in Sylo.

2. Reg. 2. Quando David debebat committere prælium, frequenter consulebat Dominum, qui semper legitur ei respondisse, ùt patet in multis locis.

3. Reg. 3. Apparuit Dominus Salomoni dicens: Postula, quod vis.

3. Reg. 9. Cùm perfeciisset Salomon ædificium domûs Domini, & domûs regis, apparuit ei Dominus, dixítque ad eum: Audivi orationem tuam.

Ei-

Eidem locutus est, increpans eum durè propter scelera ab eo commissa. 3.Reg.11.

Heliæ fugienti à facie Jezabel, apparuit Angelus Domini, qui ei panem, & aquam ostendit. Dominus quoque in sibilo auræ tenuis. 3.Reg.19.

Elisæo ab exercitu Syrorum circumdato, apparuerunt multi Angeli, defendentes eum, quos & puer ejus vidit, ad similitudinem equorum, & curruum igneorum. 4.Reg. 6.

Longo tempore duravit apparitio Raphaëlis Angeli, quem Dominus misit ad curandam Saram. Tob. 5.

Multas mirabiles visiones diversi Prophetæ viderunt. Esaiæ 6. Hierem. 1. De virga vigilante, & de olla succensa. Item Hieremiæ 24. De duobus Calathis ficubus plenis. Præcipuè verò Ezechiel, Daniel, Amos, Zacharias pleni sunt imaginariis visionibus, quas exprimere longum esset.

Volente Heliodoro spoliare templum, & depositа asportare, apparuit quidam equus terribilem habens sessorem. 2.Mach. 3

Cùm vehemens pugna esset inter Timotheum, & Judam Machabæum, apparuerunt quinque viri in equis, frenis aureis decorati, ducatum Judæis præstantes, è quibus duo Machabæum medium habentes armis suis circumseptum, incolumem servabant. 2.Mac. 10

Euntes Judæi ad prælium contra exercitum magnum Lysiæ, Machabæo duce, apparuit præcedens eques in veste candida, armis aureis, hastam vibrans. Ibidem.

Angelus Domini legitur ter apparuisse Joseph. Primò: Cùm esset adhuc dominus in matris utero: Secundò: Cùm natus ex utero. Tertiò: Cùm esset in Ægypto. Matt. 1. & 2.

Super Dominum Baptizatum Spiritus Sanctus in columbæ specie visus est, paterna vox audita est: Hic est filius meus dilectus. Matth. 3. Luc. 4.

Item in transfiguratione, apparuerunt Moyses & Helias cum Domino loqnentes, & vox de cœlo facta est. Matth.17. Luc. 9.

Matth.27. Reſurgente Domino JEſu Chriſto, multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, reſurrexerunt: & exeuntes de monumentis, venerunt ad ſanctam civitatem, apparuerúntque multis.

Marc.ult. Surgens JEſus manè primâ ſabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ.

Luc. 24. Poſt hoc diſcipulis duobus, euntibus in via. Noviſſimè, recumbentibus undecim diſcipulis apparuit, & exprobravit eis incredulitatem eorum.

Act. 1. Poſt paſſionem ſuam Dominus JEſus præbuit ſeipſum vivum, in multis, per quadraginta dies apparens eis, & loquens de regno DEI. Sequitur in eodem capit. Cúmque intuerentur in cœlum, ecce duo viri aſtiterunt juxta illos.

Act.2. Cùm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco. Et apparuerunt eis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis.

Act.7. Stephanus plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam DEI, & ait: Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris DEI.

Act. 12. Angelus Domini aſtitit, & refulſit lumen in habitaculo carceris, in quo erat dormiens Petrus, vinctus catenis duabus: percuſsóque latere Petri excitavit eum, dicens: Surge velociter.

Act. 9. Cùm appropinguaret Saulus Damaſco, ut caperet Chriſtianos, ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo, & audivit Dominum JEſum Nazarenum dicentem ſibi: Saule quid me perſequeris? & conſequenter apparuit Ananiæ.

Act. 10. Cornelius Centurio vir religioſus, & timens DEum, vidit manifeſtè, quaſi horâ diei nonâ, Angelum Domini dicentem ſibi: Corneli, mitte viros in Joppen, & accerſe Simonem Petrum, hic dicet tibi, quid te oporteat facere.

Ibidem. Orante Petro, & eſuriente, cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cœlum apertum, ac deſcendens ad ſe vas quoddam velut linteum magnum

qua-

quatuor initiis alligatum summiti è cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ, bestiæque, & reptilia, & volatilia cœli.

Cùm Paulus, & Sylas transissent Mysiam, descenderunt Trojadem, visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, dicens: Transiens in Macedoniam, adjuva nos. Dixit Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, loquere, ne taceas. Act. 16.

Quadam nocte Dominus assistens Paulo, ait illi: Constans esto Paule, sicut testificatus es de me in Hierusalem, sic & Romæ te oportet testificari. Act. 18.

Consolari volens Paulus socios suos, tempore tempestatis, suasit eis bonô animô esse, dicens: Astitit mihi Angelus hac nocte dicens: Ne timeas Paule: Cæsari te oportet assistere. Et ecce donavit tibi DEUS omnes, qui navigant tecum. Act. 23.

Beatus Joannes Apostolus, & Evangelista exilio relegatus, in medio septem candelabrorum aureorum, & mirabilibus revelationibus, totus liber plenus est. Act. 27.

TITULUS XIV.

Astutia, & Calliditas mala.

PRimum magistrum calliditatis, & mendacii, seu astutiæ, patet, fuisse diabolum in serpente. Qui cùm callidior esset cunctis animantibus, primam mulierem seduxit. Non enim voluit virum aggredi primum, quem sciebat majori discretione dotatum. Gen. 3.

Multoties voluit seducere Jacob nepotem suum, modò in uxore, modò in mercede, Laban scilicet socer ejus. Sed Dominus in fraude circumvenientium illi affuit. Gen. 30.

Cùm Laban scrutaretur supellectilem Jacob, & veniret ad tentorium Rachel, illam sollicitudinem quærentis astutè delusit. Gen. 31.

Sæ-

Gen. 34. Sævientes ob ſtuprum ſororis ſuæ Dynæ filii Jacob, callidè ſuaſerunt: Sichem, & civitatis populum circumcidi. Quo facto irruerunt in eos, & faciliter occiderunt.

Gen. 37. Filii Jacob voluerunt decipere patrem, quando tunicam Joſeph tinxerunt ſanguine hædi, mittentes, qui dicerent ei: Hanc invenimus, vide utrum tunica filii tui ſit, an non?

Exod. 1. & 5. Diverſas excogitavit aſtutias Pharao rex Ægypti ad hoc: ut filios Iſraël totaliter extirparet. Ad hoc etiam: ut eos in Ægypto interimeret, & nullatenus recedere pateretur.

Exod. 6. Malefici Pharaonis, quantum ad duo ſigna, prima fecerunt per incantationes, ſicut fecerat Moyſes.

Num. 16. Malitiosè locuti ſunt Chore, & complices ejus, quando ſteterunt contra Moyſen, & Aaron, dicentes: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus. Quid elevamini ſuper populum Domini?

Num. 22. Videns Balac rex Moabitarum, quòd fortitudine filios Iſraël vincere non poterat, voluit eos maledictione Balaam ſuperare.

Joſuæ 9. Gabaonitæ audientes, quæ fecerat Joſue Hiericho & Hai, callidè cogitaverunt, quomodo poſſint ità facere, quòd non totaliter deleretur.

1.Reg. 13 Caverant Philiſtini, ne faber ferrarius inveniretur in omni terra Iſraël, ne fortè Hebræi facerent gladium, aut lanceam.

1.Reg. 18 Saul invidens proſperitati David, dixit de filia ſua Michol, quam David habere volebat: Dabo eam illi, ut faciat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſtinorum: Dixit ergo Saul ad David: In duabus rebus gener meus eris hodie.

2.Reg. 11 Per magnam aſtutiam voluit David celare iniquitatem ſuam, quando miſit pro Uria, ut dormiret cum uxore ſua.

2.Reg. 13 Nefandam calliditatem docuit Amnon filium David Jonadab filius Semma, quando dixit ei: ut

lan-

languorem simularet, & sic Thamar sororem Absalom, de qua tentabatur, solus habere posset.

Cùm vellet Absalom vindicare injuriam sororis suæ, quam oppresserat Amnon frater ejus, fecit pergrande convivium, & fratrem suum invitavit, & dum comederet, ibi eum occidi fecit. Eodem.

Ambiens Absalom regnum patris, cœpit malitiosè adulari, & facta patris sui, vituperans seipsum, benè judicaturum jactavit. 2. Reg. 15.

Dixit Hieroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David, si ascenderit populus iste, ut faciat sacrificium in domo Domini, in Hierusalem, & excogitatô consiliô, fecit duos vitulos aureos. 3. Reg. 12.

Achab rex Israël dixit quædam generalia verba nunciis Benadab regis Syriæ, suos, & sua liberaliter offerendo. Ex quibus ille astutè voluit, eum gravare nimis ad specialia descendendo. 3. Reg. 20.

Sedecias filius Chanaam Propheta Baal, fecit sibi cornua fieri ferrea, quasi esset Propheta verus, dicens regi Achab. Hæc dicit Dominus: his ventilabis Syriam, donec deleas eam. Tandem fefellit eum, & fecit eum ire ad bellum. 3. Reg. 22.

Currens Giezi post Naam, callidè coloravit petitionem suam, quando dixit: Dominus meus misit me ad te, dicens: Modò venerunt ad me duo adolescentes, da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices &c. 4. Reg. 5.

Scelerata Jezabel crudeli astutia usa est ad hoc, ut vineam Naboth acquireret viro suo. 3. Reg. 21.

Athalia mater Ochoziæ regis Juda, videns mortuum filium, interfecit omne semen regium, & sic regnavit super terram sex annis. 4. Reg. 11.

Loquebatur alta voce Rapsaces nuncius Sennacherib regis Assyriorum, ut audiret eum populus, & timeret super murum. 4. Reg. 18.

Dum Abia rex Juda exercitum suum confortaret, & adversarios increparet, Hieroboam rex Israël 2. Par. 13.

retro

retro moliebatur insidias. Cúmque ex adverso hostium staret, ignorantem Judam suo ambiebat exercitu.

1. Esd. 3. & 4. 2. Esd. 4. 5. Varias excogitaverunt astutias vicini filiorum Israël, qui redierant de captivitate Babylonis, ad hoc: ut impedirentur in ædificatione templi, & murorum civitatis Hierusalem.

Esther 3. Superbissimus Aman, videns, quòd Mardochæus ipsum adorare nolebat, occasione ejus suasit regi per mendacia, ut totus Judæorum populus deleretur.

Job. 1. Quia Sathan non poterat coram DEO virtutes sancti Job omnino negare, voluit intentionem ejus callidè depravare, dicens: Nunquid frustra Job timet DEUM? Nota etiam ibi: Quomodo una die diabolus totum ei abstulit, & simul nuncios venire fecit, ut multiplici dolore per impatientiam frangeretur.

Dan. 6. Principes, & Satrapæ regni Persarum procurârunt, ut Darius statueret decretum, contra quod Danielem cogitaverunt omninò debere facere, ut hac arte ipsum possent à rege avertere.

Dan. 13. Duo senes Presbyteri detestandam adinvenerunt nequitiam, ut possent Susannam decipere, & postea se de ea crudeliter vindicare.

1. Mach. 7 2. Mach 4 Plenus malignitate Alcimus, accessit ad Demetrium regem, & accusavit Judam Machabæum in multis. Deinde ùt narratur, obtulit regi coronam auream, & alia quædam dona, & ipsâ quidem die siluit. Et postea tantum fecit, & dixit: quòd rex summum sacerdotem eum constituit.

2. Mach. 4 Jason misit Menelaum portantem pecuniam Antiocho regi: at ille Menelaus commendatus regi in semetipsum retorsit summum Sacerdotium, supponens Jasoni talenta argenti trecenta.

Matth. 2. Herodes clam vocatis Magis, diligenter ab eis didicit tempus stellæ, quæ apparuit eis, & mittens eos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligen-

ligenter de puero. Hoc verò quâ intentione diceret, apparuit in occisione puerorum.

Pharisæi volentes capere Dominum in sermone, miserunt ad eum discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus, quia verax es, licet censum dare Cæsari, an non? Matth. 22.

Varios circuitus fecerunt Pharisæi, ut facerent confiteri cœcum illuminatum, quòd non esset illuminatus à Christo. Joan. 9.

Principes Judæorum custodibus sepulchri dederunt pecuniam copiosam, ut dicerent: JESUM de nocte furtô sublatum esse. Matth. 28.

Ananias, conscià Saphirâ uxore sua, fraudavit de pretio agri venditi. Act. 5.

Samaritani attendebant ad Simonem Magum, eò, quòd magicis artibus suis multo tempore dementâsset eos. Act. 8.

Videntes Judæi, quòd verbum Domini disseminabatur per Paulum, & Barnabam, concitaverunt religiosas mulieres, & honestas, & primas civitatis Antiochenæ, & excitaverunt persecutionem in illos, & ejecerunt eos de finibus suis. Act. 13.

Cùm Paulus, & Barnabas essent in civitate Lystris, & tantam haberent gratiam ibi, quòd homines ipsis tanquam Diis sacrificare voluerant: supervenerunt quidam Judæi, qui taliter persuaserunt turbis, quòd Paulus fuit ibi lapidatus, & extra civitatem tractus: putabatúrque esse mortuus. Act. 14.

Quæstuarii quidam cum puella spiritum pytonem habente, volentes conqueri de Paulo, non dixerunt, quòd per eum amiserunt quæstum suum, sed mentiendo dixerunt: Hi homines conturbant civitatem nostram, annunciant instituta, quæ nobis non licet suscipere, cùm simus Romani. Act. 16.

Judæi malitiosè cogitaverunt petere à Tribuno, ut Paulum produceret in medium, quasi aliquid certum inquisituri essent ab illo. Insidiabantur Act. 23.

au-

autem ei multi, qui volebant statim interficere eum, & ad hoc etiam obligaverunt se per totum.

TITULUS XV.

Avaritia.

Gen.4. Multa potest notari philargia in hoc, quòd Cain, cùm prosperari vidit fratris bona, eundem fratrem suum occidit.

Eodem. Cain primus legitur ædificâsse civitatem, sed non Abel, quia sancti non habent hic manentem civitatem, sed futuram inquirunt, ùt testatur Apostolus Heb. 13.

Gen.13. Propter multam substantiam, quam Abraham, & Loth habebant, non potuerunt pariter habitare. Et cœperunt pastores eorum ad invicem litigare.

Gen.19. Abundantia bonorum temporalium frequenter est occasio gravium peccatorum, sicut patet de Sodomitis peccatoribus pessimis.

Gen.26. Postquam creverat Isaac, & locupletatus fuerat, pastores sui, & vicinorum suorum, jurgari cœperunt.

Exod.18. Odium avaritiæ, plusquàm cæterorum vitiorum, debent habere judices, & Prælati. Ideò signanter dicit Jethro de judicibus, qui oderunt avaritiam.

Exod.36. Pauci sunt hodie Clerici, qui faciunt oblationes superfluas prohiberi: sicut fecerunt illi, qui operibus tabernaculi præsidebant.

Num.22. Nuncii Balaac perrexerunt ad Balaam, habentes donationes, & pretium in manibus, & ità fuit cupiditate corruptus.

Num.32. Tribus Ruben, & Gad, & tribus Manasse dimidia, quia habebant substantiam multam, & pecora, noluerunt transire Jordanem, sed in terra alendis gregibus apta contenti sunt habitare, atque accipere portionem.

Cu-

Cupiditate seductus Achan, de anathemate Hiericho sumpsit, sed pro illo lucro damnum terribile reportavit. Josue 7.

Pro pecunia à Philistæis promissa, Dalila Samsonem virum suum tradidit. Judic. 16.

De filiis Samuel dicitur: Declinaverunt post avaritiam, acceperúntque munera, & perverterunt judicium. 1.Reg.8.

Præcipua causa, vel occasio reprobationis Saul, videtur fuisse cupiditas, quam habuit ad prædam Amalech. Unde dixit ei Samuel: Quare non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini? 1.Reg.15.

Nimis tenax fuit Nabal erga David aliquid petentem dari sibi; propter quod ferè totam substantiam, & personam amiserat, nisi fuisset Abigail uxor sua. 1.Reg.25.

Semei exivit de Hierusalem contra prohibitionem Salomonis, ad requirendum servos suos, qui aufugerant: & ob hanc causam fecit eum Salomon occidi. 3.Reg.2.

Vinea Naboth, quam concupivit Achab, fuit causa, vel occasio, quare duo falsi testes fuerint contra eum producti, & ille jussus est lapidari. 3.Reg.21.

Quià Giezi accepit à Naaman id, quod Elisæus recusaverat, leprâ percussus fuit. 4.Reg.5.

Tempore Nehemiæ, erant aliqui ex optimatibus ità usuris oppressi, quòd volebant filios suos, & filias suas vendere in servos, & ancillas. Sed Nehemias illos divites graviter, & viriliter increpavit. 2.Esd.5.

Obtentâ victoriâ de Arphaxad rege Medorum, Nabuchodonosor rex Assyriorum statim regna alia omnia concupivit. Judith. 1

Dixit Judas Machabæus commilitonibus suis: non concupiscatis spolia; quia bellum contra nos est, & Gorgias, & exercitus ejus in monte prope nos, &c. 1.Mach.4.

1.Mac.11 Ptolomæus rex Ægypti vituperavit Alexandrum genérum ſuum propterea, quòd concupierat regnum, cùm Alexander eum honorificè ſuſcepiſſet.

2.Mach.3 Adverſus Oniam, & civitatem ſanctam concitavit Simon de tribu Benjamin Apollonium, & regem Antiochum, dicens: Ærarium pecuniis innumerabilibus eſſe plenum.

3. Mach.4 Menelaus per argentum, quod promiſit Antiocho, obtinuit ſummum Sacerdotium. Demum per vaſa aurea, de templo furtivè ablata, quæ dedit Andronico, fecit Oniam occidi. Tandem accuſatus apud regem Ptolomæum, corrupit eum per pecuniam, & contra accuſatores fecit ferri mortis ſententiam.

Eodem. Idem nequam Menelaus, propter eos, qui in populò erant ad avaritiam, permanebat in poteſtate, creſcens in malitia, & ad inſidias civium.

2.Mac.10. Cùm quidam Judæi de mandato Machabæi obſiderent duas turres, in quibus erant inimici gentiles, acceptâ pecuniâ, quosdam effugere dimiſerunt, quos Machabæus tanquam proditores, & fratrum venditores interfecit.

2.Mac.12. Poſt bellum contra Gorgiam commiſſum, venit Judas Machabæus cum ſuis, ut proſtratorum corpora ſepeliret. Invenerunt autem ſub tunica interfectorum de denariis Idolorum, à quibus lex prohibet Judæis. Ob hanc ergo cauſam creditum eſt, eos corruiſſe.

Matth.19. Adoleſcens, qui quæſivit à Domino, quomodo poſſet habere vitam æternam, multas habebat poſſeſſiones. Et idcirco abiit triſtis, cùm audivit conſilium perfectionis.

Matth.21. Sacerdotes Judæorum volentes, quòd populus frequenter offerret, permittebant, quòd ea, quæ offerri poterant, venderentur in templo. Hæc etiam de cauſa dicebatur aurum templi ſanctius eſſe templò: & donum, quod erat ſuper altare, majoris eſſe reverentiæ, quàm ipſum altare.

Cupi-

Cupiditas, vel libido lucrandi, videtur fuisse principale motivum, quare Judas tradidit Dominum; hinc ait: Quid vultis mihi dare? Matth. 26.

Per pecuniam fuerunt corrupti custodes dominici sepulchri; ut mentirentur, Dominum à discipulis suis de nocte furtivè fuisse sublatum. Matth. 28.

Dominus JEsus legislator verus, noluit se intromittere, de divisione hæreditatis terrenæ, cùm esset super hoc requisitus. Luc. 12.

Contra eos, qui bona temporalia congregant, & multo tempore multis delectari putant divitiis, proposuit Dominus similitudinem de divite, cujus ager uberes fructus attulit. Eodem.

Contra divites edaces, & vestibus pretiosis, & delicatis utentes, qui ad relevandam indigentiam proximi sunt tenaces, & parci, ponit Dominus exemplum de divite epulone. Et nota: quòd non parabola, sed historia fuisse videtur. Item nota: Si ità premitur ille, qui non dedit propria, quid fiet de illis, qui rapiunt aliena? Luc. 16.

Excusaverunt se, ne irent ad magnam cœnam, ad quam vocati erant, emptores boum, & villarum, scilicet mobilium, & immobilium possessionum. Quia sæpe per talia homines à cœlesti gloria retrahuntur. Luc. 14.

Pharisæi, qui erant avari, audientes monitiones Domini, quòd deberent facere amicos de Mammona iniquo, deridebant ipsum. Luc. 16.

Nimis terribiliter fuit punita avaritia Ananiæ, & Saphiræ, qui de pretio agri venditi partem retinuerunt. Act. 5.

Quidam quæstuarii, habentes unam puellam Pythonissam, à qua Paulus ejecit dæmonium, videntes quòd amiserant quæstum suum, apprehenderunt Paulum, & Silam socium ejus, & duxerunt eos ad Principes civitatis, accusantes eos, quòd civitatem turbarent, & mores illicitos nunciarent. Magistratus autem scissis illorum tuni- Act. 16.

eis, fecerunt eos cædi, & in carcerem mitti, & cum diligentia custodiri.

Act. 19. Paulo apud Ephesum existente, & multa miracula ibi faciente, Demetrius quidam argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum. Quos convocans dixit, quòd Paulus suadebat, & avertebat populum à cultu Deorum, dicens: Quoniam non sunt Dii, qui manibus fiunt, sed dæmonia. Et ità turbavit civitatem, quòd impleta est confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum rapto Gajo, & Aristarcho comitibus Pauli.

Act. 24. Cùm esset Paulus apud Felicem præsidem, vinctus à Judæis, tanquam homo seditiosus, & pestifer accusatus, sperabat Felix, quòd pecunia ei daretur à Paulo. Propter quod frequenter accersens eum Felix, loquebatur cum eo. Et quia non ità fuit factum, ipse judex non absolvit eum, sed reliquit eum Festo successori suo vinctum.

* TITULUS XVI.

B *Bachanalia.*

Gen. 6. 12. OMnis caro corruperat viam suam. Propter quod iratus Dominus misit diluvium in terram.

Exod. 10. 21. Tenebræ Ægyptiæ, quæ per tres dies durârunt, imago tenebrarum, & cœcitatis, quâ homines laborant tribus diebus antecineralibus.

Exod. 32. 6. Sedit populus circa vitulum aureum manducare, & bibere, & surrexerunt ludere, magna voce clamantes, ità ut Josue putaret, esse ululatum pugnæ. v. 28. Propterea 23000. de populo deleta.

Num. 11. 33. Adhuc escæ erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plagâ magnâ.

Judic. 21. 21. Filii Benjamin rapuerunt 400. virgines, quæ exierunt de Silo ad ducendos choros.

Jud. 16. 23 &c. Principes Philistinorum, dum læti epularentur, cum

cum cætera multitudine, oppressi sunt ruinâ domûs, cujus columnas Samson concussérat.

Apollonius ab Antiocho missus, venit Jerosolymam cum exercitu, ac pacem simulavit: sed omnes, qui ad spectaculum processerant, trucidavit. 2.Mach.5. 25.

TITULUS XVII.

Bella, & Victoriæ.

ABraham cum paucis sociis suis debellavit quatuor reges, qui tamen ità potentes erant, quòd ipsi terras multas vastabant, & tandem quinque reges de Pentapoli vicerunt, & illos de Sodoma, & Gomorrha spoliaverunt. Ipse verò Abraham spolia recuperavit, & Loth nepotem suum liberavit. Gen. 14.

Notandum: quòd in bello justo, non tenetur homo inimicis suis pugnam prædicere, vel eos præmonere. Imò licet etiam eis insidias tendere. Sicut patet per Abraham. Et Josue octavo, & decimo. Idem patet de Gedeone.

Contra Amalech, filios Israël impedire nitentem, misit Moyses Josue ad pugnandum. Ipse verò in propria persona non ivit, sed in oratione permansit, & plus fecit orando, quàm ille manibus feriendo. Exod. 17.

Filii Israël moti, valdè animosè aggressi sunt bellum, prohibente Moyse, contra Amalecitas, & Chananæos. Isti autem percutientes, & concidentes filios Israël, persecuti sunt usque Horma. Num. 14.

Rex Arad pugnavit contra filios Israël, & duxit inde prædam. Illi verò, voto se Domino postea obligantes, vicerunt eum, & urbes hostium subverterunt. Num. 21.

Ex præcepto Domini pugnantes filii Israël contra Madianitas, tantam victoriam habuerunt, quòd triginta duo millia virginum fuerunt in præda, Num. 31.

& tamen de populo Israël non fuerunt, nisi duodecim millia pugnatorum, de quibus nec unus quidem in prælio mortuus est.

Josue 6. Vociferante populo, & clangentibus tubis, sicut præceperat Josue, muri Hiericho corruerunt, & sic capta est civitas.

Josue 7. & 8. Occasione prævaricationis Achan, filii Israël fugati fuerunt ab illis de civitate Hai. Post expiationem autem peccati, ad præceptum Domini, capta fuit civitas, & subversa.

Josue 10. Cùm pugnaret Josue contra quinque reges, qui venerant ad destruendum Gabaonitas, misit Dominus super illos lapides magnos de cœlo, & multo plures de lapidibus mortui sunt grandinis, quàm quos gladiò percusserunt filii Israël. Tunc ad vocem Josue stetit sol per spatium unius diei, ut posset delere funditùs inimicos suos.

Ibidem. Notabile est autem: quòd licèt in acquisitione terræ promissionis dicatur, quòd Josue omnem terram percusserit cum regibus suis; & quòd præter Gabaon, omnes debellando ceperit: tamen legitur ibi: Dominus autem Israël pugnavit pro eo. Unde quamvis filii Israël manibus fortiter pugnarent, tamen DEO attribuebatur victoria.

Judic. 1. Post mortem Josue, filii Israël non leguntur iviſſe ad prælium, nisi priùs consulto Domino, sic iverunt. Et tradidit Dominus Chananæum, & Pherezæum in manus eorum.

Judic. 3. Multas gentes dimisit Dominus inter filios Israël, ut erudiret in eis Israëlem, & omnes qui non noverant bella Chananæorum, & discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.

Ibidem. Suscitavit Dominus Israëli salvatorem nomine Ahud, qui percussit Eglon regem Moab. Descenderúntque cum eo filii Israël, ipso in fronte gradiente, qui dixit ad eos: Sequimini me, tradidit enim Dominus inimicos nostros in manus nostras. Et percusserunt de Moabitis circiter decem millia.

Dixit

Dixit Debora ad Barach: Surge, hæc est dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas. Perterruitque Dominus Sisaram, & omnes currus ejus, ità ut omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet. Judic. 4.

Trecentis viris, qui manu ad os projicientes aquas biberunt, liberavit Dominus Israël, de manu Madian, & Amalech, qui erant in maxima multitudine tempore Gedeonis. Judic. 7.

Abimelech, filius Jeroboal ex concubina, interfecit septuaginta fratres super unum lapidem, ut solus posset dominari. Postea quædam mulier cerebrum ejus fregit, fragmen molæ jaciens super ipsum; dum obsideret turrim Sichem, reddidit illi Dominus malum &c. Judic. 9.

Transivit Jephthe ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus. Percussitque 20. civitates filiorum Ammon plagâ magnâ nimis. Judic. 11.

Ex magna fortitudine, quam dedit Dominus Samsoni, multas victorias obtinuit de Philistæis, qui tunc gravi servitute opprimebant filios Israël. Judic. 13.

Sexcenti viri de tribu Dan venerunt in Lais ad populum quiescentem, & securum, & percusserunt eos in ore gladii: urbémque incendio tradiderunt, nullo penitùs ferente præsidium, eò quòd procul essent à Sydone, & cum nullo hominum quicquam societatis, aut commercii. Judic. 18.

Licèt filii Israël justè moverentur contra filios Beniamin, & essent plures septuplum quàm illi: tamen ipsi fortitudine, & numero confidentes, bis fuerunt debellati. Postea verò coram Domino flentibus, & jejunantibus dixit eis Dominus: Cras tradam eos in manus vestras, & tunc plenam victoriam habuerunt de ipsis. Judic. 20.

Tempore Heli Sacerdotis, filii Israël debellati fuerunt à Philistæis: & postea quasi tentantes Deum, tulerunt arcam Domini secum, sperantes per eam 1. Reg. 4.

præsumptuosè victoriam habituros. Philistæi verò confortantes se mutuò, iterum vicerunt eos, & arcam Domini ceperunt in prælio.

Ibidem. Clamante ad Dominum Samuele pro filiis Israël, & sacrificium pro eis offerente, intonuit Dominus fragore magno super Philistæis, & cæsi sunt ab invicem inter seipsos, & fugati.

1.Reg.11. Cùm obsessi essent vici de Jabes Galaad à Nahas rege Ammonitarum, citò succurrit eis Saul. Nam cum multitudine bellatorum ingressus est castra, in vigilia matutina, & sic dispersi sunt inimici, ità, ut non relinquerentur in eis duo pariter.

1.Reg.14. Videns Jonathas filius Saul, stationem Philistinorum, dixit ad armigerum suum: Non est à Domino difficile salvare in multis, vel paucis. Et accidit quasi miraculum à DEO: fuit enim multitudo per eos prostrata, & huc illúcque diffugiens, ubique dispersa.

1.Reg.16. Ad mandatum Samuelis percussit Saul Amalech, & apprehendit Agag regem Amalech vivum, omne autem vulgus interfecit.

1.Reg.17. Mirabile duellum fuit inter David, & Goliath Gethæum gigantem. David enim erat puer ineptus, & sine militaribus armis: ipse autem confidens in Domino, prævaluit adversus gigantem armatum, fortem, & expertum: & hoc in funda, & lapide, in nomine Domini.

1.Reg.30 Audiens David, quòd Amalecitæ succenderunt Siceleg, & captivas duxerunt mulieres, consuluit Dominum, utrum deberet persequi latrunculos illos. Dixítque ei Dominus: persequere, & cum quadringentis viris debellavit eos, & prædam integram reduxit.

1.Reg.31. Post multas persecutiones iniquas, quas Saul commovit in David, Philistæi pugnaverunt adversus eum, totúmque pondus prælii versum est in Saul, ipse verò accipiens gladium, ex desperatione, irruit in eum. Mortuus est ergo Saul, & tres filii ejus, & universi viri ejus.

Cru-

Crudele bellum fuit inter 12. pueros David, & 12. ex parte Isboseth filii Saul, quando mutuò se occiderunt. 2.Reg.2.

Audierunt Philistæi, quòd David unctus esset in regem super Israël, & ascenderant universi, ut quærerent eum. Qui consuluit Dominum, & percussit eos. Alia vice accidit ei simile: Postea percussit iterum Philistæos, & tulit frœnum tributi de manu eorum. Item percussit Moab, & factus est ei serviens sub tributo. Item percussit regem Soba, & de Syria duodecim millia virorum. Servavítque DEUS David in omnibus, ad quæcunque profectus est. 2.Reg.5. & 8.

Videns Joab, quòd præparatum esset adversum se prælium, & ex adverso, & post tergum, dixit Abisai fratri suo: Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi adjutor. Si autem filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi: Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & civitate DEI nostri. Dominus autem faciet, quod bonum est in conspectu suo &c. Initò prælio fugerunt omnes adversarii. 2.Reg.10

Bellum inhonestum habuerat Absalon contra patrem suum David, & malè successit ei, & populo, qui eidem adhæsit: ut scias populum non posse proficere, qui malo principi injustè consentit. 2.Reg.18.

Benadab rex Syriæ cùm 32. regibus obsidebat Samariam, & victus fuit, & fugatus ad præceptum Domini, pugnantibus contra eorum exercitum tantùm pueris principum provinciarum, qui erant 232. Sequenti anno venit iterum Benadab cum maximo exercitu, & ceciderunt centum millia peditum de Syris in die una, pro eo, quòd dixerant: DEUS est montium Dominus, & non est DEUS vallium. 3.Reg.20.

Cùm essent congregati rex Juda, & rex Israël, & rex Edom, ut pugnarent contra Moab, & magnum 4.Reg.3.

gnum paterentur aquæ defectum, dixit Elisæus Propheta: Alveus iste replebitur aquis. Insuper tradet Dominus Moab in manus vestras.

4.Reg.6. & 7. Samaria tamdiu obsessa fuit à rege Syriæ, quòd vendebatur caput asini 8. siclis argenteis, & quarta pars cadi stercoris columbini 5. argenteis. Sed ad verbum Elisæi, fugati sunt Syri, & ex hoc habuerunt maximam rerum abundantiam.

4.Reg.14. Amasius rex Juda, obtentâ victoriâ de Edom misit ad regem Israël, provocans eum ad prælium, sed fuit ab illo fugatus, & magna pars murorum civitatis Hierusalem destructa fuit, occasione elationis ipsius Amasiæ.

Eodem. Licèt Jeroboam filius Joas rex Israël esset malus, & populus ejus, tamen Dominus per manum illius salvavit eos, & multa bona fecit eis.

4.Reg.15. Bene, & mirabiliter pugnavit Dominus pro Ezechia rege Juda, adversus Senacherib regem Assyriæ, quando Angelus Domini una nocte percussit de exercitu Senacherib 185000. Et ipse pòst à filiis suis occisus fuit.

2.Par.13. Abia rex Juda cum exercitu suo, videns: quòd instaret bellum ex adverso, & post tergum, clamavit ad Dominum, & Sacerdotes canere tubis cœperunt, & perterruit Dominus Jeroboam, & omnem Israël. Et ceciderunt vulnerati ex Israël 50000. virorum fortium. Humiliatique sunt filii Israël vehementissimè, & confortati filii Juda, eò quòd sperassent in Domino.

2.Par.14. Egressus est contra Asa regem Juda Zara Æthiops cum exercitu suo decies centenis millibus, & invocavit Asa Dominum, dicens: Domine non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, aut in multis &c. Sequitur: Exterruit itaque Dominus Æthiopes, & ruerunt usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt.

2.Par.20. Congregati sunt filii Moab, & Ammon, ut pugnarent contra Josaphat. At ille contulit se totum

tum ad rogandum Dominum. Cúmque cœpissent cantores Domini laudes canere, vertit Dominus insidias adversariorum in seipsos, & mutuis vulneribus ceciderunt.

Phacee filius Romeliæ rex Israël, occidit de Juda centum viginti millia, una die omnes viros bellantes, eò quòd reliquissent Dominum. 2.Par. 28.

Victoriam, quam dedit Dominus populo Israël per manum Judith, famosa est, ut in lib. Judith quasi per totum. Unde ipsa dixit, occiso Holoferne: Dominus omnipotens nocuit eum, & tradidit in manu fœminæ, & confudit eum. Judith.16

Videns Judas Machabæus exercitum Seronis magnum, sociis timentibus ait: Facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu DEI cœli liberare in multis, vel in paucis &c. Et contritus est Seron, & exercitus. 1.Mach.3.

Idem Machabæus cum tribus millibus virorum, qui tegumenta, & gladios non habebant, debellavit Georgiam cum magno exercitu. 1.Mach.4.

Venit Bacchides in virtute multa, ut pugnaret contra Jonatham, & dixit Jonathas ad suos: pugnemus, & clamemus in cœlum, ut liberemur de manibus inimicorum nostrorum, quod, & factum est. 1.Mach.9.

De Juda Machabæo satis notabile est: quòd cùm toties pugnaverit, & tot probitates fecerit, quandocunque pugnaturus oravit, & Divinum auxilium invocavit, semper vicit. In duobus autem præcipuis bellis orâsse non legitur. Unum fuit contra Antiochum Eupatorem: Secundum contra Bacchidem, & Alcimum, & tunc ipse in prælio cecidit. 1.Mach.6

TITULUS XVIII.

Benedictio, quâ Deus homini benedicit.

CReavit Dominus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, masculum, & fœminam Gen. 1.

nam, creavit illos, benedixítque eis, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.

Gen. 9. Benedixit Dominus Noë, & filiis, & dixit ad illos: Creſcite &c. terror veſter &c. ſit ſuper cuncta animalia, &c.

Gen. 12. Dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erísque benedictus.

Gen. 17. Super Iſmaël exaudivi te, dixit Dominus ad Abraham: & ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde.

Gen. 26. Dominus benedixit Iſaac, & locupletatus eſt, & ibat proficiens.

Gen. 30. Loquens Jacob Domino, & avunculo ſuo Laban, ait: Modicum habuiſti, antequam venirem ad te, & nunc dives es effectus, benedixítque tibi Dominus ad introitum meum.

Gen. 32. Jacob in oratione luctans cum Angelo ait: Non dimittam te, nisì benedixeris mihi: ſequitur: Et benedixit ei in eodem loco.

Gen. 39. Benedixit Dominus domui Ægyptii propter Joſeph, & multiplicavit tam in ædibus, quàm in agris cunctam ſubſtantiam ejus.

2. Reg. 6. Habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.

Job. 1. Operibus manuum ejus benedixiſti, & poſſeſſio ejus crevit in terra.

Job. 42. Dominus benedixit Job in noviſſimis magìs, quàm in principio.

Luc. 24. Aſcenſurus in cœlum Salvator, eduxit diſcipulos ſuos in Bethaniam, & elevatis manibus ſuis benedixit eis.

Matth. 25. Deſideranda eſt illa benedictio, quam dabit Dominus electis in die Judicii, quando dicturus eſt: Venite benedicti patris mei.

TITU-

TITULUS XIX.

Benedictio, quâ homo benedicit Deo.

Melchisedech rex Salem occurrens Abraham revertenti à cæde, ait: Benedictus Dominus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Gen. 14.

Obtentâ victoriâ de Sisara, Debora, & Barach cecinerunt dicentes: Qui sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum, benedicite Domino. Judic. 5.

Post victoriam quam dedit DEUS David de Goliath Philistæo, dicitur fecisse psalmum: Benedictus Dominus DEUS meus, qui docet manus meas ad prælium. 1. Reg. 17.

Cùm audisset Hyran verba Salomonis, lætatus est valde, & ait: Benedictus DEUS, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc. 3. Reg. 5.

Ædificato templo, dixit Salomon coram universo populo: Benedictus DEUS Israël, qui locutus est ex ore suo ad David patrem meum. 3. Reg. 8.

Fecit David Principem ad confitendum Domino Asaph, & fratres ejus: sequitur, Benedictus Dominus DEUS Israël ab æterno usque in æternum, & dicat omnis populus, Amen. 1. Par. 16.

David rex lætatus est gaudio magno, & benedixit Domino coram universa multitudine. Eodem.

Videns Esdras animum Artaxerxis bonum erga Judæos, dixit: Benedictus DEUS patrum nostrorum, qui dedit in corde regis, ut glorificaret domum Domini. 1. Esd. 7.

Completô murô civitatis Hierusalem sub Esdra, & Nehemia, dixerunt Levitæ: surgite, & benedicite DEO nostro ab æterno, & usque in æternum. 2. Esd. 9.

Cùm aperuisset Esdras librum legis, stetit omnis populus, & benedixit Esdras Domino DEO voce magna, & respondit omnis populus, Amen. 2. Esd. 8.

Sara filia Raguelis, cùm compleret orationem, dixit: Benedictum est nomen tuum DEUS patrum nostrorum. Tob. 3.

Fili-

Tob. 4. Filium ſuum inſtruens Tobias dixit inter cætera: Omni tempore benedic DEUM, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat.

Tob. 8. Raguel, & uxor ejus videntes, quòd Tobiam juniorem non læſerat dæmonium, dixerunt: Benedicimus te Domine DEUS Iſraël, quia non contigit nobis, quemadmodum putabamus.

Tob. 12. Sollicitè monuit Tobiam, & filium ejus Raphaël: ut benedicerent DEUM cœli, & narrarent omnia mirabilia ejus.

Tob. 16. Recuperato viſu, & auditis ſermonibus Raphaëlis, aperiens Tobias os ſuum, benedixit Dominum, & dixit: Magnus es Domine in æternum &c.

Judith. 13 Ozias Princeps populi Iſraël, videns Judith cum capite Holofernis, dixit: Benedictus Dominus, qui creavit cœlum & terram.

Dan. 2. Danieli nocte per viſionem myſterium revelatum eſt, & benedixit DEO cœli, & ait: Sit nomen Domini benedictum à ſæculo, quia ſapientia, & fortitudo ejus ſunt, & ipſe mutat tempora, & ætates.

Dan. 3. Ananias, & ſocii ejus miſſi in caminum ignis ambulabant in medio flammæ laudantes, & benedicentes Domino. Et rex Nabuchodonoſor poſtea visô tantô miraculô, ait: Benedictus Deus Sidrach, Miſach, &c.

1. Mach. 4. Obtentâ de hoſtibus victoriâ, & ædificato altari ſub Juda Machabæo, filii Iſraël adoraverunt, & benedixerunt in cœlo DEUM, qui proſperavit eos.

2. Mach. 3. Propter Heliodorum volentem ſpoliare templum Domini, divina virtute terribiliter flagellatum, Benedixerunt omnes DEUM, quia magnificabat locum ſuum &c.

2. Mac. 11 Machabæus, & qui cum eo erant, videntes auxilium à DEO ſibi miſſum, benedixerunt ſimul miſericordem Dominum, & convaluerunt animis.

Nato

Nato Joanne Baptiſta, apertum eſt os Zachariæ, & prophetavit dicens: Benedictus Dominus DEUS Iſraël. Luc. 1.

Cùm inducerent puerum JEſum parentes ejus in templum, Simeon accepit eum in ulnas, & benedixit DEUM dicens: Nunc dimittis ſervum tuum Domine &c. Luc. 2.

Poſt aſcenſionem Domini, erant in templo laudantes, & benedicentes DEUM. Luc. 24.

Tribulationes patiens Paulus dicebat: Benedictus DEUS, & pater Domini noſtri JEſu Chriſti. 2. Cor. 1.

Similiter Petrus: Benedicere DEUM, eſt quaſi opus, vel officium paradiſi. 1. Pet. 1.

Omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & agno, Benedictio, & honor, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Apoc. 5.

TITULUS XX.

Benedictio, quâ homo homini benedicit.

MElchiſedech rex Salem occurrit Abrahæ benedicens, & ait: Benedictus Abraham DEO excelſo &c. Gen. 14.

Benedixit Iſaac Jacob dicens: Det tibi DEUS de rore cœli, & pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini. Gen. 28.

Cùm Eſau ejulatu magno fleret, Iſaac dixit ad eum: In pinguedine terræ, & rore cœli deſuper erit benedictio tua, vivens in gladio, & fratri tuo ſervies. Ibidem.

Introduxit Joſeph patrem ſuum Jacob ad Pharaonem, qui benedicens illi, & interrogatus ab eo, quot ſunt dies annorum vitæ ſuæ. Gen. 47.

Benedixit Jacob filio ſuo Joſeph, & ait: DEUS, in cujus conſpectu ambulaverunt patres mei, benedicat pueris iſtis; loquebatur de Manaſſe, & Ephraim, quos pater eorum rogaverat per patrem benedici. Poſtmodum etiam benedixit Ja- Gen. 49.

Jacob ſingulis filiis ſuis benedictionibus propriis.

Num. 6. Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens, Sic benedicetis filiis Iſraël: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, oſtendat tibi Dominus faciem ſuam.

Levit. 9. Extendens Aaron manum ad populum benedixit eum.

Num. 23. Dixit Balaam filius Beor ad Balach: ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo.

Deut. 24. Non pernoctabit apud te pignus pauperis, ſed ſtatim reddes ei ante ſolis occaſum, ut dormiens in veſtimento ſuo benedicat tibi.

Deut. 33. Moyſes homo DEI benedixit filiis Iſraël ante mortem ſuam, & ait: Dominus de Sina venit, & de Seir ortus eſt nobis.

Joſue 22. Vocavit Joſue Rubenitas, & Gadditas, & dimidiam tribum Manaſſen, dixítque ad eos: Feciſtis omnia, quæ vobis præcepit Moyſes, benedixítque eis, & dimiſit eos.

Judic. 5. In cantico pro victoria habita de Siſara dicitur: Benedicta inter mulieres Jahel uxor Aber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo.

Ruth. 2. Noëmi videns Ruth nurum ſuam, à Booz fuiſſe honoratam, dixit: Benedictus ſit à Domino, quoniam eandem gratiam, quam præbuerat vivis, ſervavit mortuis.

Ruth. 3. Commendaverat Booz Ruth, quæ ad DEUM Iſraël confugerat, & ait: Benedicta es à Domino filia, quia priorem miſericordiam poſteriore ſuperâſti.

1. Reg. 2. Heli benedixit Elcanæ, & uxori ejus, dixítque ei: Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac pro fœnore, quod commodâſti Domino.

1. Reg. 23. Nuntiaverunt Ziphæi Sauli, quòd David latitaret apud eos: Dixítque Saul: Benedicti vos à Domino, quia doluiſtis luctum meum.

2. Reg. 2. Nuntiatum eſt David, quòd viri Jabes Galaad ſepeliſſent Saul, dixítque ad eos: Benedicti vos à Do-

Domino, qui feciſtis hanc miſericordiam cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum.

Convertit rex Salomon faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſraël: Omnis autem Eccleſia Iſraël ſtabat. 3. Reg. 8.

Cùm complêſſet David, offerens holocauſta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini, & diviſit univerſis per ſingulos, à viro uſque ad mulierem tortam panis. 2. Par. 16.

Apprehendens Raguel dextram filiæ ſuæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: DEUS Abraham, Iſaac, Jacob vobiſcum ſit, & ipſe conjungat vos, impleátque benedictionem ſuam in vobis. Oſculatus eſt Tobiam, & plorans ſuper collum ejus dixit: Benedictio tibi ſit fili mi, quia boni, & optimi viri filius es. Tob. 7.

Gabelus ingreſſus domum invenit Tobiam, & flevit dicens: Benedicat te Dominus Iſraël, quia filius es viri optimi, & juſti, timentis DEUM. Tob. 9.

Ozias Princeps populi Iſraël dixit ad Judith: Benedicta es tu filia à Domino DEO excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram. Et poſtea univerſi Presbyteri omnes una voce dicentes: Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſraël &c. Judith. 13. Judith. 15.

Factum eſt cùm audiret ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exclamavit, & dixit: Benedicta tu inter mulieres &c. Luc. 1.

TITULUS XXI.

Blaſphemia.

Filius mulieris Iſraëlitidis præcepto Domini lapidatus fuit in deſerto, pro eo, quòd nomen Domini blaſphemavit. Lev. 24.

Dixit Heli filiis ſuis: Si peccaverit vir in virum, placari poteſt ei Dominus: ſi autem in DEUM peccaverit, quis orabit pro eo? 1. Reg. 2.

Nathan Propheta, multum exaggeravit peccatum 2. Reg. 12.

David, ex eo, quòd blasphemare fecerat inimicos nomen Domini.

2.Reg.20. Vir DEI dixit ad regem Israël: Quia dixerunt Syri, DEUS montium, est Dominus eorum, & non est DEUS vallium, dabo omnem multitudinem grandem hanc in manu tua.

3.Reg.21. Videtur, quòd majus peccatum nequivit excogitare nequissima Jezabel, ad citò lapidandum Naboth, quàm blasphemiam, quam illi fecit imponi.

4.Reg.19. Multum displicuerunt DEO blasphemiæ, quas dixerunt servi Sennacherib Regis Assyriorum; unde percussit Angelus Domini centum octoginta millia hominum de exercitu suo.

4.Reg.18. Non expedit simplices homines contra blasphemias infidelium disputare; propter hoc prohibuit Ezechias, ne populus imperitus blasphemiæ Rabsacis Assyrii responderet.

Isa. 36. Holofernes indignatus, eò quòd Achior potentiam
Judith. 6. DEI cœli commendaverat, dixit ad eum: Quoniam prophetâsti, quòd gens Israël defendatur à DEO suo, ostendam tibi, quòd non est Deus, nisi Nabuchodonosor, cùm percusserimus eos omnes, quasi hominem unum.

Jerem. 44 Cùm argueret Jeremias populum, pro eo quòd sacrificabant omnes diis alienis, responderunt: Sermonem Domini non audiemus, sed sacrificabimus reginæ cœli, sicut fecimus nos, & patres nostri, & bene nobis fuit, quia malum non vidimus.

Dan. 3. Nabuchodonosor rex Babylonis dixit sociis Danielis, qui statuam auream noluerunt adorare: Quis est DEUS, qui eripiat vos de manu mea?

1.Mach.1. Quidam iniqui ex Israël in diebus Antiochi suaserunt dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum gentibus. Quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala.

2.Mac.10 Obsidente Juda Machabæo quoddam præsidium, qui-

quidam gentiles intus existentes, verba blasphemiæ nefanda jactabant, tamen cito post ea concremati fuerunt.

Dicentibus Judæis Nicanori: Est Dominus potens in cœlo, qui jussit agi septimam diem solemnem, ille infelix ait: Et ego potens sum super terram, qui impero, sumi arma, & negotium regis impleri. 2.Mac. 15

Cùm ejecisset dæmonium cœcum, & mutum, stupentibus turbis, Pharisæi blasphemabant, dicentes: Hic non ejicit dæmones, nisi in Belzebub principe dæmoniorum. Matth. 12.

Pendente Domino in cruce, prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, &c. Matth. 27.

Contradicebant Judæi his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes, ac contradicentes. Act. 13. & 18.

TITULUS XXII.

Bonitas Dei erga suos servos.

ABraham loquens cum Domino, & petens, ut parceret Sodomitis, mirâ fiduciâ utebatur: & visus fuisset apud homines importunus; sed Dominus ei semper benignè respondit: & quod petebat, concessit. Gen. 18.

Fugienti Jacob iram fratris, Dominus clementer apparuit: & tunc ipsum redeuntem ad fratrem suum ab insecutione soceri sui liberavit. Gen. 31. & 32.

Magnâ fiduciâ usus est Jacob, orando Dominum dicens: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Gen. 32.

Ait Dominus ad Moysen: Cerno, quòd populus iste duræ cervicis sit; dimitte me, ut irascatur furor meus contrà eos. Quasi diceret: tu me tenes, nec possum hos peccatores conterere, nisi dimittas me. Exod. 32.

Loquebatur Dominus ad Moysen, sicut loqui solet homo ad amicum suum, ipsúmque ab æmulis suis, & detractoribus defendebat. Exod. 33. Num. 12. & 15.

Josue 10. Obedivit Dominus voci Josue dicenti: Sol contra Gabaon non movearis.

Num. 23. Balach vocavit Balaam, ut malediceret filiis Israël: sed Dominus è contrario per illum benedixit eis, ut recitatur Josue 24.

Judic. 6. Gedeon à Domino bis petiit signum in vellere, utrum deberet victoriam de hostibus obtinere.

1. Reg. 8. Mirum fuisse dicitur, de hoc, quòd Dominus non fuit indignatus in abjectione sui: sed contemptu servorum Dei ipse reputavit se contemni, ut patet in Samuele: non te abjecerunt, sed me, dicit Dominus.

2. Reg. 7. Nota etiam: quàm piè locutus sit Dominus ad Nathan de David, & domo ejus in futurum.

3. Reg. 12 Quamvis posteri David multipliciter, & graviter peccaverunt: tamen opera ejus bona frequenter memorantur: & propter illa multoties pepercit Dominus peccatis illorum.

3. Reg. 17 & 19. Ex præcepto Domini corvi deferebant panem, & carnes Eliæ; & postea Angelus Domini panem, & aquam eidem ostendit.

2. Par. 30. Ezechias rex Juda dixit: Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum, & non imputabit eis, quòd minùs sanctificati sunt.

Tob. 5. Misit Dominus Angelum suum, qui Tobiam juniorem duxit, & reduxit: dæmonium ab ejus uxore compescuit: gaudium parentibus ejus fecit: seniorem Tobiam à cæcitate curavit: & totam domum ejus omnibus bonis replevit.

Jerem. 7. Videbatur quasi Dominus timere offensam Jeremiæ, cùm vellet populum propter peccata sua omnino delere; dicebat enim cap. 7. Projiciam vos à facie mea, &c. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi, quoniam non exaudiam te.

Dan. 3. Planum est: quòd DEUS est cum servis suis in tribu-

tribulatione: Unde Nabuchodonosor vidit cum Azaria, & sociis suis similem filio Dei in fornace candenti.

Cùm Daniel esset in Babylone in lacu leonum, misit ei de longinquo, scilicet de Judæa, prandium per Habacuc Prophetam. Dan. 14.

Exaudivit Dominus vocem Susannæ: & quia per impudicos senes Presbyteros injustè fuerat condemnata, per continentem puerum fuit justô judiciô liberata. Dan. 13.

Præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam; qui tamen propter inobedientiam videbatur justè meruisse pœnam. Jonæ 2.

Machabæus, & qui cum eo erant, pugnantes contra Timotheum, habuerunt manifestè de cœlo auxilium; apparuerunt enim viri quinque in equis, &c. Posteà verò alia vice euntes ad prælium contra Lysiam, apparuit præcedens eos eques in veste candida armis aureis hastam vibrans. 2. Mac. 10. & 11.

Mira erat benignitas in Salvatore, qui circuibat sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem: quod nisi fecisset, multi infirmi accedere ad eum non potuissent. Matth. 4. Luc. 8.

Leproso dicenti: Domine, si vis, potes me mundare, respondit, & benignè fecit; extendens enim JEsus manum, tetigit dicens: Volo, mundare. Sacerdotes autem hujusmodi homines habebant horrori. Matth. 8.

Statim post vocationem Matthæi discubuit Dominus in domo ejus. Matth. 9.

Cùm secessisset Dominus in desertum, vidit turbam multam, & misertus est ejus, & curavit languidos eorum: vespere autem facto, dixerunt discipuli: Dimitte turbam; JEsus autem tanquam liberalissimus, ait illis: Date eis vos, manducare. Marc. 5.

Petrus incipiens mergi, clamavit dicens: Domine salvum me fac, & continuò JEsus extendens manum apprehendit eum. Matt. 14.

Luc. 7. & 19. Mariam Magdalenam piè defendit Dominus contra Phariſæum, malè de ea cogitantem: contra Marc. 14. ſororem propriam de illa conquerentem: Item, & contra diſcipulos propter effuſionem unguenti in eam fremientes.

Luc. 15. Ineffabilis pietas DEI multum oſtenditur in exemplo de filio prodigo, ubi dicitur: Cùm adhuc longè eſſet filius, vidit illum pater ſuus, & miſericordiâ motus eſt: & occurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum. Idem petebat fieri, ſicut unus de mercenariis. Pater interrupit verba, & recepit eum in filium.

Joan. 9. De facili Dominus recipit illos, quos mundus ejicit. Unde cæcus ille natus, à Domino illuminatus, poſtquam fuit à Synagoga ejectus, ſtatim à Domino receptus eſt.

Luc. 19. Mira fuit Chriſti benignitas, quando ad domum Publicani Zachæi, qui eum videre cupiebat, ſeipſum invitavit, & ejuſdem domui benedixit.

Joan. 13. Cùm protuliſſet Dominus indiſtinctè, unus ex vobis me tradet, ſequitur: Cùm recubuiſſet Joannes ſuper pectus JEſu, ait: Domine quis eſt? ecce quàm magna benignitas, & familiaritas.

Act. 2. Promiſit Salvator diſcipulis, de ſuo receſſu contriſtatis, quia Pater alium Paracletum daret eis; quòd adimpletum optimè die Pentecoſtes, quando Spiritus Sanctus eos taliter roboravit, conſolatus eſt, illuſtravit, & docuit.

Joan. 18. Venientibus ad capiendum Dominum miniſtris Pontificum, dicitur eis: Si me quæritis, ſinite hos abire. Sciebat enim, quòd non erant parati ad martyrium ſuſtinendum. Idcirco clementer infirmitati eorum condeſcendens, voluit, quòd parceretur eis.

Luc. 23. Petiit latro, ut Dominus meminiſſet ejus, cùm veniſſet in regnum ſuum. Dominus autem plus conceſſit, quàm ille peteret, dicens: hodie mecum eris in Paradiſo.

Ma-

Magna fuit Christi pietas, qui nec Petrum, qui ter eum negavit, repulit, sed benignè respexit: nec Thomam in dubitatione reliquit, sed se palpandum, manifestè exhibuit. Luc. 22. Joan. 20.

Item Paulum in actu persecutionis existentem, excæcavit, prostravit, vocavit, & convertit. Act. 9.

Dum lapidaretur Stephanus, vidit Dominum in cœlis stantem, tanquam paratum ad ipsum fortiter adjuvandum. Act. 7.

Beato Joanni in Insula Pathmos exulanti multam benignitatem Dominus ostendit, apparendo ei, & Angelum suum mittendo, qui eum multiplici revelatione consolatus est. Apoc. 1. & per totum.

TITULUS XXIII.

Boni latentes inter malos.

QUamvis scriptum sit: Omnis caro corruperat viam suam; tamen dixit Dominus ad Noë: Te vidi justum coram me in generatione hac. Gen. 7.

Loth justus habitavit in medio Sodomorum. Gen. 13.

Joseph in Ægypto castam, & fidelem vitam duxit. Gen. 39.

Apparuit Dominus Moysi in terra Madian, cùm oves soceri sui Jethro pasceret in deserto. Exod. 3.

Samuel inter filios Heli pessimos, Sanctus, & innocens fuit. 1. Reg. 2.

Sub Achab, & Jezabel Elias omnes, se solo excepto, reputabat idololatras: sed dixit ei per responsum Dominus: Relinquam mihi 7000. virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal. De quo etiam ad Rom. 11. An nescitis, &c. 3. Reg. 19

Tobias natus fuit ex tribu Nephthali sub regno Samariæ, in quo ferè omnes putabantur idololatriâ, & vitiis diversis infecti. Unde iste in captivitate positus viam veritatis non deseruit. Tob. 1.

Mardochæus erat visus, ubi quasi omnes adorabant Esther 3. & 5.

bant Aman superbissimum, ipse verò Mardochæus genua non flectebat.

Job. 2. Sanctus Job gentilis fuit, & de Esau dicitur: descendisse, quem tamen constat fide, & moribus mirabiliter claruisse, qui de seipso dicebat: Frater fui draconum, & socius struthionum.

Jerem. 43. Hieremias Propheta erat cum populis, qui remanserant in Judæa post destructionem Hierusalem, qui pro ipsis orabat, & ipsis voluntatem Domini monstrabat. Illi verò dicebant: Mendacium tu loqueris, non te misit Dominus, sed Baruch incitabat te adversus nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum.

Ezech. 2. Dixit Dominus Exechieli: Tu fili hominis, ne timeas eos, quoniam increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.

Dan. 3. 6. & 14. Daniel, Ananias, Azarias, Misaël habitaverunt cum Chaldæis idololatris, qui eos ad idololatriam inducere, & à cultu veri DEI retrahere laboraverunt.

Dan. 13. Susanna fuit castissima in Babylone, ubi senes Presbyteri erant impudici, & judices iniqui.

2. Mac. 3. Videbatur tempore Antiochi Epiphanis, quòd Judæi erant ad ritum gentium translati, sed inventi sunt Mathathias, & filii ejus, Eleazarus, & multi alii, in lege DEI valde stabiles, & firmi.

Matth. 13. Commendans Dominus fidem, & devotionem Centurionis de Capharnaum dixit: Quòd non invenerat tantam fidem in Israël.

Joan. 3. Nicodemus princeps Judæorum venit ad JEsum nocte, & planè confessus est. Rabbi, scimus quia à DEO venisti Magister.

Joan. 20. Postea crucifixô Dominô, venit ad sepeliendum eum portans 100. libras unguenti pretiosi.

Marc. 15. Joseph nobilis decurio ab Arimathia discipulus erat JEsu, occultus autem propter metum Judæorum: depositò tamen metu, audacter intravit ad Pilatum, & devotam petitionem fecit, petens corpus JEsu ab indevoto tyranno. Ho-

Honorabilis Doctor Gamaliel legis erat Phariſæus, & dedit bonum, & nobile conſilium pro Apoſtolis, Principibus Sacerdotum. Act. 5.

Vir quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius, religioſus, & timens DEUM cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas plebi, & deprecans Dominum ſemper. Act. 10.

TITULUS XXIV.

Caſtitas. C

QUamdiu primi parentes in Paradiſo fuerunt, virgines extiterunt; ſed ipſis ejectis dicitur: Adam cognovit Evam uxorem ſuam. Gen. 4.

Cùm Sichem violâſſet Dinam, filiam Jacob, fratres ejus iratı ſunt valdè, eò quòd fœdam rem operatus eſſet in Iſraël, & violatâ filiâ Jacob, rem illicitam perpetrâſſet. Tandem, & violatorem, & patrem ejus, & eorum populum occiderunt. Gen. 34.

Nota: quòd hoc fuit antè legem ſcriptam ſub lege naturæ; quantum ergo ſub lege gratiæ virginitas honorari debet, & ſtuprum puniri? Virginitatis commendatio.

Quamvis Joſeph eſſet ſervus emptitius, & elegantis formæ juvenis, ſine uxore; tamen ſollicitatus à Domina ſua recuſavit ſtuprum, & maluit, offendere eam, & in carcerem trudi, quàm perdere caſtitatem. Gen. 39.

Judas, qui caſtus non erat, deteſtatus eſt fornicationem Thamar. Gen. 38.

Poſt debellationem Madianitarum factam per Phinees, & alios pugnatores, juſſit Moyſes mulieres corruptas jugulari, & virgines reſervari. Num. 31.

Mundi eſſe debebant, maximè à mulieribus, qui panes ſacerdotales comedebant. 1. Reg. 21.

Quando mulier Sunamitis hoſpita Eliſæi volebat ei loqui, mittebat ad eam Eliſæus puerum ſuum, quaſi vitans colloquia mulierum. 4. Reg. 4.

Tob. 3. Sara in oratione dicebat: Tu scis, Domine, quia nunquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia.

Judith, 8. Mortuô virô suô Judith alium nescivit, & semper castitatem amavit. Sed nota: quid faciebat; quia cum puellis suis clausa manebat, vel morabatur, & habens cilicium super lumbos suos, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domûs Israël.

Dan. 13. Susanna graviter pulsata fuit ab illis senibus, sed suæ castitati nec famam, nec vitam præponendam esse putavit.

Matth. 25. Ad hæc: nullus de sua castitate confidat, secundum id, quod de virginibus evangelicis fuerunt tot fatuæ, quot prudentes.

Luc. 1. Beata Virgo ab Angelo venerabiliter, salutata, non est oblita voti, & propositæ castitatis: licèt Angelus promitteret ei, quòd ex ea filius altissimi nasceretur.

Matth. 22. Per hoc quòd Salvator dixit: Quia in illo sæculo neque nubent, neque nubentur, quia virgines illi vitæ beatæ specialiter appropinquant.

Act. 6. Castitatis argumentum fuit in beato Stephano: quia ipse ab Apostolis fuit deputatus ad ministerium, vel custodiam mulierum.

* TITULUS XXV.

Choreæ.

Exod. 32. v. 6. 28. FIlii Israël ducentes choreas, DEUM gravissimè offendunt, & terribilem pœnam sibi attrahunt.

Judic. 21. 21. Filii Benjamin rapiunt virgines, ducentes choreas in solemnitate Domini.

Tob. 3. 17. Sara uxor Tobiæ junioris nunquam cum ludentibus miscuit se: neque eorum, qui in levitate ambulant, particeps fuit.

Gen. 34. 1. &c. Dina sola ex curiositate egressa è domo paterna, virginitatem perdit.

Mi-

Minatur DEUS filiæ Jerusalem: pro eo, quòd plausisti manu, & percussisti pede, & gavisa es ex toto affectu: idcirco ecce ego extendam manum meam super te, &c. Ezech. 25 6.

Saltus filiæ Herodis caput, & vitam abstulit Joanni Baptistæ. Matth. 14. 6.

Notat S. Chrysostomus: quòd in nuptiis Abraham, Isaac, Jacob, & aliorum Sanctorum nulla mentio unquam fiat de choreis: sed tantùm de laude DEI, gratiarum actione, & lætitia spirituali.

TITULUS XXVI.

Compassio erga proximum.

Audiens Abraham, captum esse Loth, nepotem suum, celeriter, viriliter succurrit ei. Gen. 14.

Ruben, & Judas resistebant cæteris fratribus, volentibus occidere Joseph; quamvis non reduxerint eum ad patrem: tamen minùs malè actum est ei. Gen. 37.

Gedeon compatiens sociis fugatis, petivit panes pro eis. Judic. 8.

Licèt filii Benjamin filios Israël gravissimè offendissent: propter illorum tamen excidium omnes elevata voce, ululatu magno fleverunt. Judic. 21.

Lugebat Samuel Saul: licèt sciret eum à DEO projectum. 1. Reg. 15.

Compatiens David lassis sociis, quia ad bellum ire non poterant, constituit, quòd æqua pars esset descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas. 1. Reg. 30.

Doluit David de occisione Absalon, licèt ille multùm offendisset eum. Sed sciebat David, eum in anima fuisse damnatum. 2. Reg. 18

Elias benignè accepit verbum mulieris satis durum, & pro filio ejus mortuo, dolori illius compatiens, efficaciter oravit. 3. Reg. 17

Cùm

3.Reg. 18 Cùm Jezabel occidissèt Prophetas Domini, Abdias abscondit centum ex eis, & pavit eos diebus multis.

4.Reg.4. Piè compassus fuit Elisæus viduæ debitis obligatæ, & augmentavit ei modicum olei, quod habebat.

4.Reg.8. Non solùm pro præsentibus malis compatiendum est proximo, sed etiam futuris. Unde Elisæus videns Azahel, qui mala facturus erat filiis Israël, cœpit flere.

1.Par. 23. Cùm cepissent filii Israël de viris Juda ducenta millia mulierum, & puerorum, pepercerunt eis, & vestitos, atque refectos ad propria remiserunt.

2.Esd.1. & 2. Audiens Neemias miserabilem statum civitatis Hierusalem, flevit diebus multis, & tandem consilium adhibuit, & auxilium opportunum.

Tob. 1. & 2. Cùm regnaret Sennacherib, & filios Israël exosos haberet, Tobias pergebat quotidiè per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, esurientes alebat, nudis vestimenta præbebat, & mortuis, atque occisis sepulturam sollicitus adhibebat.

Job. 29. Magnam compassionem beatus Job habebat ad proximos, qui dicebat: Auris audiens beatificabit me, eò quòd liberâssem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adjutor: benedictio pupilli super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.

Esther 7. Nunciatâ reginæ Esther sententiâ crudeli, contra populum suum latâ, non aliter sumpsit negotium, quàm si fuissèt una de populo: licèt essèt secura de tali sententia, tanquam sponsa regis dilecta.

Job. 2. Audientes tres amici Job omne malum, quod accidissèt ei, venerunt, ut consolarentur eum. Sed cùm non intelligerent causam suæ afflictionis, fuerunt ei postea onerosi.

Isa. 21. Non solùm justis in afflictione positis compatiendum est, sed etiam peccatoribus, & justis. Unde dicebat Isaias: Propter destructionem Baby-

lo-

lonis, repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parturientis.

Videns in spiritu idem calamitatem superventuram populo suo dicebat: Recedite, amarè flebo. Nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei. Isa. 22.

Dolens Abdemelech Æthiops, quòd Jeremias Prophetа missus erat in lacum leonum, in quo non erat aqua, sed lutum, procuravit apud regem, ut extraheret illum. Jerem. 38.

Cùm scripsisset Baruch verba comminationis ex ore Jeremiæ, dixit: Væ mihi misero, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo. Et tamen dicebat populus: quòd Baruch incitaret Jeremiam adversus eos, ut traderentur in manus Chaldæorum. Jer. 43. 45

Cùm revelâsset Dominus Ezechieli peccata, quæ populus Israël faciebat, & pœnas, quas passurus erat, fuit amaricatus, tristis, & gemebundus. Ezec. 3. 9.

Rex Darius sciens Danielem positum in lacum leonum, præ dolore dormivit incœnatus, cibíque non sunt illati coram eo, insuper, & somnus recessit ab eo. Dan. 6.

Magnum dolorem habuit Onias sacerdos, quando vidit templum per Heliodorum debere spoliari, & depositа viduarum, & pupillorum auferri. 2. Mach. 3

Antiochus rex nobilis, licèt specialiter esset malus, tamen audiens Oniam summum sacerdotem iniquè fuisse occisum, flexus ad misericordiam, lachrymas fudit. 2. Mach 4

Accedentes discipuli ad Dominum, rogabant eum pro muliere Chananæa dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Matth. 15.

Contra nolentes compati proximo, & ex corde remittere, inducit Dominus parabolam de servo nequam, cui mille talenta fuerunt remissa, & noluit dimittere conservo suo centum denarios. Matth. 18.

Ad

Matth.25. Ad hoc, quòd nemo libenter compatiatur proximo, & misereatur ipsius, multum facit, quòd specialiter fiet disputatio de operibus misericordiæ in judicio.

Luc. 7. Cùm vidisset Dominus flentem viduam, cujus filius efferebatur defunctus, misericordiâ motus super eam, dixit: Noli flere, & mortuum illius filium suscitavit.

Matth.14. Marc. 8. Misertus est Dominus turbæ indigenti, quia pedestris secuta eum fuerat in deserto.

Luc. 10. Samaritanus ille super sauciato misericordiâ motus, alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum, & curam illius egit, & pabulum fecit haberi.

Luc. 19. Videns Dominus civitatem Jerusalem, & considerans mala, quæ futura erant postmodum, & passura, flevit super eam, dicens: Si cognovisses, & tu, &c.

Joan. 11. Ut vidit JESUS Mariam plorantem, & Judæos, qui venerant, cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbavit seipsum, & lachrymatus est.

Joan. 9. Etiam pendens Salvator in cruce curam habuit matris, quam sciebat in anima crucifigi. Mulier, dixit: ecce filius tuus, ostenso Joanne.

Act. 9. Cùm venisset Petrus in Joppen, vidit flentes viduas pro morte Tabithæ, quæ faciebat eis tunicas, & vestes, & ponens genua sua oravit: & cùm vocâsset eam, sanctis, & viduis assignavit vivam.

Act.17. Paulus, cùm esset Athenis, incitabatur spiritus ejus in eo, quòd ipse videbat idololatriæ deditam civitatem.

Act.27.28 Barbari non modicam præstabant humanitatem Paulo, & sociis ejus. Accensâ enim ei pyrâ, reficiebant eum, & omnes propter imbrem, qui imminebat, & frigus: ipsi verò ejus benè indigebant, qui de navi confracta evaserant tempore hyemali. Et quosdam oportuit natare: alii verò super tabulas fuerunt asportati.

Cùm

Cùm tanta ſpiritûs anxietate compatiebatur Paulus fratribus, & cognatis ſuis pereuntibus, quòd ipſe dicebat: Triſtitia eſt mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati ſecundùm carnem. Rom. 9.

Et Galatis: Filioli mei, quos iterum parturio. Galat. 4.

TITULUS XXVII.

Confeſſio Peccatorum.

Monebat Dominus Adam, poſt peccatum cognoſcere culpam ſuam: ſed ille eam quodammodo retorſit in DEUM, & mulierem, & mulier in ſerpentem. Unde ait: Mulier, quam dediſti mihi ſociam, &c. Et poſt: Serpens decepit me. Gen. 3.

Cain recognovit peccatum, dicens: Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Gen. 4.

Item Pharao dixit: Peccavi in Dominum, & in vos. Et, peccavi etiam nunc, Dominus juſtus! & ego, & populus meus impii. Exod. 9.

Saul ait: Peccavi, apparet, quòd ſtultè egerim, & ignoraverim multa nimis. 1. Reg. 26.

Item Judas: Peccavi tradens ſanguinem juſtum, Nullus tamen ex illis veniam conſecutus eſt: quia non recto corde dixerunt. Matth. 27.

Simile dixit David corde humili, & audire meruit: Dominus tranſtulit peccatum tuum. 2. Reg. 12.

Afflicti filii Iſraël per ignitos ſerpentes, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt: Peccavimus, quoniam locuti ſumus contra Dominum, & contra te. Num. 21.

Vehementer oppreſſi filii Iſraël à Philiſtæis, & filiis Ammon, dixerunt ad Dominum: Peccavimus, redde tu nobis, quicquid tibi placet, tantùm nunc libera nos. Judic. 10.

Reprehenſus David à Nathan Propheta ſuper 2. Reg. 12.

ex-

excessum, quem commiserat in Uriam, & uxorem ejus, peccatum suum humiliter recognovit.

2.Reg.24. Humiliter recognovit peccatum suum David, quando fecerat populum numerari: ità quòd etiam obtulit se percutiendum locò populi innocentis.

2.Esd.1. Dixit Neemias: Confiteor pro peccatis filiorum Israël, quibus peccaverunt tibi: & ego, & domus Patris mei peccavimus, vanitate seducti sumus.

Tob. 3. Quamvis Tobias ab infantia DEUM timuerit, & mandata ejus custodierit, tamen dicebat, humiliter recognoscens: Non egimus secundùm præcepta tua, & non ambulavimus sinceriter coram te.

Dan.3. Tres socii Danielis, qui ità sanctè inter Chaldæos vixerunt, & pro quibus DEUS tantum miraculum faciebat in fornace, nequaquam contra Dominum murmurabant, quasi injustè talia paterentur, sed dicebat Azarias: Peccavimus, iniquè egimus.

Dan.9. Orans DEUM Daniel, confitebatur peccata sua, & populi, dicens: Peccavimus iniquitatem fecimus, impiè egimus, &c.

2.Mach.7. Sextus illorum septem fratrum mori incipiens, ait: Nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, quia peccavimus in DEUM nostrum.

Matth. 3. Veniebat ad Joannem Baptistam omnis Judæa, & omnis regio trans Jordanem, confitentes peccata sua, &c.

Act. 19. Prædicante Paulo per Asiam, multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.

TITULUS XXVIII.

Confidentia, & Magnanimitas.

Exod.5. MOyses stetit coram Pharaone multoties, & confidenter arguebat eum.

Con-

Confidenter, licèt reverenter, arguit Nathan Prophetam David, poſt adulterium, & homicidium ab illo commiſſum. 2.Reg.12.

Dixit Elias ad Achab: Non ego turbavi domum Iſraël, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſti mandata Domini. Et poſt hæc fecit Prophetas quadringentos occidi. 3.Reg.18.

Item poſtea dixit Ochoziæ regi Iſraël: De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes. 4.Reg.1.

Achab rex Iſraël dixit Eliæ: Num inveniſti me inimicum tibi? Qui ait: inveni, eò quòd venumdatus ſis, ut faceres malum in conſpectu Domini. 3.Reg.21.

Eliſæus mira libertate dixit ad Joram regem Iſraël, exercitu circumſtante: Quid mihi, & tibi eſt? Vade ad prophetas patris tui. 4.Reg.3.

Fuit Dominus cum Joſaphat, quia ambulavit in viis David patris ſui. Sequitur: Cúmque aſſumpſiſſet cor ejus audaciam, per vias Domini, &c. 2.Par.17.

Spiritus Domini induit Zachariam, filium Jojadæ, & ſtetit in conſpectu populi, dicens: Quare transgredimini præceptum Domini? Quod vobis non proderit. 2.Par.24.

Ezechias confortavit bellatores ſuos, dicens: Nolite timere regem Aſſyriorum, & univerſam multitudinem, quæ cum eo eſt. Plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illo. 2.Par.32.

Sanaballat, & cæteri inimici, dolentes de ædificatione muri Jeruſalem, niſi ſunt, ut poſſent reſiſtere, & terrere Neemiam variis modis, ſed non poterant. 2.Eſd.4.

Miræ animi magnitudinis fuit Judith, quæ inermis ivit ad tentorium Holofernis, & eum ibi occidit. Judit.10. & 13.

Mardochæus magnanimiter renuit adorare Aman ſuperbiſſimum, licèt ſciret: regem hoc præcepiſſe. Idem etiam cum magna ſeveritate, & libertate loquebatur reginæ, dicens: Ne putes, quòd Eſther.4. & 5.

animam tuam liberes, quia in domo regis es: si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Judæi, & tu, & domus patris tui peribitis.

Dan. 3. Ananias, & socii ejus confidenter Nabuchodonosor regi dixerunt: DEUS noster, quem colimus, potest nos eripere, &c.

Dan. 6. Similiter Daniel, qui de edicto regis Darii non curavit, sed Dominum suum more consueto oravit.

1.Mach.2 Matathias, & filii ejus magnanimiter rebellârunt, & restiterunt regi Antiocho.

1.Mach.6 Eleazar filius Saura cucurrit audacter ad elephantem, ubi credebat esse regem, & suppositit se ei, &c.

1.Mach.5 Signum magnanimitatis dedit Thimotheus exercitui suo de Juda Machabæo, si transirent fluvium ad hostes audacter: & sic fecit Judas, & magnam habuit victoriam.

1.Mach.9 Cùm dicerent socii Judæ ad eum, ut liberarent animas suas, quia hostes erant multi, & ipsi pauci: Respondit Judas: Absit, rem istam facere, & si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.

2.Mach.3 Videntes socii Judæ Machabæi exercitum venientem, dixerunt: Quomodo poterimus pauci pugnare ad multitudinem tantam, & tam fortem? & ait Judas: Facile est, concludi in manus paucorum, & non est differentia in conspectu DEI, liberare in multis, aut in paucis; quia non est in multitudine exercitûs victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.

2.Mach.9 Jonathas animavit suos ad pugnam, ex eo, quòd bellum erat ex adverso, & aqua Jordanis hinc, & inde, & ripæ, & paludes, & saltus, & non erat locus divertendi.

1.Mac.11 Cùm esset Jonathas in prælio contra alienigenas, reliquerunt eum omnes ex suis, exceptis duobus.

Sed

Sed videntes, quòd dux fortiter pugnaret, reversi sunt fugientes, & ceciderunt de alienigenis tria millia virorum.

Egregius militiæ dux Judas Machabæus ad eas, quæ ampliùs urgebant, pugnas se convertit. 2.Mac. 10

Machabæus, & qui cum eo erant, videntes auxilium de cœlo sibi missum, convaluerunt animis, non solùm homines, sed & bestias fortissimas, & muros ferreos parati intrare. 2.Mac. 11

Crucifixô Dominô, Joseph ab Arimathia audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus JESU. Matt. 27.

Ille cœcus natus, à Domino illuminatus, libera voce veritatem de Domino fatebatur. Joan. 9.

Dixit Thomas ad discipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Joan. 11.

Petrus, qui ad vocem unius ancillæ pavefactus Christum negaverat, recepto Spiritu sancto, fuit tanta virtute inductus, ut coram populo, Pharisæorum, ac magistratuum Collegio, ipsum cum omni fiducia prædicaret. Act. 2. 3. 4. 5.

Stephanus plenus gratia, & fortitudine, Christum Dominum cum mira libertate prædicabat, & Judæos increpans confundebat, dicens inter cætera: Dura cervice, & incircumciis corde, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis. Act. 7.

Magistratus, & ministri arguendo dixerunt, Apostolis præcipiendo: Præcipimus vobis, ne doceatis in nomine isto. Et ecce repletis Jerusalem doctrinâ vestrâ, & vultis super vos inducere sanguinem istius. Respondentes autem Petrus, & Apostoli, dixerunt: Obedire magis oportet DEO, quàm hominibus. Act. 5.

Paulus Apostolus, præsente Paulo proconsule, Elymam magum durissimè increpavit, & ad tempus lumine oculorum privavit. Act. 13.

Cùm mandâsset magistratus: ut Paulus, & Silas liberarentur de carcere, Paulus dixit eis: Cæsos nos publicè, homines Romanos, indemnatos Act. 16.

miserunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt. Et sic locutus est, quòd illi timentes venerunt, & rogaverunt eos, ut egrederentur de illa civitate.

Act. 19. Commota, & confusa civitate Ephesina, cives impetum fecerunt unanimiter in theatrum, raptis comitibus Pauli. Paulus autem voluit intrare in ipsum, sed non permiserunt eum discipuli.

Act. 20. Valedicens fratribus de Asia dicebat Paulus: Spiritus sanctus per omnes civitates protestatur mihi, quia vincula, & tribulationes me manent in Jerusalem; sed nihil, inquam, horum vereor: nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, &c.

Act. 23. 24 & 25. Coram illis judicibus, quos habuit Paulus, miram magnanimitatem ostendit, videlicet coram Ananía principe sacerdotum, Felice, & Festo, à quo manifestè gravatus, Cæsarem appellavit.

Act. 27. In tot, & in tantis periculis constitutus Paulus, semper fuit intrepidus, & securus, & hoc præcipuè apparuit in tempestate, quam passa est navis sua.

Augustl. lib. 14. De civit. Dei cap. 9. De ipso beato Paulo dicit Augustinus: Illum opportunum (inquit) & fortissimum virum, qui in suis infirmitatibus gloriatur: qui plus suis omnibus condiscipulis laborabat: Illum, inquam, virum beatum Paulum, Athletam Christi, doctum ab illo, vinctum de illo, crucifixum cum illo, glorioſum in illo, in theatro hujus mundi, cui spectaculum factus est, & Angelis, & hominibus, legitimè magno agone certantem, oculo fidei libentissimè spectamus, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, foris habentem pugnas, intus timores, cupientem dissolvi, & esse cum Christo.

TITU-

TITULUS XXIX.

Conscientia mala, & bona.

PRimi parentes post commissum peccatum à mala conscientia agitati timent, fugiunt, abscondunt se. Gen. 3.

Cain timorem à mala conscientia causatum satis prodit, tùm per verba illa: omnis, qui invenerit me, occidet me; tum per hoc: quòd semper fuit vagus, & profugus in terra. Gen. 4.

Fratres Joseph, cùm essent in angustia, à conscientia peccati in Joseph commissi admoniti, locuti sunt ad invicem: meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, &c. idcircò venit super nos ista tribulatio. E quibus unus Ruben ait: nunquid non dixi vobis: nolite peccare in puerum, & non audistis me? en sanguis ejus exquiritur. Gen. 42. 21.

Cur Job inter adversa tam constans fuerit, reddit rationem his rerbis: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Job. 27. 6.

David de se testatur: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar. Psal. 37.

Balthasar Rex ad aspectum manûs in pariete scribentis à mala conscientia ità fuit perculsus, ut de eo legatur: facies regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur. Dan. 5. 6.

Antiochus Rex de seipso conqueritur: recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ sollicitudine. Causam mox addit tantæ angustiæ: nunc reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem. 1. Mach. 6. 11.

Matt. 27. 5. Judas proditor, quia tormentum malæ conscientiæ amplius tolerare non potuit, abiens laqueo se suspendit.

Marc. 9. 45. Vermis conscientiæ, qui non moritur, unum ex maximis tormentis damnatorum.

Matth. 8. 24. Christus dormiens in navi inter tempestatem symbolum bonæ, & quietæ conscientiæ inter omnia mala hujus mundi.

2. Mac. 7. Septem fratres Machabæi, & omnes alii martyres inter tormenta fuerunt læti ob bonam suam conscientiam.

2. Cor. 1. 12. S. Paulus indicat, in quo Christianus omnem suam gloriam debeat ponere, dum ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in gratia DEI conversati sumus in hoc mundo.

1. Cor. 4. 4. & 9. 27. Idem, licèt nullius peccati sibi conscius esset, tamen in hoc non se putat justificatum, sed castigat corpus suum, ne reprobus efficiatur.

TITULUS XXX.

Consilia bona.

Illis non obsequi quàm periculosum.

Gen. 19. ANgeli, qui apparuerunt Loth, dederunt ei bonum consilium: ut exiret de Sodomis, & generos suos secum ducens, nequaquam post tergum respicerent, sed in monte salvos se facerent. Qui dixit Generis suis, qui accepturi erant filias ejus, ut egrederentur. Sed visus est eis quasi ludens loqui. Generi ergo Loth, nolentes exire de medio pravæ gentis, perierunt cum ipsis Sodomitis. Uxor autem ejus retrò respiciens, versa est in statuam salis. Ipse etiam Loth, qui juxta consilium Angeli noluit statim in montem ascendere, cum propriis filiabus peccavit.

Ru-

Ruben consuluit fratribus suis, ut Joseph redderetur patri suo. Qui non acquieverunt ei: idcirco venit postea super eos tribulatio. Gen. 37. & 42.

Filiis Israël volentibus ascendere ante tempus ad locum, de quo locutus fuerat Dominus, ait Moyses: Non est DEUS vobiscum, Amalecites, & Chananæus ante vos sunt, quorum gladiò corruetis; eò quòd nolueritis acquiescere Domino. Num. 14.

Post scelus perpetratum in uxorem Levitæ, convenerunt filii Israël, & miserunt nuncios ad filios, vel tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est? Tradite homines, qui hoc flagitium perpetraverunt. Qui noluerunt audire, propter quod omnes postea, exceptis paucis, fuerunt occisi. Judic. 20.

Dixit Abner Asaëli, ut desisteret ab insecutione ipsius, quod audire contempsit. Abner autem ipsum adversâ hastâ transfodit. 2. Reg. 2.

Roboam filius Salomonis noluit audire consilium senum, sed consilio juvenum acquievit, & ideo magnam populi sui partem amisit. 3. Reg. 12

Bonum, & fidele consilium dedit Achior Holoferni: quod ille cum superbia, & indignatione contempsit; qui paulo post fuit occisus, & ejus exercitus cum damno, & confusione fugatus. Judith. 6.

Godoliæ, quem Rex Babylonis præfecerat terræ Judæorum, nunciavit fideliter Johanan filius Careah, quòd Ismaël filius Nathaniæ volebat eum occidere. Qui respondit ei: Falsum loqueris de Ismaële. In mense autem septimo venit Ismaël, & occidit Godoliam, postquam comederat cum illo. Jerem. 40 & 41.

Consilium meum placeat tibi, ô rex, & peccata tua eleemosynis redime, ait Daniel Nabuchodonosor regi. Qui non acquievit, & mutatus est in bestiam. Dan. 4.

Vadens in Galaad Judas Machabæus reliquit Jo- 1. Mach. 5

sephum, & Azariam duces populi, & præcepit ei dicens: Nolite bellum committere adversus gentes, donec revertamur. Illi verò voluerunt sibi facere nomen, & perdiderunt res, & nomen.

1.Mach. 9 Habebat Judas Machabæus octingentos viros secum, adversariorum verò viginti duo millia, & avertebant eum socii, ne pugnaret tunc, sed priùs exercitu congregato. Qui noluit acquiescere eorum consilio, & in bello ipse cecidit, cæteri verò fugerunt.

Matt. 27. Bonum consilium dedit uxor Pilati viro suo, sed ille acquiescere recusavit, magis timens Cæsarem offendere, quàm justum sanguinem condemnare.

TITULUS XXXI.

Consilia mala.

Gen. 3. EVa de ligno vetito dedit viro suo, qui comedit. Præsumendum est: quòd ipsa persuaserit viro.

Gen.39. Domina, cui serviebat Joseph, malè ipsum sollicitabat ad peccatum.

Exod.32. Moram faciente Moyse cum Domino in monte, dixit populus Aaroni: Fac nobis Deos alienos, qui nos præcedant. Quibus suggestionibus populi Aaron stultè acquievit.

Num. 24. Balaam docuit Balac: quomodo per mulieres posset filios Israël ad peccatum trahere, & sic contra se Dominum provocare.

2.Reg.10 Filii Ammon malè suaserunt regi suo, ut dehonestaret nuncios David.

2.Reg.13 Jonadab nepos David malum consilium dedit Amnon, ut defloraret sororem suam: de quo postea multa mala evenerunt.

2.Reg. 16 Detestandum, & turpe consilium dedit Achitophel Absaloni: & tamen erat consilium, quod ille dabat in diebus illis, quasi quis consuleret DEUM. Aver-

Averterunt mulieres cor Salomonis, & ità depravatum est per eas, ut sequeretur Deos alienos, & coleret eos. 3.Reg.11.

Ochozias rex Juda ingressus est per viam domûs Achab, quæ erat pessima. Mater enim ejus Athalia impulit eum, ut impiè ageret. 2.Par.22.

Ædificantibus templum Judæis post reditum de Babylone, hostes eorum scripserunt Artaxerxi regi, & ipse persuasus ab eis, prohibuit opus fieri. 1.Esd.4.

Amici Aman audientes ipsum conquerentem de Mardochæo, qui ei genua non flectebat, responderunt: Jube parari excelsam trabem: & manè dic regi, ut appendatur Mardochæus super eam. Esth.5.

Stultum consilium uxor Job dedit ei: sed ille tanquam prudens, & sanctus homo tali consilio non acquievit. Job.2.

Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt insipiens consilium. Isai.19.

Quia Jeremias prophetavit: capiendam esse civitatem Jerusalem à Chaldæis, dixerunt principes populi Sedeciæ regi: Rogamus, ut occidatur homo iste. Qui stultè acquiescens, respondit eis: Ecce in manibus vestris est. Non enim fas est: regem vobis quidquam negare. Jerem.38.

Ad malam suggestionem Principum, & Satraparum, Darius rex Persarum constituit decretum: ut quicunque peteret quid à DEO, vel homine, nisi ab ipso rege, mitteretur in lacum leonum. Dan.6.

In diebus Antiochi exierunt ex Israël filii iniqui, & suaserunt multis, dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum gentibus. 1.Mach.1.

Tantum suasit Menelaus Andronico: quòd ille occidit Oniam sacerdotem. 2.Mach.4.

Cùm adversus Menelaum judicium agitaretur coram Antiocho, Ptolomæus pecuniâ corruptus per Menelaum, persuasit regi, & eum ad sen- Eodem.

tentiam deduxit, qui Menelaum absolvit, & multos justos ejus accusatores morte damnavit.

Matth. 14. Marc. 6. Iniquum consilium dedit Herodias filiæ, dicens: Nihil aliud petas, nisi caput Joannis Baptistæ.

Act. 13. Proconsul Paulus desiderabat audire verbum DEI, quod Paulus, & Barnabas prædicabant. Resistebat autem illis Elymas magus, quærens avertere Proconsulem à fide.

Act. 14. Cùm Paulus, & Barnabas essent in civitate Lystris in tanto honore, quòd homines illis tanquam Diis sacrificare vellent, quidam Judæi supervenerunt, & persuasis turbis, lapidantésque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum esse mortuum.

Act. 16. Occasione cujusdam puellæ, à qua Paulus spiritum pythonem ejecit, Domini illius dolentes de amisso quæstu, tot, tanta dixerunt magistratibus, quòd fecerunt Paulum, & Silam virgis cædi, & incarcerari.

TITULUS XXXII.

Consolatio Divina.

Gen. 12. 15. & 18. POstquam Abraham exivit de terra sua, ad mandatum Domini, ipse Dominus consolatus est eum diversis apparitionibus, & revelationibus.

Gen. 28. Fugienti Jacob à facie fratris sui, & super lapidem dormienti apparuit Dominus, & ei magnam consolationem infudit.

Exod. 3. Apparuit Dominus Moysi exulanti, & oves pascenti, quod non accidit ei, quamdiu nutriebatur in domo Pharaonis.

Exod. 17. Filiis Israël pluit manna in deserto è cœlo, carnes quoque, & aquam pluries Dominus miraculosè dedit.

Exod. 34. Moyses in monte existens, quadraginta diebus, & totidem noctibus, non manducavit, nec bibit: reficiebatur enim divino eloquio.

Di-

Dixit Dominus ad Josue: non dimittam, nec relinquam te; confortare; & esto robustus. Josue 1.

Præcepit Dominus, ut corvi portarent bis in die panem, & carnes Eliæ. 3. Reg. 17

Post hoc apparuit Dominus ei, cùm fugeret Jezabel, cujus prophetas fecerat occidi. 3. Reg. 19

Efficaciter Dominus consolatus est Ezechiam regem per prophetam, & per Angelum, qui occidit 185000. de exercitu Assyriorum. 4. Reg. 19

Exauditæ sunt eodem tempore orationes Saræ, & Tobiæ, & missus est Angelus Domini, qui curaret ambos: Saram videlicet à dæmonio, viros illius interficiente; & Tobiam seniorem à cœcitate, & paupertate. Tob. 3.

Populum Israël existentem in angustia, & timore, præ exercitu Holofernis, dignatus est Dominus per manum unius fœminæ mirabiliter consolari. Judith. 10

Convertit Dominus luctum Judæorum in gaudium, quando ipsi, procurante Esther, hostes suos, qui ad jugulationem illorum se paraverant, occiderunt. Esth. 9.

Notabile est: quòd quando populus Israël fuit in magna afflictione, scilicet, tempore captivitatis Babylonicæ, plures habuit prophetas, quàm tempore Salomonis, quando fuit in maxima prosperitate: nam Jeremias fuit in Juda: Ezechiel, & Daniel in Chaldæa.

Angelus Domini descendit cum Azaria, & sociis ejus in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Per quod apparet: quòd omni loco, omni tempore, parata est divina pietas hominem confortare. Dan. 3.

Danielem bis positum in lacum leonum consolatus est Dominus. Primò mittendo Angelum, qui leonum ora conclusit. Secundò per Habacuc prophetam, quem de Judæa in Chaldæam cum cibo per Angelum transportavit. Dan. 6.

Susan-

Dan. 13. Susannam calumniosè damnantem, eripuit DEUS ex insperato per puerum Danielem.

1.Mac.11. Machabæus, & qui cum eo erant, videntes adjutorem à DEO sibi missum, benedixerunt misericordem Dominum, & convaluerunt animis.

Act. 2. Bene implevit Dominus promissionem Apostolis factam, quando dixerat eis: alium se missurum Paracletum, quando misit eis Spiritum Sanctum, qui eos tam copiosè docuit, consolatus est, & roboravit.

2.Cor 1.4 & 7. Felix Paulus in hac vita, qui dicebat securè, 2. Corinth. 1. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ità per Christum abundat consolatio nostra.

Act. 10. Ecclesia habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione Spiritûs Sancti replebatur.

Act. 12. Petro in carcere Herodis vincto, misit Dominus Angelum suum, qui de manu Herodis, & Judæorum liberavit eum.

Act. 16. Paulo, & Sila laudantibus DEUM in carcere, subitò terræmotus factus est magnus, & aperta sunt ostia, & omnium vincula sunt soluta.

Act.18. Dixit Dominus per visionem nocte Paulo, cùm prædicaret Corinthi: Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propter quod ego sum tecum.

Act. 23. Cùm esset Paulus in custodia Claudii Tribuni detentus, nocte assistens ei Dominus ait: Constans esto Paule, sicut enim testificatus es DEUM in Jerusalem, ità oportet te, & Romæ testificari.

Act. 27. Confortare volens eos Paulus, qui secum in navi erant, ait: Astitit mihi hac nocte Angelus DEI dicens: Ne timeas Paule, Cæsari oportet te assistere; & ecce donavit tibi DEUS omnes, qui navigant tecum.

Apoc. 1. Cùm beatus Joannes Apostolus esset in Pathmos Insulam relegatus, divina revelatione fuit multipliciter consolatus.

* TITU-

* TITULUS XXXIII.

Consuetudo mala.

Israëlitæ, licèt optimo cibo à DEO pasti in deserto, suspirant ad priores cibos in Ægypto; quia illis erant assueti. Num. 11. 4. 5.

Israëlitæ, postquam mortuus esset judex, revertebantur, & multò faciebant pejora, quàm fecerant patres eorum, sequentes Deos alienos, servientes eis, & adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas, & viam durissimam, per quam ambulare consueverant. Iratúsque est furor Domini, &c. Jud. 2. 19.

Cives urbis Lais habitabant securi, & quieti absque ullo timore, juxta consuetudinem Sidoniorum. Quod advertentes viri Tribûs Dan eorum urbem occupârunt, omnésque percusserunt in ore gladii. Judic. 18. v. 7. 27.

Pharao malâ consuetudine induratus nulla ampliùs monita, nullas pœnas à DEO immissas curat. Exod. 7. 8. &c.

Samson per malam consuetudinem eò devenit, ut non se potuerit ampliùs liberare è manibus hostium suorum, & omnem suam fortitudinem perdiderit, licèt dixerit in corde suo: egrediar, sicut ante feci, & me excutiam, nesciens, quòd recessisset ab eo Dominus. Judic. 16. 20.

Salomonem, licèt sapientissimum, mala consuetudo eò deduxit, ut amore mulierum idola adoraret, eísque templa ædificaret. 3. Reg. 11. 1. &c.

Judas, quia fur erat, & loculos habens, hoc est, avaritiæ, & furtis assuetus, tandem Magistrum suum vendidit, & laqueò se suspendit, desperans de misericordia DEI. Joan. 12. 6 Luc. 22. 3. &c.

Energumenus malè torquetur à dæmone, quia jam ab infantia ab illo fuit obsessus. Mar. 9. 19. 20.

Lazarus quatriduanus figura consuetudinarii, & difficultas eum suscitandi à mortuis, quam ostendit Joan. 11.

dit Christus, figura difficultatis, quam habet consuetudinarius à peccatis, & mala consuetudine surgendi.

Thren. 1. Jerusalem, quondam Domina gentium, destructa, & in servitutem redacta imago peccatoris sub jugo malæ consuetudinis oppressi.

Luc. 11. 26. Immundus spiritus revertitur in domum, seu cor consuetudinarii cum septem aliis spiritibus nequioribus se, & habitat ibi.

TITULUS XXXIV.

Contemplatio, & Illustratio mentis.

Gē. 12. 13 15. & 13. POstquam exivit Abraham de Hur Chaldæorum, crebrò apparuit ei Dominus, & eum diversis revelationibus visitavit.

Gen. 18. Apparuit Dominus Abrahæ in convalle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei, &c. Totum potest exponi de viro contemplativo.

Gen. 24. Habitabat Isaac in terra australi, & egressus fuerat ad meditandum in agro.

Gen. 25. Factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola, Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.

Gen. 28. Egressus Jacob de Bersabee, pergebat Haran, cúmque vellet in quodam loco requiescere post solis occasum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo dormivit in eodem loco, vidítque in somnis scalam stantem.

Gen. 32. Cùm maturè surrexisset Jacob, transivit vadum Jacob, traductísque omnibus, quæ ad se pertinebant, remansit solus, & ecce vir luctabatur cum eo, &c.

Exod. 3. Moyses pascebat oves soceri sui, cúmque minâsset gregem ad interiora deserti, venit ad montem DEI Horeb, apparuítque ei Dominus in flamma ignis.

Vi-

Videns Jetro Moysen occupatum judicando populum expectantem ad vesperam, dixit ei: Stulto labore consumeris, & populus, qui tecum est: esto tu populo in his, quæ ad Dominum pertinent. Exod. 18.

Descendit Dominus super montem Sinai, & vocavit Moysen in cacumine ejus: ibi revelavit ei DEUS judicia, & præcepta, & cæremonias, quæ populum docere debebat. Exod. 19.

Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Fuitque Moyses cum Domino per quadraginta dies, & totidem noctes, panem non comedit, & aquam non bibit. Exod. 33. & 34.

Dixit Dominus ad Moysen: Ascende ad montem istum, & contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israël. Deut. 32.

Samuel dormiebat in templo Domini, & vocavit Dominus Samuelem. 1. Reg. 3.

Cùm sedisset rex David in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis, dixit ad Nathan prophetam: Vides, quòd habitem in domo cedrina. 2. Reg. 7.

Eliæ fugienti à facie Jezabel ostensum est, quòd Dominus non erat in spiritu grandi, nec in commotione, nec in igne, sed in sibilo auræ tenuis. 3. Reg. 19

Per similitudinem rerum corporalium debet anima sumere judicium, vel ferri in DEUM, in quo inseparabiliter melius invenitur, quicquid delectabile in creatura videtur. Unde cùm caneret psaltes coram Elisæo: facta est manus Domini super eum. 4. Reg. 3.

Cùm Elisæus attentè voluit orare pro mortuo filio Sunamitidis, non fecit hoc coram aliis, sed clausit ostium. 4. Reg. 4.

Sara filia Raguelis, audito grandi improperio ab una de ancillis suis, perrexit in inferius cubiculum domûs suæ, & tribus diebus, & tribus noc-

ctibus non manducavit, neque bibit, sed in oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Dominum.

Judith. 9. Videns Judith populum suum in arcto positum, ingressa est oratorium suum, & induens se cilicio posuit cinerem super caput suum, & prosternens se clamavit ad Dominum.

Esth. 14. Esther regina confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat. Cúmque deposuisset vestes, fletibus, & luctui indumenta apta suscepit, & deprecabatur Dominum: Adjuva me solitariam.

Psalm. 54. Post tribulationes, & turbationes, quas sustinebat David, dicebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam. Et subdit modum acquirendi pennas, & requiem: Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.

Ezech. 1. Cùm esset Ezechiel in medio captivorum, facta est super eum manus Domini, & vidit, quòd ventus turbinis veniebat ab Aquilone.

Dan. 2. Audiens Daniel crudelem sententiam contra sapientes Babylonis latam, ingressus est in domum suam, & de nocte per visionem mysterium revelatum est ei.

Dan. 9. Dixit Gabriel Angelus ad Danielem mirò fervore orantem: Egressus sum, ut docerem te, & intelligeres, quia vir desideriorum tu es.

Habac. 2. Super custodiam meam stabo, ait Habacuc, & figam gaudium meum super munitionem, & contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.

Matth. 14. Dimissâ turbâ ascendit Dominus in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. In quo exemplum dedit turbas fugiendi, & solitudinem inquirendi.

Luc. 1. Ingressus est Zacharias templum Domini, ut incensum poneret, & omnis multitudo populi erat orans foris. Tunc ei apparuit Angelus Domini.

Mar-

Martha circa ministerium sollicita, & turbata erat: Maria autem sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Et est notabile valde: quòd tam pio, & devoto ministerio præfertur quies, & audientia verbi Domini. Luc. 10.

Videns JEsus Mariam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & lachrymatus est: quod nequaquam fecerat, quando locuta est ei Martha. Joan. 11.

Miro, & ineffabili modo fuerunt discipuli Domini docti, & illustrati in adventu Spiritûs Sancti. Act. 2.

Postquam lux de cœlo Saulum circumfulsit, ipse cadens in terram excæcatus fuit. Deinde per triduum jejunans, & orans excellentes revelationes habuit à Christo. Act. 9.

Cùm hospitaretur Petrus in domo Simeonis coriarii, ascendit quadam vice in superiora domûs, ut oraret. Ad hoc videlicet, ut posset vacare quietiùs, à turba inferiùs existente remotus. Et tunc revelavit ei Dominus in mentis excessu, quòd gentiles non erant repellendi à prædicatione Evangelii. Act. 10.

Raptus fuit Paulus usque ad tertium cœlum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 2. Cor. 12.

Altissima verò ejus sapientia apparet in Epistolis suis, præcipuè autem Rom. 1. 9. 10. 11. Tum etiam ad Ephesios 1. & 2. & Colossenses 1. 2. Hebr. 1.

Beato Joanni sequestrato à tumultu, & consolatione mundi, quando in insula Pathmos exulavit, revelavit Dominus facta cœlestia, ut in Apoc. patet. Apoc. 1.

TITULUS XXXV.

Correctio Fraterna.

COrripere proximum, vel reprehendere, est opus misericordiæ. Unde postquam juravit Gen. 21.

rat Abraham Abimelech, quòd faceret ei misericordiam, continuò sequitur: quòd increpavit Abimelech.

Gen. 13. Charitativè, & mansuetè compescuit Abraham jurgium, quod erat inter pastores suos, & pastores nepotis sui Loth.

Gen. 19. Dulciter, & benignè increpabat Loth Sodomitas, licèt illi non acquieverint ei.

Gen. 27. Ruben, & Judas temperaverunt furorem fratrum suorum, ne occiderent Joseph.

Exod. 2. Moyses injuriantem Hebræum charitativè corripuit, sed ille pro malo habuit, & ad injuriosa verba prorupit: Numquid occidere me vis?

Exod. 18. Videns Jethro populum expectantem judicari per Moysen, dixit: Stulto labore consumeris. Et nota: quomodo tantus homo gentilis hominis monitioni acquievit.

Josue 22. Phinees filius Eleazari, & cæteri nuncii fratres suos, qui ædificaverant altare in scandalum filiorum Israël, discretè arguerunt, & satisfactionem libentissimè susceperunt.

Judic. 20. Miserunt nuncios filii Israël ad tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est? Tradite homines, qui hoc flagitium perpetraverunt.

1. Reg. 19. Increpando Jonathas patrem suum Saul, pro iniqua persecutione David, ejus malitiam aliqualiter in principio temperavit.

1. Reg. 25. Volens Abigail arguere virum suum super duritia, quam ostenderat nunciis David, noluit quidem statim dicere post prandium, sed expectavit tempus oportunum solùm, usque ad crastinum, cùm prius vinum bibitum digessisset.

2. Reg. 2. Abner benè arguebat Asahel: qui nimis urgebat persequendo eum, sed ille audire contempsit, & propterea occisus fuit.

2. Reg. 12 Nota: quàm discretè arguit Nathan propheta David, cùm peccasset, adulterium, & homicidium

dium committendo: non enim cum furore dixit: Pessimè feciſti, ſed aſſumpta ſimilitudine congrua, illaqueavit eum verbis oris ſui.

Cum magno zelo arguit Elias populum dicens: Si Dominus DEUS eſt, ſequimini eum: Ut quid claudicatis in duas partes? 3.Reg.18.

Reprehenſurus Achab regem Iſraël vir quidam de filiis prophetarum, propoſuit ei ſimilitudinem, per quam cognovit rex peccatum ſuum. 3.Reg.20.

Cum magna libertate dixit Eliſæus ad Joram regem Iſraël, exercitu circumſtante: Si non erubeſcerem vultum Joſaphat, non attendiſſem te, nec reſpexiſſem. 4.Reg.3.

Sacerdotes reſtiterunt Oziæ regi Juda, volenti adolere incenſum, & dixerunt: Non eſt tui officii, ut adoleas incenſum. 2.Par.26.

Cum magno ardore corripuit Eſdras filios transmigrationis, qui duxerunt alienigenas contra legem. 1.Eſd.9. & 10.

Neemias audiens clamorem populi propter gravamina, quæ patiebatur à divitibus, increpavit optimates, & magiſtratus. Idem fecit pro eo, quòd multi portando onera, diem ſabbati prophanabant. 2.Eſd.5.

Irridebant Tobiam parentes, cognati ejus, at ipſe increpabat eos dicens: Nolite ità loqui, filii ſanctorum ſumus, &c. Tob.2.

Audiens Judith propoſitum civium ſuorum, quòd poſt quinque dies volebant civitatem tradere Aſſyriis, reprehendit eos ſermonibus fidelibus, & diſcretis. Judith.8.

Daniel valdè diſcretè arguit regem Balthaſar exemplo patris ſui. Et nota: quàm patienter rex illum audivit, licèt dixiſſet contra eum, & poſtea ipſum magnificè honoravit. Dan.5.

Cum miro fervore dicebat Joannes Baptiſta Phariſæis, & Sadducæis: Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira? Matth.3. Luc.3.

Matt. 14. Marc. 6. Dicebat Joannes Herodi, adulteranti cum Herodiade uxore fratris sui: Non licet tibi illam habere.

Matt. 16. Indiscretè, licèt piè, voluit Dominum Petrus increpare, cùm diceret: Oportere eum pati à Principibus: sed Dominus durè respondit: Vade post mè Satana.

Matt. 18. Veram, & certam dedit Dominus regulam de correctione faterna: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum.

Luc. 23. Unus de latronibus, qui pendebant, blasphemabat Dominum JESUM: respondens alter increpabat eum dicens: Neque tu times DEUM, &c. Nos digna factis recipimus, &c.

Joan. 9. Pulchrè arguebat, & convincebat Pharisæos ille cœcus natus, à Domino illuminatus, dicens: Mirabile quiddam est: quòd vos nescitis, unde sit ille homo, & aperuit meos oculos. A sæculo non est auditum: quòd aperuerit quis oculos cœci nati: nisi esset à DEO, non potuisset facere quicquam.

Act. 2. Videns Petrus quosdam Judæos admirantes, & discipulos deridentes, discretè, & confidenter arguit illos, & instruxit, & ad fidem convertit.

Simile accidit cap. 3. Actor. Post sanationem claudi. Culpas eorum ipse ostendit, & aliqualiter excusans eos, multa dulcia verba dixit, ità quòd conversi fuerunt quinque millia hominum.

Act. 5. Durissimè increpavit Petrus Ananiam, & Saphiram, pro eo quòd fraudaverant de pretio agri, quem vendiderant, & partes ad pedes Apostolorum posuerant.

Act. 7. Stephanus in concilio Judæorum existens, confidenter increpabat eos, dicens inter cætera: Durâ cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ità, & vos. Quem Prophetarum non persecuti sunt patres vestri?

Pau-

Paulus intuens Elymam magum, qui nitebatur avertere Proconsulem à fide, dixit illi: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, & inimice omnis justitiæ! non desinis subvertere vias Domini rectas? Act. 13.

Simonem magum, pro dono DEI pecuniam offerentem Petrus terribiliter increpavit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Actor. 8.

Mirô discretionis modô, Paulus arguit Romanos ex gentilibus, & Judæis conversos, qui superba commotione volebant, se alterutrum supponere. Ostendit autem utrosque peccâsse, & gloriosa DEI misericordia indigere. Causati sumus, inquit: Judæos, & Græcos, id est: Gentiles, & circumcisos omnes sub peccato esse. Rom. 2.

Corinthios arguit de hoc præcipuè; quòd Christus in eis dividi videbatur, dicente uno: Ego sum Apollo: alio, ego Cephæ. Ità etiam, quia dissimulabant inter se fornicatorem, qui tenebat novercam suam. 1. Cor. 5.

Item: quia apud infideles judices de sæcularibus negotiis litigabant. 1. Cor. 6.

Reprehendit eosdem circa Eucharistiæ sumptionem. 1. Cor. 11.

Et de errore circa mortuorum resurrectionem, cap. 15.

Eosdem increpat de hoc præcipuè: quòd illi multa gravia à Pseudo-apostolis sustinebant, & ipsum non habebant in tanta reverentia, ut debebant. Sustinetis, inquit: si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, &c. 2. Cor. 11.

Item: ego debui à vobis commendari; non enim minus feci ab his, qui sunt supra modum Apostoli. 2. Cor. 12.

Galatas acriter, & ferventer arguit super hoc: quòd post acceptam veritatem Evangelii, volebant ad circumcisionem, & legales observationes reverti. O insensati, ait: Galatæ! Quis vos fascinavit? Galat. 3.

2.Thess.3. Audierat Apostolus quosdam de Thessalonicensibus ambulare inquietè, non operantes, sed curiosè agentes: idcirco corripi tales mandavit.

* TITULUS XXXVI.

Correctionem ægrè ferentes.

Gen. 16. AGar ancilla Saræ non ferens correptionem Dominæ suæ, quâ ejus superbiam redarguebat, fugit è domo; sed jussa est ab Angelo: ut rediret ad dominam suam, & se humiliaret sub manu ejus.

3.Reg.22. 24. &c. Michæas Propheta, quia non est locutus ad gratiam Principum, à Sedecia in maxillam percutitur: & à Rege Israël jussus est in carcerem mitti.

2.Par.16. 7. &c. Cùm increpâsset Hanani Propheta Asa Regem Juda: quòd confisus esset in Benadad Rege Syriæ, iratus Asa, jussit Prophetam mitti in nervum, & interfecit de populo in tempore illo plurimos.

Jer. 23.3. Sedecias rex Juda clausit Jeremiam Prophetam in carcere, dicens: quare vaticinaris, dicens: hæc dicit Dominus, &c.

Dan. 14. Quia Daniel probavit, Bel, & draconem non esse Deos: Babylonii convenerunt adversus Regem, & procuraverunt, Danielem mitti in lacum leonum.

Tob.3.7. Sara filia Raguelis unam de ancillis suis justè increpat propter culpam: & illa nimis injuriosè respondet: amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.

Matt. 14. Joannes Baptista dicebat Herodi: non licet tibi habere uxorem fratris tui. Id ægrè ferens Herodes, Joannem in vincula conjectum interfecit.

Luc. 11. 53. Cùm Christus graviter increparet Pharisæos, & Legisperitos, cœperunt isti graviter insistere, & os ejus opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

Pha-

Pharisæi cœco nato, & à Christo Domino illuminato maledixerunt, eúmque extra Synagogam ejecerunt, quòd veritatem constantissimè fateretur. Joan. 9.

Principes Sacerdotum audientes verba Apostolorum de doctrina Christi, cogitabant interficere illos, & cæsis denuntiârunt, ne ampliùs loquerentur in nomine Domini JESU: at illi gaudentes ibant à conspectu Concilii. Act. 5.

Omnes, qui erant Jerosolymis in Concilio, ut audiêrunt gravem increpationem Stephani, dissecabantur cordibus, & stridebant dentibus in eum, & ejicientes eum extra civitatem lapidabant. Act. 7.

TITULUS XXXVII.

Cultus, & Adoratio DEI.

FActum est: ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit munera Abel. Gen. 4.

Enoch, filius Seth, cœpit invocare nomen Domini. Eodem.

Ædificavit Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus mundis, & volucribus, obtulit holocaustum: odoratúsque est Dominus odorem suavitatis. Gen. 8.

Apparuit Dominus Abraham in terra Chanaan, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuit ei. Gen. 12.

Cùm elevâsset oculos Abraham, apparuerunt ei tres viri, stantes prope ipsum: quos cùm vidisset, adoravit in terra, & dixit: Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum. Gen. 18.

Paratus fuit Abraham offerre DEO unicum filium suum Isaac in holocaustum. Sed Domino aliter providente, arietem obtulit. Gen. 22.

Apparuit Dominus in Bersabee Isaac, dicens: Noli timere, quia ego sum tecum. Sequitur ædificavit ibi altare Domino, &c. Gen. 26.

Gen. 35. Locutus est Dominus Jacob, dicens: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, fácque altare Domino, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum.

Exod. 4. Audierunt filii Israël, quòd visitâsset eos Dominus; & quòd respexisset afflictionem eorum, & proni adoraverunt.

Exod. 12. Postquam locutus est Dominus ad Moysen de religione Phasę, & percussione primogenitorum Ægypti, sequitur: incurvatus populus adoravit.

Exod. 18. Jethro dixit Moysi: Esto tu populo in his, quæ ad DEUM sunt; ut referas, quæ dicuntur ad eum; ostendásque populo ceremonias, & ritum colendi, &c.

Exod. 24. Dixit Dominus ad Moysen: Ascende in montem tu, & Aaron, Nadab, & Abihu, & septuaginta senes ex Israël, & adorabitis procul. Et post pauca sequitur: Obtulerúntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim.

Exod. 25. Præcepit Dominus sibi fieri tabernaculum, cum variis utensilibus, & ministros ad ministeria ordinari ad cultum ipsius. Ut patet in multis cap. Exod.

Exod. 20. Primum præceptum decalogi est: Non habebis Deos alienos, non facies tibi sculptile, non adorabis ea, neque coles. Et alibi Dominum Deum adorabis, & illi soli servies.
Deut. 6.

Judic. 13. Angelus Domini dixit ad Manue, patrem Samsonis: Si vis holocaustum facere, offer illud Domino.

1. Reg. 1. Elcana, pater Samuelis, ascendebat de civitate sua statutis diebus: ut adoraret, & sacrificaret Domino DEO exercituum in Silo.

1. Reg. 2. Erat peccatum filiorum Heli grande nimis coram Domino, quòd retrahebant homines à sacrificiis Domini.

1. Reg. 7. Cùm Samuel offerebat Domino holocaustum pro populo, Philistiim inierunt prælium contra Israël.

In-

Intonuit autem Dominus fragore magno ſuper Philiſtiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à filiis Iſraël.

Rex David ſollicitè DEI cultum in cantoribus, & ſacerdotibus ſtuduit ampliare. 1.Par. 15. uſque 25.

Abiit Salomon, ut immolaret Domino in Gabaon, mille hoſtias in holocauſtum obtulit; apparuítque ei Dominus per ſomnium. 1.Reg.3.

Salomon, ædificatô templô, ſtetit ante altare Domini, in conſpectu Eccleſiæ Iſraël, expandens manus ſuas in cœlum, utrumque genu in terram fixit, & oravit. 3.Reg.8.

Reverſi filii Iſraël de captivitate Babylonis, legerunt in volumine legis DEI ſui, quater in die, & quater in nocte, confitebantur Dominum DEUM ſuum. 2.Eſd. 9.

Cùm irent omnes filii Iſraël ad vitulos aureos, Tobias fugiebat conſortia eorum, & pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum DEUM. Tob. 1.

Cùm audîſſet Job nunciorum verba, dicentium ſibi perditionem rerum ſuarum, ſurrexit, & corruens in terram adoravit, & dixit: Nudus egreſſus ſum de utero, &c. Job. 1.

Quamvis eſſet prohibitum, quòd nullus aliquid peteret ab aliquo DEO, vel homine, usque ad triginta dies, nisi à ſolo rege Dario: tamen Daniel tribus temporibus in die flectebat genua ſua in cœnaculo ſuo, & adorabat, confitebatúrque coram Domino DEO ſuo. Dan. 6.

Magi intrantes domum, invenerunt puerum cum MARIA matre ejus, & procidentes adoraverunt eum. Ecce miræ humilitatis devotio. Quid ergo debent facere Chriſtiani Domino jam regnanti, ſi ſic fecerunt gentiles puero vagienti? Matth. 2.

Cùm deſcendiſſet JESUS de monte, leproſus veniens, genu flexo, adoravit eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Matth. 8.

Joan. 9. Cœcus natus procidens, adoravit eum.

Matt. 28. Discipuli post resurrectionem Dominum adoraverunt.

Act. 14. Sacerdos, & populus de Lystris videntes Paulum, & Barnabam, Deos eos esse credentes, voluerunt sacrificare eis, quod illi prohibuerunt.

Apoc. 19. Cecidit Joannes ante pedes Angeli, ut adoraret eum. Respondit ei Angelus: Vide ne feceris, conservus tuus sum, &c. DEUM adora.

TITULUS XXXVIII.

Curiositas humana.

Gen. 3. PRimariæ transgressionis occasio ortum habuisse videtur ex eo, quòd Eva serpentem curiosè audivit, & lignum vetitum curiosè respexit.

Gen. 34. Egressa est Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius: sequitur, quòd visa, rapta, & oppressa fuit.

Exod. 19. Præcepit Dominus Moysi, ut diceret populo: Cavete: ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: Omnis, qui tetigerit montem, morietur. Et post pauca: Contestare populum, ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.

Num. 4. Dixit Dominus ad Moysen: ut Aaron, & filii ejus tantùm intrarent Sancta Sanctorum: alii verò nulla curiositate viderent, quæ erant in Sanctuario, priusquam essent omnia involuta, alioquin morerentur.

2. Par. 26. Ozias rex Juda, ingressus templum Domini, accepit thuribulum, & voluit adolere incensum super altare Thymiamatis, quod non ad suum, sed ad sacerdotum pertinebat officium, statímque orta est lepra in fronte ejus.

Luc. 11. Cùm viderent Judæi miracula à Domino JESU fieri manifesta, & utilia, videre nolebant, sed de cœlo quærebant.

Hero-

Herodes Tetrarcha viso JESU gavisus est valde, non tamen pietatis, sed curiositatis causâ; quia sperabat signum aliquod ab eo videre fieri; & propter hoc visio illa Domini JESU nihil profuit ei, sed magis obfuit. Luc. 23.

Curiositatem discipulorum, scire volentium tempus secundi adventûs, compescuit Dominus, dicens: Non est vestrûm nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Actor. 1.

Curiositas videtur fuisse: quare Simon Magus voluit baptizari; quia videlicet videbat signa, quæ Philippus faciebat. Actor. 8.

Athenienses omnes, & advenæ, & hospites ad nihil aliud vocabant Paulum, nisi ut, aut dicere, aut videre, aut audire aliquid novi, vellent. Act. 17.

Prædicante Paulo in Epheso civitate, multi, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. Act. 19.

Reprehendit Apostolus quosdam Thessalonicenses, inquietè ambulantes, & nihil operantes. 2. Thess. 3

Adolescentiores viduas monet Apostolus esse devitandas. Frequenter verò vagas, otiosas, & curiosas arguit, & vitare monet, quæ discunt domos circumire, & vagabundè discurrere, & se ostendere, ac vendere, & loquuntur, quæ illicita sunt, & cùm luxuriatæ fuerint, nubere volunt. 1. Tim. 5.

TITULUS XXXIX.

Detractio, & Maledicentia.

D

Impiè detraxit Joseph innocenti, & pudico domina ejus apud virum suum. Gen. 39.

Cui dubium est, quòd pessimè cogitetis: dixit Pharao Moysi. Per quod patet: pessimos hostes quandoque viris optimis, iniqua impositione, & falsa, cum multa audacia affirmare. Exod. 10.

Locuta est Maria, & Aaron contra Moysen, modica occasione assumpta; sed citò secuta est ultrix pœna. Num. 12.

De-

Num. 14. Detraxerunt filii Israël terræ promissionis, in malum suum.

Num. 16. Occasione seditionis Chore, & complicum suorum, fuerunt multi terribiliter occisi. Et post murmuravit multitudo contra Moysen, & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini.

Num. 23. Quamvis esset malus Balaam, tamen dixit; quòd nequaquam malediceret populo, cui benedixerat Dominus. Et quoad hoc multi inveniuntur deteriores illo, qui libentiùs, & frequentiùs maledicunt, & detrahunt tam bonis, quàm perversis.

1.Reg.10. Saul fuit in principio valde bonus, & tamen dixerunt quidam filii Belial: Unde salvare nos poterit iste?

1.Reg.22. Occasione Doged Idumæi, referentis Saul, quòd Abimelech sacerdos confortaverat David, occidit octoginta quinque viros, portantes Ephod, & multos alios parvulos, & mulieres.

1.Reg.29. Satrapæ Philistinorum procuraverunt apud Achis regem Geth: quòd David, qui judicio ejus bonus erat, fuit amotus de honesto officio, in quo ipsum posuerat.

2.Reg.1. Adolescentem, narrantem Saul, & filiorum ejus mortem, jussit David interfici; cùm putabat illi prospera nunciare.

2.Reg.10. Principes filiorum Ammon dixerunt ad dominum suum: Putas, quòd propter honorem patris tui David miserit ad te consolatores? Et sic perverterunt simplicem, & puram intentionem David.

2.Reg.15 Absalon ambiens regnum, dicebat habenti coram se negotium: non est, qui te audiat constitutus à rege.

2.Reg.16 Siba servus Miphiboseth nequiter detraxit domino suo apud David. Et fides nimis citò fuit adhibita pravis illius verbis.

1.Esd.4. Ædificantibus templum filiis Juda, qui redierant de Babylone, hostes eorum iniquam miserunt epistolam Artaxerxi regi, ut opus faceret intermitti.

Cùm

Cùm Sara filia Raguelis unam de ancillis increpa- Tob. 3.
ret pro culpa sua, respondit: Amplius ex te
non videamus filium, nec filiam super terram,
interfectrix virorum tuorum.

Occasione solius Mardochæi, qui superbissimum Esth. 2.
Aman adorare nolebat, ipse Aman suggessit
regi Assvero: quòd populus Judæorum regis
jussa contemneret, & per totum regnum discor-
dias seminaret, ità quòd omnes fuerunt adjudi-
cati morti. Sed divina pietas de eorum libera-
tione providit.

Quia Jeremias prædicabat: capiendam esse civi- Jer. 38.
tatem Jerusalem à Chaldæis, dixerunt principes
populi Sedeciæ regi: Homo iste non quærit pa-
cem populo huic, sed malum.

Accedentes viri Chaldæi accusaverunt Judæos, Dan. 3.
dicentes Nabuchodonosor regi: quòd socii Da-
nielis non adorabant Deos illius, & essent trans-
gressores regii decreti.

Principes, & Satrapæ Darii regis Persarum, in- Dan. 6.
videntes Danieli, accusaverunt eum apud regem:
quia ipse oraret, & observaret alium Deum,
quàm ipsum regem Darium.

Duo illi senes Presbyteri, conati sunt Susannam Dan. 13.
turpiter infamare. Sed DEUS eam mirabiliter
per abstinentem puerum liberavit.

Alcimus, qui volebat fieri summus sacerdos, & 1. Mach. 7.
quidam alii iniqui dixerunt regi Demetrio: Per-
didit Judas, & fratres ejus amicos tuos, & nos
dispersérunt de terra nostra.

Convenerunt adversus Jonathan viri pestilentes 1 Mach. 10.
ex Israël, ut interpellerent regem Alexandrum
adversus eum, & non intendit ad eos rex.

Simon de tribu Benjamin, Præpositus templi, ve- 2. Mach. 3
nit ad Apollonium, & dixit: ærarium pecuniis
innumerabilibus esse plenum.

Prædictus etiam Simon malè loquebatur de 2. Mach. 4
Onia, Provisore civitatis, ac defensore gentis

ſuæ, & æmulatorem legis DEI audebat inſidiatorem regni dicere.

2Mach.14 Veniens ad regem Demetrium Alcimus, dixit inter cætera: Quamdiu Judas ſupereſt, impoſſibile eſt pacem dare negotiis.

Matth.9. Videntes Phariſæi Dominum diſcumbentem in domo Matthæi, dicebant: Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat magiſter veſter?

Luc. 19. Simile accidit de Zachæo: murmurabant, quòd apud hominem peccatorem divertiſſet.

Matt. 11. De Joanne Baptiſta, multum jejunante, dicebant quidam: dæmonium habet.

Eodem. De Domino autem JESU, cum peccatoribus comedente, dicebant: Ecce homo vorax, & potator vini, Publicanorum, & peccatorum amicus.

Joan. 9. Visô miraculô de cœco, per Dominum JESUM illuminato, Phariſæi detraxerunt Domino, dicentes: nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt. Et maledixerunt homini illi, & dixerunt: tu diſcipulus ejus ſis. Quæ quidem maledictio ſit ſuper vos, & ſuper filios veſtros.

Scribæ, & Phariſæi detraxerunt Domino, dicentes: eum eſſe Samaritanum, dæmoniacum, blaſphemum, peccatorem, potatorem, voratorem, mendacem, prohibentem tributa dari Cæſari, gentis ſubverſorem, populi ſeductorem. Hæc omnia poſſunt ex diverſis locis Evangeliorum haberi.

Actor. 6. Non valentes Judæi reſiſtere ſapientiæ Stephani, & ſpiritui, qui loquebatur per eum, adduxerunt in Concilium duos falſos teſtes, dicentes: homo iſte non ceſſat loqui adverſus populum, legem, & locum.

Act. 16. Quidam quæſtuarii dolentes, quòd amiſerant quæſtum ſuum, eò quòd Paulus ejecerat ſpiritum Pythonem à quadam puella, quam illi habebant, dixerunt magiſtratibus: Hi homines conturbant civitatem noſtram. Et ad verba eorum, prava concurrit plebs adverſus illos, & ſcißis veſtibus eorum, juſſi ſunt virgis cædi, & in carcerem mitti.

Gal-

Gallione Proconsule Achajæ existente, insurrexerunt uno animo Judæi contra Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal dicentes: quòd contra legem homo hic persuadet hominibus colere DEUM. Act. 18.

Apud Ephesum, cùm quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini, coram multitudine, discedens ab eis Paulus, segregavit discipulos. Act. 19.

Quidam Judæi de Asia, videntes Paulum in templo, clamaverunt: Viri Israëlitæ adjuvate: hic est homo, qui adversus populum, & legem, & locum hunc omnes ubique docet: insuper, & gentiles induxit in templum, & violavit sanctum locum illum. Act. 21.

Coram Felice Præside proposuit contra Paulum Tertullus Orator pro Judæis, dicens: Invenimus hunc hominem pestiferum, concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe, & authorem seditionis, sectæ Nazarenorum, qui etiam templum conatus est violare. Act. 24.

Disputante Paulo apud Athenas, quidam Epicuræi, & Stoici Philosophi dicebant: Quidnam vult Spermologus hic dicere? Alii verò: Novorum dæmoniorum annunciator est. Act. 17.

Barbari videntes viperam pendentem in manu Pauli, dixerunt: utique homicida hic est, qui cùm evaserit de navi, &c. Sed citò postea opinionem mutaverunt. Act. 28.

TITULUS XL.

Derisio, & Convitia.

VIri Soccoth, & Phanuel derisérunt Gedeonem, Zebee, & Salmana persequentem. Sed inde malè eis accidit: quia malè eos postea tractavit. Judic. 8.

Contempsit Nabal verba nunciorum David stomachan- 1. Reg. 25.

chando, dicens: Quis est iste David? Et quis est filius Isai? Hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos.

2.Reg.6. Michol videns regem David saltantem ante arcam Domini, despexit eum, quia nudum eum vidit. Et postmodum insultando, & deridendo, dixit: Quàm glorioſus fuit hodie rex?

3.Reg.21 Derisoriis verbis dixit impia Jezabel ad Achab: Granus authoritatis es, & benè regis regnum Israël.

4.Reg.2. Quia pueri illuserunt Elisæo dicentes: Ascende calve: duo ursi laceraverunt quadraginta duos ex eis.

2.Par.30. Cursores, quos misit Ezechias, pergebant velociter de civitate in civitatem, prædicantes: ut filii Israël revertantur ad Dominum. Illis irridentibus verò, ac subsannantibus, &c.

2.Par.36. Mittebat Dominus prophetas quotidie commonens eos: quòd parcerent populo, & habitaculo suo. At illi subsannabant nuncios Domini, & parvi pendebant sermones ejus, illudebántque Prophetis.

1. Esd. 3. 4. Sannaballat, & Tobias audierunt: quòd ædificabantur muri Jerusalem, & irridebant ædificantes.

Tob. 2. Excæcato Tobia, parentes, & cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes: Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas?

1.Mach.7. Videns Nicanor holocausta, quæ offerebantur à Judæis pro rege, irridens sprevit eos, & locutus est superbè, & juravit in ira.

2.Mach.7 Antiochus crudelis tyrannus, ex verbis septimi fratris accensus irâ, in illum super omnes crudelius desævit, indignè ferens derisum se.

Derisus fuit multipliciter Dominus JESUS: ùt infra patebit tit. de Patientia.

Act. 2. Quidam Judæi, videntes discipulos Domini loquentes variis linguis post infusionem Spiritûs sancti, irridebant dicentes: Quia musto pleni sunt viri isti.

Cùm

Cùm audissent Athenienses resurrectionem mortuorum, quam annunciabat Paulus, quidam irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Act. 7.

TITULUS XLI.

Dilectio DEI.

DAturus legem Moysi Dominus dixit ei: Ego sum Dominus DEUS tuus, faciens misericordiam his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Exod. 20.

Præcipuum omnium mandatorum legis est dilectio DEI. Nam dixit Moyses post decem mandata populo repetita: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, &c. Deut. 6.

Timorem DEI, & amorem, volens specialem imprimere in populo Moyses ait: Et nunc Israël, quid Dominus DEUS tuus petit à te? nisi ut timeas Dominum DEUM tuum: & ambules in viis ejus: & diligas eum, ac servias Domino DEO tuo, in toto corde tuo, &c. Deut. 10.

Longævus Josue, & persenilis ætatis vocat omnem Israëlem, & monens eos de multis dixit inter cætera: Hoc tantùm diligentissimè præcavete, ut diligatis Dominum DEUM vestrum. Josue 13.

De rege David: de omni corde suo laudavit Deum, & dilexit Dominum, qui fecit illum. Unde ipsemet dicebat: diligam te Domine fortitudo mea. Eccl. 47.

Apostolus Paulus talem tulit sententiam: Si quis non amat Dominum JESUM, sit anathema, Maranatha. 1. Cor. 6.

Quia amor est virtus motiva ad Christum, magnum amorem Paulus habebat, qui ei crucifixus erat. Et potest notari de Paulo, quòd Christus erat ei sua sapientia: Non judicavi me scire aliud inter vos, nisi JESUM Christum, & hunc crucifixum. Galat. 2.

Philip. 3. Item sua substantia: omnia, inquit: detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.

Colos. 1. Sua justitia: factus est nobis sapientia, justitia, & sanctificatio, redemptio.

1. Cor. 14. Potest dici, quòd Christus in eo loquebatur: An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?

Galat. 2. Item Christus in eo operabatur: Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.

Eodem. Item Christus in eo vivebat: Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus.

Philip. 3. Mihi vivere Christus est.

2. Cor. 2. Item Christus in eum triumphat: Deo gratias, qui semper triumphat in nos, in Christo.

Rom. 1. Potest quoque dici Christi servus: Paulus servus JESU Christi.

2. Cor. 1. Et Christi Apostolus: Paulus Apostolus JESU Christi per voluntatem DEI.

2. Cor. 5. Item Christi legatus, & vicarius: pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo hortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.

1. Cor. 2. Et Dei adjutor erat: Dei sumus adjutores.

2. Tim. 4. Etiam pugil, vel certator: Bonum certamen certavi.

Et alibi: Sic pugno, non quasi aërem verberans.

Et prima Corinthiorum decimo quinto: Si secundum hominem cum bestiis depugnavi.

Item cursor: Sic curro non quasi in incertum. Prima Corinthiorum nono, cursum consummavi.

2. Tim. 4. Item specialis imitator: Imitatores estote mei, sicut ego Christi.

1. Joan. 4. Pulchram fecit exhortationem beatus Joannes, dicens: Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.

Luc. 7. Magdalenæ remittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum.

Joan. 21. Petrus respondit Domino sæpius roganti: amas me? Domine, tu scis, quia amo te.

TI-

* TITULUS XLII.

Dilectio Inimicorum.

Quid veniſtis ad me hominem, quem odiſtis, & expuliſtis à vobis? ait Iſaac ad quosdam ſuos inimicos. Et tamen poſtea fecit eis convivium: & poſt cibum, & potum ſurgentes manè juraverunt ſibi mutuò, dimiſitque eos Iſaac pacificè in domum ſuam. Gen. 26. 27.

Joſeph non ultus eſt malum à fratribus ſuis ſibi illatum, ſed oſtendit, ſe illos diligere, cùm ipſis dixit: Nolite pavere, neque vobis durum videatur, quòd vendidiſtis me in his regionibus, &c. oſculatúsque eſt Joſeph omnes fratres ſuos, & ploravit ſuper ſingulos. Gen. 45.

Filii Iſraël, licèt à Benjamitis læſi, non deſierunt tamen propterea eorum excidium ululatu magno deflere, dicentes: Quare Domine DEUS Iſraël, factum eſt malum in populo tuo, ut hodie una Tribus auferretur ex nobis. Judic. 21. 3.

Cùm David inveniſſet Saul inimicum ſuum ſolum in ſpelunca, eúmque potuiſſet tutò occidere: imò ad hoc à ſervis ſuis fuiſſet animatus, ei tamen nil mali intulit, ſed reſpondit: propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem; & non permiſit ſervos ſuos conſurgere in Saul. 1. Reg. 24

Idem inimici ſervo cibum præbet. 1. R. 30. 11

Idem oſtendit: ſe diligere inimicum in planctu Saul. 2. Reg. 1.

Idem cùm ſedulò inquiſiviſſet: num ſupereſt aliquis de domo Saul, ut faciam cum illo miſericordiam. 2. Reg. 9.

Idem parcit Semei, licèt multis, & magnis injuriis ab eo fuiſſet affectus. 2. Reg. 16

Idem diligit filium Abſalon, licèt rebellem, & hoſtem ſuum; mandátque militibus ſuis: Servate mihi puerum Abſalon. 2. Reg. 18

Job de ſe teſtatur: Si lætatus ſum ad ruinam ejus, Job 31. 29

qui me oderat, & exultavi, quòd invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.

4.Reg.6. Elisæus Propheta inimicos ad capiendum se missos non tantùm amavit, sed mensam eis apponi præcepit, refectósque abire illæsos permisit.

2.Par. 21. Cùm cepissent Israëlitæ ducenta millia mulierum, & puerorum è Judæa, vestitos atque refectos ad propria remiserunt.

Luc. 23. Christus Dominus ignoscit crucifixoribus.

Matt. 26. 50. Idem diligit Judam proditorem suum, eúmque vocat amicum.

Act. 7. S. Stephanus positis genibus orat pro lapidantibus se, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

Luc.9.54. Cùm Jacobus, & Joannes rogâssent Christum, ut ignem mitteret de cœlo, & consumeret inimicos suos, respondit Christus: nescitis, cujus spiritu estis.

Matth.18. Servus debitor procidit coram Domino suo, petit veniam, & remissionem debiti: Misertus autem Dominus servi illius dimisit eum, & omne debitum dimisit ei. Cùm verò hic nollet remittere debitum conservo suo, increpat eum Dominus: & gravi pœnâ mulctat.

TITULUS XLIII.

Dilectio Proximi.

Gen.4. REprehensus est Cain à Domino graviter, & punitus: quia contra fratrem suum iniquè egit; & se non esse custodem dixit ejus.

Gen.18. Nota: quàm diligenter, & sollicitè orabat Dominum Abraham, ut parceret Sodomitis; quod erat magnæ dilectionis signum.

Exod.31. Tantam dilectionem erga proximos sibi subditos Moyses habebat, quòd ipse orans Dominum, dicebat: Aut dimitte eis hanc noxam: aut dele me de libro tuo.

Opta-

Optabat Moyſes, omnes de populo prophetas: licèt honor ejus inde minui videretur. Num. 11.

Noluit Moyſes majus dominium, quod ei Dominus promittebat: in tantum proximos ſuos, quibus præerat, diligebat. Num. 14.

Filii Iſraël, poſt occiſionem filiorum Benjamin, magno ululatu cœperunt flere dicentes: Quare Domine DEUS noſter factum eſt hoc malum? Judic. 12.

Anima Jonathæ colligata eſt animæ David, & dilexit eum quaſi animam ſuam. 1. Reg. 18

Oſtendit David, ſe diligere inimicum, in planctu Saul: Amicum, in planctu Jonathæ. Similiter in planctu Abner. 2. Reg. 1.

Filium quoque, licèt malum, & ſibi adverſarium, flevit. 2. Reg. 18

Magnam dilectionem oſtendit, ſe habere Neemias ad filios transmigrationis; quod patet in his, quæ eis fecit. 2. Eſd. per totum.

Quia Tobias multis multa opera charitatis exhibebat, multi diligebant eum. Unde cùm juſſus eſſet occidi à rege, latuit, & inventus non fuit. Tob. 1.

Tantam dilectionem vult Dominus ad proximos nos habere, ut dixerit Petro: Non eſſe dimittendum ſepties peccanti fratri, ſed usque ſeptuagies ſepties. Matth. 18.

Ad proximum magnam dilectionem habuiſſe laudatur Samaritanus ille, qui appropians ſemivivo, miſericordiâ motus eſt, & ejus vulnera alligavit, infundens oleum, & vinum. Luc. 10.

Miram dilectionem ad proximum habuiſſe monſtratur beatus Stephanus: qui pro lapidatoribus ſuis devotius, quàm pro ſe orâſſe videtur. Nam pro illis genua poſuit, & voce magna clamavit: pro ſe verò ſimpliciter dixit: Domine JESU, ſuſcipe ſpiritum meum. Act. 7.

Inæſtimabiliter Paulus proximos diligebat; erat enim erga eos, ut mater parturiens; nam dicebat Galatis: Filioli mei, quos iterum parturio. Galat. 4.

1. Cor. 4. Item tanquam pater corripiens: per Evangelium in Christo ego vos genui; & paulò post: In virga veniam ad vos.

1. Thes. 2. Ad Thessalon. Tanquam pater filios deprecantes vos, & consolantes testificati sumus. Eodem; Tanquam nutrix fovens, & blandiens facti sumus, ait: tanquam si nutrix foveat filios suos.

1. Cor. 3. Et alibi: Tanquam parvulis in Christo lac potum dedi vobis.

2. Tim. 1. Item tanquam magister, & doctor erudiens: Positus sum Prædicator, & Apostolus, & Magister gentium in fide, & veritate.

Philip. 4. Item tanquam frater, & socius collaborans, & coadjuvans: Fratres mei dilectissimi, & desideratissimi, rogo te Germane compar, &c.

Philip. 1. Et cap. 1. ad Philip. Habeo vos, in confirmatione Evangelii, socios gaudii mei, &c.

2. Cor. 1. Et secunda Corinth. 1. Non dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri.

2. Cor. 5. Item tanquam legatus reconcilians: Pro Christo legatione fungimur.

Act. 20. Et Apostolus, bona annuncians: Vos scitis, qualiter nihil subtraxerim vobis utilium, quo minùs annunciarem vobis, & docerem vos publicè per domos.

Act. 17. Et alibi: Quod ignorantes colitis, ego nuncio vobis.

1. Cor. 3. Item architectus ædificans: Ut sapiens architectus posui fundamentum.

Act. 20. Per aliam nihilominus viam potest dici, quòd Paulus ostendit, se esse proximorum ferventissimum dilectorem. Per hoc videtur, quòd ipse multa pro eis faciebat: Siquidem vel sustinebat, vel dabat ea, quæ non habebat, ab habentibus pro indigentibus procurabat. Quod enim suadet ad utilitatem proximorum, ipse testatur: Ad ea, quæ opus erant mihi, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Sequitur: Quoniam bea-

beatius est dare, quàm accipere. Quamvis autem supererogationis esset, cùm ab ipsis accipere posset, in hoc faciebat, ut illis, quibus prædicabat, parceret. Unde ad Corinthios: Paratus sum venire ad vos, & non ero vobis gravis. Non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos.

Secundò, ut Pseudo-Apostolis gloriandi occasionem auferret: In omnibus sine onere me servavi, & servabo. Quod facio, & faciam, ut amputem occasionem eorum, qui volunt, ut in eo, de quo gloriantur, reperiantur sicut & nos. 2.Cor.12.

Tertiò: Ut exinde majorem mercedem haberet: Non usi hac potestate, ut accipiamus (scilicet) sumptus à vobis, sequitur: Quæ ergo merces mea? ut prædicans sine sumptu ponam Evangelium Christi. 2.Cor.11.

Rursus etiam ipse procurabat ab Ecclesia de Achaja, ad donandum pauperibus de Judæa: ob quam causam collectas fieri faciebat, & fideles ad hoc efficaciter inducebat. 1.Cor.16.

Item: Qui parcè seminat, parcè metet. 2.Cor. 9.

Dabat proximis verba DEI, quibus copiosissimè abundabat: Imò etiam seipsum eorum utilitatibus dedicabat. Volebamus tradere vobis non solùm Evangelium, sed & animas nostras: propterea quòd chari nobis facti estis. 1.Thes. 2.

Sic, & Corinthiis: Ego ipse libentissimè impendam, & superimpendar pro animabus vestris. 2.Cor. 12.

Mira insuper de corpore suo fecit proximis ad fidem, & salutem convertendis, prædicando videlicet, disputando, discurrendo à Damasco in Arabiam, in Jerusalem, in Antiochiam. Deinde nunc jussu Spiritûs Sancti cum Barnaba de Antiochia in Cyprum. Inde navigantes per Ciliciam, & pòst euntes in Pisidiam, Iconium, Lycaoniam, constituerunt Presbyteros per singulas Ecclesias: Et tandem post factum multiplicem fructum Antiochiam redierunt. De his Profectio Pauli.

Act. 9.11. 13.14.15 &c. habetur in Actibus. Postmodum verò Paulus volens visitare fratres, quibus prædicaverat verbum DEI, assumpto Sila in socium, profectus est in Syriam, & Ciliciam: Inde transiens Phrygiæ, & Galatiæ regionem, venerunt Mysiam: & postea vocatus in Macedoniam navigavit. Et tunc Paulus Thessalonicæ, & in multis aliis civitatibus regionis illius multum fructum faciens, consequenter pervenit Athenas: ubi cum Philosophis curiosis salubriter disputavit. Ex quo transtulit se Corinthum: & ibi multum populum Domino acquisivit. Inde profectus est Ephesum: & ingressus synagogas, disputavit cum Judæis. Inde egressus descendit Cæsaream: de Cæsarea venit Antiochiam: & facto ibi aliquanto tempore, profectus est Galatiam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos. Et postea peragratis superioribus partibus, iterum venit Ephesum: ibique biennio commoratus, disputans, & suadens de regno Dei, fecit, ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, tam gentiles, quàm Judæi. Inde reversus per Macedoniam, & Troadem, & Miletum, & per plures alias civitates, & insulas transiens applicuit Tyro: & de Tyro Ptolomaidem, & Cæsaream iter faciens. Deinde Jerusalem cum multa flagitatione pervenit. Ubi comprehensus à Judæis, tractus, & verberatus fuit, & coram diversis judicibus nequiter accusatus, à manifesto gravamine Cæsarem compulsus appellare. Traditus autem Centurioni post naufragia, & innumera pericula ad urbem Romanam catenis vinctus accessit: ibique prædicationi, ac doctrinæ insistens, ire etiam in Hispaniam proponebat. Ecce quomodo amabat illos, pro quibus tot, & talia sustinebat? Unde ait: Omnia, charissimi, ad ædificationem vestram.

2. Cor. 12

Ap-

Apparent etiam signa dilectionis, cùm quis vult sustinere, vel pati gravia pro amicis. Unde Ecclesiastici dicitur: Amicum salutare non confundaris. Et si mala tibi evenerint per illum, sustine. Eccles. 22

Ex jam dictis verò Paulum mira sustinuisse liquet pro utilitatibus proximorum. Unde ait: Omnia sustineo propter electos, ut, & ipsi salutem consequantur. De hoc require in Titulo de Tribulationibus. Ibi enim multa de his invenies.

Magnam dilectionem ad proximos habuisse Joannem Evangelistam, patet ex verbis suis. Ex abundantia enim cordis os ejus loquebatur, quando dilectionem, vel charitatem toties repetebat. Sicut apparet in prima epistola cap. 3. & 4.

TITULUS XLIV.

Discordia, lites, & rixæ.

PRimam discordiam inter homines movit invidia inter Cain, & Abel: Quoniam opera Cain maligna erant, fratris autem justa. Gen. 3. 4.

Substantia Abraham, & Loth erat multa, & nequibant habitare communiter; unde, & facta est rixa inter pastores gregum Abraham, & Loth. Gen. 13.

Quia quinque reges Sodomorum servierant duodecim annis Chodorlahomor regi Elamitarum, & decimo tertio recesserant ab eo: ideo factum est bellum illud de quatuor regibus adversus quinque; in quo fuit Loth captus, sed per Abraham liberatus. Gen. 14.

Viri civitatis Sodomæ vallaverunt domum, in qua erant duo Angeli in humana specie hospitati, & volebant illos cognoscere, vimque faciebant vehementissimè, eò quòd Loth fideliter hospites defendebat. Gen. 19.

Factum est jurgium pastorum Gerare adversus Gen. 26.

pastores Isaac, propter possessionem ovium, & armentorum, & familiæ plurimæ.

Gen. 27. Oderat semper Esau Jacob, pro benedictione, quâ benedixerat ei Pater, dixítque in corde suo: Venient dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.

Gen. 31. Fugiens Jacob cum jurgio, dixit ad Laban: Quam ob culpam meam sic exarsisti in me: & scrutatus es omnem supellectilem meam?

Gen. 34. Occasione Dinæ filiæ Jacob, quam Sichem filius Emor rapuit, & oppressit, facta est discordia inter filios Jacob, & habitatores terræ illius.

Exod. 2. Moyses quadam die vidit duos Hebræos rixantes, dixítque ei, qui faciebat injuriam: „Quare percutis proximum tuum?

Exod. 17. Cùm exissent filii Israël de terra Ægypti, & transîssent mare rubrum, Amalech venit, & pugnavit contra eos in Raphidim.

Exod. 16. Multoties jurgati sunt filii Israël contra Moysen in deserto. Primò: pro defectu potûs; postea habito uno cibo, desideraverunt alium. Extædiati enim manna, petierunt carnes. Item ad aquas contradictionis convenerunt adversus Moysem, & Aaron filii Israël, ubi jurgati sunt contra Dominum, & Moysen.

Num. 21. & 24.

Judic. 9. Inter Abimelech filium Gedeonis, & viros Sichem, qui malè fecerant eum Principem, fuit magna discordia susscitata: ità, quòd illi cœperunt eum detestari, & rebellare ei, & ipse eos expugnavit.

Judith. 12 Orta est seditio inter viros Ephraim, & Jephthe, eò quòd Jephthe vadens ad pugnam contra filios Ammon, illos vocare noluit, ùt dicebant.

Judic. 20. Pro uxore Levitæ in Gabaa Benjamin, & inter Tribus Israël tam vehemens discordia, & prælium fuit, ità quòd illi de Tribu Benjamin, exceptis quingentis viris, penitus sunt deleti.

1. Reg. 18 Occisô à David Philistæô, iratus est Saul contra David, eò, quòd communiter laudabatur. Non re-

rectis oculis ergo Saul aſpiciebat David à die illa, & deinceps. Nec aliquis ex tunc potuit mollire cor Saul, quin perſequeretur eum.

Facta eſt longa concertatio inter domum Saul, & domum David: ſed David ſemper proficiebat, & domus Saul continuè decreſcebat. 2.Reg.3.

Nimis inhoneſta facta eſt diſcordia inter Abſalon ambientem regnum, & David Patrem ſuum. Denique Abſalon, qui eam movit, ſuſpenſus eſt. 2.Reg.13

Rege David redeunte in Jeruſalem, filii Iſraël turbati fuerunt: eò, quòd viri Juda ipſum reduxerant, aliis non vocatis. 2.Reg.19

Duæ mulieres meretrices litigabant coram rege Salomone, occaſione unius infantis, quem utraque volebat habere. 3.Reg.3.

Mortuo Salomone, petiit populus, ut à Roboam filio ejus mitius tractaretur. Quo durius reſpondente, receſſerunt decem Tribus ab eo: & fecerunt Jeroboam regem ſibi; ex quo multa bella fuerunt inter reges Iſraël, & Juda. 3.Reg.12.

Facta eſt contentio inter diſcipulos, quis eorum videretur eſſe major; ſed Domino non placuiſſe talem contentionem, patet per ea, quæ ſequuntur. Luc. 22.

Litigabant Judæi ad invicem dicentes: Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum? Joan. 6.

Murmur multum erat de Domino JESU inter turbam. Quidam enim dicebant: quia bonus eſt; alii autem dicebant: non eſt, ſed ſeducit turbas. Sequitur: facta eſt diſſenſio, &c. Joan. 7.

Baptizatô Cornelio cum omni domo ſua, audiêrunt Apoſtoli, & fratres, qui erant ex Judæa, quoniam gentes recepiſſent verbum Dei. Cùm aſcendiſſet autem Petrus Heroſolymam, diſceptabant adverſus illum, qui erant ex circumciſione fratres, dicentes: Quare introiſti ad viros? Act. 11.

Paulo, & Barnaba in civitate Iconio prædicantibus, & multa miracula facientibus, diviſa eſt mul- Act. 14.

multitudo civitatis. Quidam erant cum Judæis, & quidam erant cum Apostolis.

Act. 15. Quidam descendentes de Juda docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvi fieri. Facta ergo seditione non minima Paulo, & Barnabæ adversus illos, statuerunt, ut consulerentur Apostoli, qui erant Hierosolymis, super hac quæstione.

Eodem. Occasione Joannis Marci, quem Paulus volebat recipere ad ministerium Evangelii, facta est dissensio inter Paulum, & Barnabam, ità, ut discederent ab invicem. Attamen totum pervenit ad profectum Evangelii.

Act. 19. Prædicante Paulo Ephesi, etiam multa miracula faciente, facta est turbatio non minima de via Domini. Demetrius enim quidam argentarius, faciens ædes Dianæ argenteas, præstabat artificibus non modicum quæstum, &c. Impleta est tota civitas confusione.

Act. 21. Quidam Judæi, videntes Paulum in templo, concitaverunt omnem populum, & injecerunt manus, clamantes: Viri Israëlitæ, adjuvate. Commota est civitas tota, & facta est concursio populi.

Act. 24. Cùm exclamâsset Paulus in Concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe, & resurrectione mortuorum ego judicor? facta est dissensio inter Pharisæos, & Sacerdotes, & soluta est multitudo.

* TITULUS XLV.

Dominorum officium erga Servos, & Servorum erga Dominos.

Gen. 16. AGar ancilla Saræ, postquam despexit Dominam suam, fugit ab illa; sed ab Angelo jussa est redire: & se humiliare sub manu Dominæ suæ.

Ea-

Eadem, cùm periculum esset, ne propter illam Isaac filius perverteretur, è domo ejicitur. Gen. 21.

Servus Abrahæ, missus in Mesopotamiam ad quærendam filio suo Isaac uxorem, Domini sui mandatum fidelissimè implet. Gen. 24.

Jacob, quàm fidelis fuerit servus, & quàm durus erga eum Laban dominus illius, indicat illis verbis, quæ dixit ad Laban: oves tuæ, & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi: nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, à me exigebas: diu noctúque æstu urebar, & gelu: fugiebátque somnus ab oculis meis: sícque per viginti annos in domo tua servivi tibi: immutâsti quoque mercedem meam decem vicibus. Gen. 31. 38.

Injustus etiam fuit Laban erga Jacob, dum ei negavit Rachel, pro qua tamen 7. annis illi servivit. Gen. 29.

Joseph ob ea, quæ gessit in domo Putiphar domini sui, est exemplar fidelis, & industrii servi. Gen. 39.

Quàm justus fuerit Job erga suos servos, indicat his verbis: Si contempsi subire judicium cum servo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent adversum me. Job. 31. 13.

Servi Regis Saul à Domino suo jussi, ut interficerent Sacerdotes, noluerunt extendere manus in Sacerdotes Domini. Noluerunt nempe iniquum Domini sui mandatum exequi. 1. Reg. 22 17.

Armiger Saul noluit occidere Dominum suum, licèt ab eo jussus. 1. Reg. 31 4.

David in prælio deficiens, cùm in periculo esset, ne ab hostium quodam interficeretur, liberatus fuit à fideli servo suo Abisai, qui irruentem Philistæum occidit. 2. Reg. 21 16.

Naaman Syro, cùm leprâ laboraret, saluti fuit ancilla, quæ consilium ei suggessit: ut ad Elisæum Prophetam accederet, & apud eum sanitatem quæreret. 4. Reg. 5.

Salomon misit servos suos ad laborandum in Li- 3. Reg. 5
ba- 14.

banum tantùm per singulos menses vicissim: ità, ut duobus mensibus essent in domibus suis: ne videlicet continuo labore nimiùm gravarentur.

4. Reg. 5. 20. Giezi servus Elisæi Prophetæ contra voluntatem Domini sui munera petens à Naaman Syro, & mentitus Domino suo, leprâ percutitur.

Esth. 6. Mardochæus Dominum suum Assverum, indicata proditione, à morte liberans, diu pro hac fide nihil præmii consecutus est, sed tandem insignem honorem accepit.

Phil. 2. 7. Christus Dominus formam servi accipiens, omnibus servis potest esse solatio, & exemplo.

Idem mirâ semper patientiâ, & bonitate cum discipulis suis agens, eorum necessitatibus succurrens, eos instruens, &c. est exemplum omnibus Dominis, quomodo se erga suos servos gerere debeant.

Matth. 25. In Parabola talentorum proponitur tum fidelitas, & pigritia servorum: tum liberalitas Domini remunerantis fideles servos, & justitia punientis servum pigrum.

Matth. 8. Centurio sollicitus est: ut ægrotanti servo sanitatem restituat.

Matth. 8. Idem testatur obedientiam suorum servorum his verbis: dico huic: vade, & vadit; & alii: veni, & venit; & servo meo: fac hoc, & facit.

Matth. 13. 27. Servi. qui se Domino offerunt ad colligenda ex agro zizania, ostendunt: quàm solliciti sint de rebus Domini, ne quid pereat; item: quòd non expectent jussa, sed se ultro offerant Domino suo ad labores.

Joan. 18. 12. Ministri Judæorum iniquissimum Dominorum suorum imperium exequuntur, & capiunt Jesum.

Joan. 12. 6. Judas proditor, qui commissas sibi pecunias clam furatus est, exemplum infidelis servi.

Joan. 4. 53. Regulus, cujus filius à Christo Domino fuit sanatus, credit, & domus ejus tota, ad ejus exemplum, & adhortationem.

Cor-

Cornelius Centurio, quia ipse erat religiosus, ac timens DEUM, talem dicitur habuisse totam familiam. Act. 10.

Paulus ad Philomenem scribit: quomodo se debeat gerere erga Onesimum servum suum fugitivum, sed ab Apostolo remissum. Epist. ad Phil.

TITULUS XLVI.

Electio.

E

CONsilio Jethro Sacerdotis Madian Moyses usus humiliter, elegit Judices, seu Prælatos minores, viros potentes, & timentes Dominum, in quibus erat veritas, & qui oderunt avaritiam. Exod. 18.

Præceperat Dominus Moysi: ut tolleret 12. virgas juxta numerum Tribuum filiorum Israël; & nomen Aaron erat in Tribu Levi: quas cùm posuisset in Tabernaculo, sequenti die invenit virgam Aaron germinâsse. Num. 17.

Volens Moyses ulcisci Israël de Madianitis, ait: Mille viri de singulis Tribubus eligantur ad bellum. Num. 31.

Moyses advertens se juxta voluntatem Domini moriturum, oravit Dominum devotè, dicens: Provideat Dominus DEUS spiritum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, &c. Ordinavit autem Dominus: quòd Josue filius Nun esset successor ipsius, & dux populi loco ejus, &c. Num. 27.

Post mortem Josue consuluerunt filii Israël Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos, & erit dux belli? Dixítque Dominus: Judas ascendet, &c. Judic. 1.

Videntes filii Israël, quòd Gedeon strenuè pro eis pugnaverat, dixerunt omnes ad eum: Dominare nostri, &c. Judic. 8.

Majores natu de Galaad perrexerunt ad Jephthe, dixe- Judic. 11.

dixerúntque ad eum: Veni, & esto Princeps noster, & pugna contra filios Ammon.

1.Reg.9. Erat vir de Benjamin, nomine Cis, & ei filius, vocabulô Saul, electus, & bonus, & non erat vir de Israel melior illo, &c. hunc revelavit Dominus Samueli eligendum fore, & inungendum super populum Israël.

1.Reg.16. De mandato Domini speciali ivit Samuel in Bethlehem, & unxit David filium Isai in regem super Israël, & Jerusalem.

2.Reg. 2. Mortuo autem Saule, venerunt viri de Tribu Juda, & unxerunt David super se in regem. Deinde universæ Tribus Israël venerunt in eum, & unctus est in regem super totum populum

2.Reg. 5. Israël. Unde ipse dicit in Psalmis: Elegit David

Psalm.77. servum suum. Et alibi: Placuit Domino,

1.Par. 28. ut me eligeret regem super cunctum populum Israël.

Eodem. Appropinquans morti David, dixit majoribus Israël: De filiis meis elegit Dominus Salomonem, ut sederet in throno regni Domini super Israël.

3.Reg.11. Terribili judicio DEI assumptus fuit Jeroboam, ut esset rex super 10. Tribus Israël: & tamen occasio fuit populo recedendi à DEO.

4.Reg.10. Scripsit Jehu literas, & misit in Samariam ad optimates civitatis. Eligite meliorem, & eum, qui vobis placuerit de filiis Domini vestri, & ponite eum super solium patris sui, & pugnate pro domo Domini vestri.

1.Mach.9. Congregati sunt omnes amici Judæ, & dixerunt Jonathæ: Ex quo frater tuus defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros. Nunc itaque te eligimus esse pro eo nobis in Principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum.

Luc. 6. Vocavit Dominus discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis: quos, & Apostolos nominavit.

Actor. 1. Post ascensionem Domini discipuli statuerunt duos, sci-

scilicet Joseph, & Mathiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui nôsti corda omnium, ostende, quem elegeris, ex his duobus unum, accipere locum ministerii hujus, & Apostolatûs.

Sermo, quem dixerunt Apostoli, placuit omni multitudini, & elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu Sancto, & Philippum, &c. Act. 6.

Ministrantibus discipulis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Act. 13.

* TITULUS XLVII.

Eleemosynæ merces.

A Brahamo facienti Eleemosynam filius promittitur. Gen. 18.

Abigail ob panes aliquot Davidis militibus prudenter distributos ad statum regium promovetur. 1.Reg.15.

Vidua pauper, in Eliam liberalis, magnos inde fructus percipit. 3.Reg.17.

Mulier Sunamitis, erga Elisæum benefica, impetrat filium, qui mortuus ad vitam ab Elisæo resuscitatur. 4.Reg.4.

Cornelius Centurio propter eleemosynas suas, quæ ascenderunt in memoriam in conspectu DEI, recipit in præmium veram fidem, & salutem. Actor.10.

Cùm evasisset Paulus cum sociis de confracta navi, Publius princeps, eis triduo victum benignè præbet. Paulus autem Patrem ipsius febri, & dysenteriâ laborantem, oratione, & manuum impositione sanat. Actor.28.

Dominus in die judicii misericordiæ erga pauperes vitam æternam in præmium dabit; dicet enim: esurivi, & dedistis mihi manducare, &c. Matth.25. 35.

Angelus Tobiæ indicat: quòd propter eleemosynam tantis bonis ejus domum mirabiliter cumulaverit. Tob. 12.

* TITULUS XLVIII.

Exemplum bonum, & malum.

Gen. 3. 6. EVa prima comedens de fructu vetito, exemplô suô permovit Adamum, ut etiam ipse comederet.

Jud. 3. 27. Filii Israël feliciter pugnârunt contra Moabitas, Aod eorum duce in fronte gradiente, qui dixit ad eos: Sequimini me.

Jud. 7. 17. Gedeon pugnaturus contra Madianitas dixit ad suos: quod me facere videritis, hoc facite. Quod cùm illi fecissent, insignem de hostibus reportârunt victoriam.

1. Reg. 24. Saul omnibus argumentis, quæ illi attulit filius ejus Jonathas, non potest persuaderi de fidelitate, & innocentia David. Persuasus tamen de hac fuit unicô Davidis factô, quo vitæ ejus pepercit, & exclamavit: Justior es tu, quàm ego. Et tu indicâsti mihi hodie, quæ feceris mihi bona.

2. Reg. 23. 16. David, cùm exercitus ejus ingenti siti torqueretur, allatam sibi aquam noluit bibere, sed effudit in terram, ut exemplô suô milites omnes sitim tolerare doceret.

4. Reg. 5. Naaman Syrus ope Elisæi mirabiliter à leprâ mundatus, intuitu hujus miraculi agnovit quidem, quòd non sit alius DEUS, nisi in Israël, sed idololatriam nondum propterea reliquit. At cùm vidit Elisæum generosè contemnere omnia munera, quæ illi obtulit, statim hoc exemplo fuit permotus, ut se converteret, & ad Elisæum diceret: non faciet amplius servus tuus holocaustum diis alienis.

2. Par. 12. 1. Cùm roboratum fuisset regnum Roboam, dereliquit legem Domini, & omnis Israël cum eo, secutus nimirum regis sui exemplum.

1. Mach. 2. 49. Mathathias moriturus, ut filios suos animaret ad leges patrias fortiter servandas, & defendendas,

das, proponit illis plurima exempla Sanctorum.

Jerosolymis leges optimè fuerunt custoditæ, & templum summo honore, etiam ab exteris, cultum, propter Oniæ Pontificis pietatem. 2. Mac. 3. 1.

Eleazarus se ad omnia tormenta, & mortem offert, ut adolescentibus exemplum forte relinqueret moriendi potiùs, quàm contra legem DEI agendi. 2. Mach. 6 28.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. Pet. 2. 21.

Idem à suis discipulis exigit, ut veritates à se doctas non tantùm linguâ, sed etiam exemplô suô populis prædicarent. Hinc ait ad eos: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Matth. 5. 16.

Cœpit JESUS facere, & docere: priùs facere, & exemplô suô confirmare, quod docuit. Act. 1. 1.

Joannes Baptista nullum signum fecit, & tamen summopere fuit ab omnibus æstimatus, & maximus hominum concursus ad eum factus: Hunc attraxit solum exemplum ejus austeræ, & innocentissimæ vitæ. Matth. 3.

Regulus, cujus filius à Christo fuit sanatus, credidit, & ad illius exemplum domus ejus tota. Joan. 4. 53.

Cornelius Centurio erat Religiosus, ac timens DEUM cum omni domo sua, Domini sui exemplum secuta. Act. 10. 2.

Cùm custos carceris baptismum suscepisset, etiam omnis domus ejus continuò est baptizata. Actor. 16. 33.

Paulus monet Titum: in omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum. Tit. 2. 7.

* TITULUS XLIX.

Fama bona, & mala.

FUit Dominus cum Josue, & nomen ejus vulgatum est in omni terra. Josue 6. 27.

Ruth. 2. Ruth pauper invenit gratiam in oculis Booz viri potentis, ac divitis, ab eóque in conjugem eligitur, eò quòd Booz multa bona de illa audiverit.

1. Reg. 1. Anna mater Samuelis, cùm ab Heli Sacerdote ebria reputaretur, defendit se, & bonam suam famam: nequaquam Domine mi, vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.

1. Reg. 2. 22. Heli filios suos increpat: quare facitis res hujusmodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo. Nolite filii mei; non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. Propter famam enim hanc pessimam plurimi abstinebant à Sacrificiis.

3. Reg. 10. Regina Saba audiens famam sapientiæ Salomonis, ab hac commota venit in Jerusalem, & tentavit eum in ænigmatis. Ut autem audivit sapientissima ejus responsa, dixit: major est sapientia, & opera tua, quàm rumor, quem audivi.

Judit. 8. 8 Judith erat in omnibus famosissima; quoniam timebat Dominum valde: nec erat, qui loqueretur de ea malum verbum.

2. Reg. 8. 10. Rex Thou, cùm multa egregia facinora de David audivisset, misit ad eum Joram filium suum, ut salutaret illum congratulans.

Job. 29. 15. Job defendit famam suam contra amicos, qui omnia mala, quæ patiebatur, ejus peccatis volebant imputare, dum de se testatur: non peccavi: Item: oculus fui cœco, & pes claudo, pater eram pauperum.

Luc. 4. 14. Christus Dominus, cùm è deserto in Galilæam rediisset, tanta mox patravit, ut fama de illo per universam illam regionem exiverit.

Matth. 9. 26. Idem cùm filiam principis à mortuis suscitâsset, exiit fama hæc in universam terram illam.

Matth. 14. Herodes audiens famam Christi Domini, judicavit, eum esse Joannem Baptistam à mortuis revocatum ad vitam.

Apo-

Apostolus studet ubique bonam famam habere; hinc ait: Christi bonus odor sumus. 2.Cor.2. 15.

Idem præcipit Philippensibus, ut omnia sectentur, quæcunque sunt bonæ famæ. Phil.4.8.

Idem exigit ab eo, qui in Episcopum debet eligi, ut testimonium habeat bonum ab iis, qui foris sunt, ne in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. 1.Tim3. 7.

TITULUS L.

Festorum Observatio.

Observatio Sabbati originem trahit ex eo, quod dicitur: Benedixit Dominus diei septimo, & sanctificavit illum; quia in ipso cessavit ab omni opere suo. Gen. 2.

Sexto die filii Israël in deserto colligebant Manna in duplici quantitate: ut die Sabbati vacarent: ab omni opere. Exod. 16.

Item in præceptis decalogi solius mandati de observatione Sabbati ratio redditur; quia minus de ratione habere apud carnales homines videbatur. Exod. 20.

Præceptum de observatione Sabbati, frequenter in lege reperitur, ut homo id diligenter observet, & ut veram requiem adipisci laboret. Exod. 31. Lev. 19. 24 & 26.

Die Sabbati offerebantur duo agni, diebus aliis unus tantùm; nisi in solemnitatibus, & calendis, ad designandum: quòd in festis abundantius DEUM laudare debemus. Num. 28.

Homo, deprehensus colligere ligna in Sabbato, fuit præceptô Domini à toto populo lapidatus. Num. 15.

Videns Neemias homines torcularia calcantes, & onera portantes venalia in Sabbatis, objurgavit eos, tanquam diem Sabbati profanantes. 2.Esd.13.

Gentiles ex parte Antiochi constituerunt prælia in diebus Sabbatorum adversus quosdam, qui fugerant de Judæa. At illi non miserunt lapidem, nec oppilaverant loca occulta, dicentes: 1.Mach.2

Moriamur omnes in simplicitate nostra. De quibus est advertendum: Quòd licèt in hoc erga mandatum Domini devotionem ostenderint, tamen attendentes postea, quòd in hoc populus Domini dispergi poterat, cogitaverunt saniori consilio, dicentes: Omnis homo quicunque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus adversus eum: Non enim dicitur opus servile, pugnare pro tuenda vita, vel pro lege Dei.

2.Mach.8. Machabæus Judas, & socii sui, pugnantes contra Nicanorem, & exercitum suum, interfecerunt 9000. hominum, cæteros autem fugere compulerunt: sed non perseveraverunt insequentes, eò quòd erat ante Sabbatum.

2.Mac.15 Nicanor cogitavit cum omni impetu die Sabbati bellum committere: sed Judæi, qui eum per necessitatem sequebantur, dixerunt ei: Ne ità ferociter, ac barbarè feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis.

Matth.12. Discipulis Domini vellentibus spicas, & manducantibus, dixerunt Pharisæi: Ecce faciunt, quod non licet facere Sabbatis. At ille dixit eis: Non legistis, quod fecit David: Sequitur: Dominus est filius hominis, etiam Sabbati.

Luc. 6. Salvator noster legitur in Sabbatis multa feciſſe miracula, ùt patet per omnia Evangelia. Cujus ratio triplex assignari potest. Una: ut se Dominum ostenderet, ùt supra Matth. 12. Secunda: ut veram intelligentiam præcepti daret: quia non ab omni opere cessandum Matth. 12. Luc.6. An licet Sabbato benè facere an malè? animam salvam facere, an perdere? Tertia: ut plures homines, audientes eum, & videntes, ædificaret, ùt Luc. 13.

Luc.13. Cùm curâsset inclinatam mulierem, Archisynagogus indignans, quia curâsset Sabbatô JEsus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini, & non

non in die Sabbati. Reſpondens Dominus Jesus Archiſynagogo, dixit: Hypocritæ, unusquisque veſtrûm Sabbatô non ſolvit bovem ſuum aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem, & octo annis, non oportuit ſolvi à vinculo iſto die Sabbati? Et cùm hæc diceret, erubeſcebant omnes adverſarii ejus, & omnis populus gaudebat in univerſis, quæ gloriosè à Chriſto JESU fiebant.

Mulieres ſanctæ, quæ paraverant aromata, ad ungendum corpus Dominicum, ità diſtrictè ſervabant Sabbatum: ut tali die noluerint tam Sanctum corpus inungere. Unde Sabbatô quidem ſiluerunt ſecundùm præceptum. Luc. 24.

Sabbatô requievit Dominus in ſepulchro. Joan. 19.

Dies Sabbati erat apta ſpecialiter, & conveniens ad audiendum verbum, & legem DEI, voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur. Act. 13. & 16.

TITULUS LI.

Fidelitas erga hominem.

Servus Abrahæ Eliezer fideliter egit nuncium à Domino ſuo ſibi commiſſum, quando ivit pro Rebecca ad domum Bathuelis. Gen. 24.

Fideliter ſervivit Jacob avunculo ſuo Laban, quando gregem ipſius paſcendo die, noctéque æſtu urebatur, & gelu. Gen. 31.

Joſeph erga Dominum ſuum fideliter ſe habuit, qui uxorem ejus tangere noluit. Gen. 39.

Item erga Pharaonem in conſilio, quod ei dedit, & in miniſterio, quod ei exhibuit, ſcilicet Joſeph. Gen. 41.

Rahab meretrix fideliter egit cum exploratoribus, quos miſerat Joſue, & ipſe Joſue egit fideliter cum eadem. Joſ. 2. & 6.

Quamvis Gabaonitæ fefelliſſent Joſue, & filios Iſraël, Joſue 9. & 10.

tamen juramenta, & pacta eis ſervaverunt, & eos contra hoſtes poſtea fideliter adjuverunt.

1.Reg.20. Fideliter indicavit David Jonathas iram patris ſui, & ipſum, quantum potuit, excuſavit, & poſtea confortavit.

1.Reg.22. Occiſo Patre Abiathar occaſione David, Ego, inquit: ſum reus omnium animarum Patris tui, mane mecum, ne timeas: ſi quis quæſiverit animam meam, quæret, & animam tuam, mecúmque ſervaberis.

1.Reg.26. Noluit David percutere Dominum ſuum, licèt malum, & perſequentem eum, cùm tamen, ſi voluiſſet, bis eum percutere potuiſſet.

1.Reg.31. Magnum fidelitatis ſignum fuit, licèt indiſcretè egerit armiger Saul, quando videns Dominum ſuum eſſe mortuum, noluit ultra vivere, ſed irruit ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo. Quid ergo facere debemus pro Domino, pro nobis crucifixo?

1.Reg.31. Viri Jabes Galaad fideliter ſe habuerunt ad Saul dominum ſuum, licèt malum, reverenter ſepelientes eum.

2.Reg.11. Urias Ethæus nolebat eſſe in deliciis, quamdiu Joab Dominus ſuus laborabat in exercitu.

2.Reg.12. Inſtante captione civitatis Rabbath, quamdiu obſederat Joab, miſit ad David, ut veniret, & illam caperet, ut Domino ſuo, non ſibi honor victoriæ deferretur.

2.Reg.15. Cùm fugeret David à facie Abſalon, dixit illi Ethai: Vivit Dominus, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus.

2.Reg.18. Noluerunt viri David, quòd ipſe exiret cum eis ad prælium, dicentes: Tu unus pro decem millibus computaris. In quo apparuit, quòd fideliter diligebant eum. Et ſequenti Cap. 21. Jam non egredieris nobiſcum ad prælium, ne extinguas lucernam in Iſraël.

Sepa-

Separatus omnis Iſraël à David, ſecutúsque eſt Sebam filium Bochri. Viri autem Juda adhæſerunt regi ſuo, tanquam fideles videlicet, & conſtantes. 2.Reg.20

Tres viri robuſtiſſimi fideliter defenderunt David pugnantem contra Philiſtiim, & attulerunt ei de aqua ciſternæ Bethlehem, quam cum deſiderio magno petierat. 1.Par. 11.

Valde fideliter egit Jojada Pontifex cum Joas filio Joram regis Juda, licèt malè recognoverit poſtea. 4.Reg. 11

Onias Summus Pontifex, & alii Sacerdotes laboraverunt fideliter viduarum, & pupillorum depoſita cuſtodire. 2.Mach. 3

Commendat Dominus fidelitatem ſervorum, qui multiplicaverunt ſibi tradita. Matth. 25.

Cum multa fidelitate procurabat populus fieri collectas pro neceſſitatibus pauperum de Judæa. 2. Cor. 9.

Fideles, & affectuoſas litteras miſit Paulus Philemoni pro Oneſimo ſervo ejus fugitivo. Philem. 1.

Diſcretum, & fidele conſilium dederunt Paulo quidam de Aſiæ Principibus, rogantes eum, ne ſe daret in theatrum. Act. 19.

TITULUS LII.

Fides.

Credidit Abraham DEO, & reputatum eſt ei ad juſtitiam. Nota: Quòd credidit DEO promittenti rem valde difficilem. Gen. 15. Rom. 4.

Translato mari rubro, & exercitu Pharaonis ſubmerſo, timuit populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moyſi. Exod. 4.

Usque ad aquas contradictionis fideliter credidit Moyſes cunctis verbis Domini, ſed ibi aliquaſiter hæſitavit. Num. 20.

Dixit Jonathas armigero ſuo: Non eſt Domino difficile ſalvare, vel in multis, vel in paucis. 1.Reg.14.

Magnæ fidei verbum fuit, cùm pugnaturus David 1.Reg.17

vid contra Goliath gigantem, dixit: Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini.

2.Par. 20. Dixit Josaphat rex Juda exercitui suo, ad pugnam congregato: Credite in Domino DEO vestro, & securi eritis: Credite Prophetis ejus, & cuncta venient prospera

2.Par. 14. Magnæ fidei verbum dixit Aza: Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, aut in pluribus.

1.Esd. 8. Esdras venturus in Jerusalem, propter magnam, & periculosam viam, noluit petere conductum à rege, sed convertit se ad jejunium, & orationem.

2.Esd. 4. Videns Neemias tot imminere pericula, & labores, ædificantibus dixit: DEUS noster pugnabit pro populo, & nos ipsi faciamus opus.

Dan. 3. Magnæ fidei verbum dixerunt socii Danielis regi Nabuchodonosor: DEUS noster quem colimus, potest nos eripere de camino ignis, & de manu tua liberare; quod si noluerit, notum sit tibi, quòd Deos tuos non colimus.

1.Mach. 5. Dixit Judas Machabæus sociis suis timentibus: Facile est: concludi multos in manibus paucorum, & non est differentia manûs DEI, liberare in multis aut paucis. Quia non in multitudine exercitûs victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.

2.Mach. 6 Eleazarus dixit his, qui volebant eum mortem evadere, simulando se de sacrificii carnibus manducare: Manus Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.

2.Mach. 7. Ex abundanti fide mentis procedebant verba illorum septem fratrum, & matris ipsorum.

Luc. 1. Zachariæ patri Joannis Baptistæ dixit Angelus: Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant pro eo, quòd non credidisti verbis meis.

Eli-

Elisabeth repleta Spiritu Sancto Beatam Virginem specialiter laudavit, Beata, ait: quæ credidisti, &c. Luc. 1.

Mira fides in illis tribus Magis fuisse probatur, qui in Bethlehem ab Oriente venerunt, & invenientes puerum cum paupercula matre, humiliter adoraverunt, & mysticas ei munerum species obtulerunt. Matth. 2.

Meritò commendatur à Domino fides Centurionis, qui dixit: Domine non sum dignus &c. Sequitur: Non inveni tantam fidem in Israël. Matth. 8.

Multum potest valere cuilibet fides propria, si tantum Paralytico valuit fides aliena. Videns JEsus fidem illorum dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, & statim integraliter sanavit. Matth. 9. Luc. 5.

Mulier fluxum sanguinis patiens intra se, ait: Si tetigero tantùm vestimenta ejus, salva ero. Sequitur: Confide filia, fides tua salvam te fecit. Matth. 9.

Non fecit Dominus JESUS virtutes multas in patria sua propter incredulitatem illorum. Matt. 13.

Quando Petrus ambulans super aquas cœpit mergi, arguit Dominus de defectu fidei dicens: Modicæ fidei, quare dubitâsti? Matt. 13.

Commendatur à Domino mulier Chananea, cui dixit: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Matt. 15.

Magnæ fidei verbum dixit Petrus Domino interroganti, quid homines dicerent de eo: Tu es, inquit: Filius DEI vivi. Matt. 16.

Mira fides fuit Magdalenæ, idcirco justè à Domino exaudiri meruit: Fides tua te salvam fecit. Luc. 7.

Credens jam pater pueri lunatici, humiliter sibi fidem augeri petebat, & cum lachrymis ajebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Matth. 9.

Thomæ Dominus dixit: Infer digitum tuum, &c. Noli esse incredulus, sed fidelis: Quia vidisti, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Joan. 20.

Die

Act. 2. Die Pentecostes post primam Petri prædicationem, post Spiritûs Sancti receptionem, circiter tria millia hominum crediderunt.

Act. 3. Cùm sanatus esset claudus, Petrus allocutus est mirantem, & stupentem turbam. Multi autem qui audierunt verbum, crediderunt. Et factus est numerus virorum quinque millia.

Act. 6. Elegerunt Apostoli Stephanum, virum plenum fide, & Spiritu Sancto.

Actor. 8. Eunuchus ait Philippo: Ecce Aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens Eunuchus, ait: Credo, DEI filium esse JEsum Christum. Et tunc Philippus baptizavit eum.

Actor. 9. & 10. Saulus, & Cornelius modô variô sed utroque ædificatoriô ad fidem Christi fuerunt adducti.

Act. 11. Quidam Cyprii, & Cyrenæi, cùm introiissent Antiochiam, loquebantur ad Græcos annunciantes Dominum JEsum, multúsque numerus conversus est ad Dominum.

Act. 13. Proconsul Paulus, videns: quomodo ad verbum Pauli Apostoli Elymas magus, qui resistebat ei, excœcatus fuit, credidit, admirans super doctrina Domini.

Eodem. Paulo, & Barnaba dicentibus Judæis: vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum, ecce convertimur ad gentes: audientes autem gaviſæ sunt, & glorificabant nomen Domini, & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

Act. 14. Quidam vir de civitate Lystris, qui nunquam ambulaverat, audivit Paulum loquentem. Paulus autem videns, quòd fidem haberet, ut salvus fieret, dixit ei: Surge super pedes tuos rectus, & exilivit, & ambulabat.

Eodem. Factum est Iconii, ut Paulus, & Barnabas simul introirent in synagogam Judæorum, & loquerentur ità, ut crederet Judæorum, & Græcorum copiosa multitudo.

Tran-

Transeuntibus Paulo, & Barnaba per diversas civitates Ecclesiæ, confirmabantur in fide, & abundabant numero quotidie. Act. 16.

Custos carceris, in quo detinebantur Paulus, & Silas, videns terræmotum fieri, & carcerem aperiri, tremefactus procidit ad pedes eorum, dicens: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum JEsum, & salvus eris. Eodem.

Cùm Paulus disputâsset Athenis contra idololatriam quidam viri adhærentes ei, crediderunt, in quibus Dionysius, &c. Act. 17.

* TITULUS LIII.

Fidem colentium felicitas, deserentium infelicitas.

Moyses ob retentum veræ Religionis cultum, & zelum non curavit bonis spoliari, & in exilium profugere: ex quo factum, ut ad tantam dignitatem, ac potestatem evectus sit, quantam ante ipsum nemo legitur assecutus. Exod. c. 2. 3. & seq.

Daniel propter actus veræ Religionis summâ honorum, & bonorum temporalium felicitate auctus est. Dan. 6.

Filii Israël immunes servantur à plagis Ægypti. Ex. 8. 22.

Joas, quamdiu veram Religionem coluit, feliciter regnavit: at ubi defecit, multis languoribus à Syris excruciatus, à suis tandem interfectus est. 2. Par. 23.

Abraham à Deo benedictus propter fidem, quâ filium suum immolavit, & contra spem in spem credidit. Gen. 22.

Fide muri Jericho corruerunt circuitu dierum septem. Hebr. 11. 30.

Fide Rahab meretrix, non periit cum incredulis. Hebr. 11. 31.

Israëlitæ servientes Baal, & Astaroth, deseruerunt viam, Judic. 2.

viam, per quam ingressi fuerant patres eorum. Iratus itaque Dominus tradidit eos in manus diripientium.

1.Reg.31. Saul, quia contempsit nomen Domini, regnum amisit, & vitam.

2.Reg.6. Michol Saulis filia, & uxor Davidis, quia derisit Religionis cultum, ideo prole caruit.

3.Reg.18 & 22. Achab rex impiissimus auctor fœdissimarum superstitionum idolum Baal pertinaciter coluit.

4.Reg.9. Verùm Rex ipse, & impia ejus conjux Jezabel dignas impietatis suæ pœnas dederunt.

3.Reg.11. Salomon, quamdiu veram Religionem coluit, secundo rerum cursu usus est. Sed cùm idola cœpit colere, à felicitate excidit.

Jerem.39 Sedecias ultimus rex Juda imitator impietatis antecessorum suorum, horribiliter à DEO punitur. Evertitur enim totum ejus regnum: cuncti ejus filii ante oculos patris trucidantur: ipse, effossis oculis, in compedibus, & squallido carcere vitam ducens miserrimè perit.

Judæi ob infidelitatem suam excluduntur à regno Dei, & relinquuntur in obstinatione sua, substitutis in eorum locum gentilibus.

* TITULUS LIV.

Forma corporis.

Gen.24. Rebecca erat decora nimis, virgóque pulcherrima, sed simul castissima, & humillima, adeò ut servo Abraham ejúsque camelis ex puteo aquam hauriret. Fuit postea à sponso suo Isaac adeò dilecta, ut hic dolorem, quem ex morte matris suæ conceperat, temperaret.

Judic.16. Samson, cætera fortissimus, formâ Dalilæ capitur, sed deceptus ab illa inimicis suis traditur.

Gen.39. Erat Joseph pulcher facie, & decorus aspectu, sed simul castissimus, licèt fortiter tentatus.

2.Reg.14 25. Erat Absalon pulcherrimus in Israël, & decorus ni-

nimis, à vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula: præ cæteris vanè sibi complacebat in capillis suis. Sed pulchritudinem suam multis vitiis fœdavit, & ipsi capilli exitio ei fuerunt.

Thamar speciosissima, quòd nimium fideret fratri suo Ammon, ab eo fuit oppressa, sed dein odio habita, & è domo ejecta. 2.Reg.13.

Judith erat eleganti aspectu nimis, sed adeò castitatis amans; ut ad hanc considerandam domi clausa maneret: ciliciô se indueret, & jejunaret omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbata, & festa domûs Israël. Hac pulchritudine liberavit urbem ab excidio. Judith. 8.

Esther erat formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa, & amabilis. Sed non quæsivit muliebrem cultum. Esth. 2. 15.

David erat adolescens pulcher aspectu, sed simul fortissimus, & castissimus. 1.Reg.17.

Paulus vult mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa. 1.Tim.2. 9.

TITULUS LV.

Fortitudo.

Videns Abraham nepotem suum Loth esse captum, assumptis vernaculis suis, & aliis sociis, irruit nocte super quatuor reges, qui ceperant illum. Et percussis hostibus, reduxit Loth, cum tota substantia, & populo Sodomorum. Gen. 14.

Securum facit hominem, & audacem puritas conscientiæ. Hinc est, quòd Jacob tumens cum jurgio, ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem domûs? Gen. 31.

Dixit

Gen. 32. Dixit Angelus ad Jacob: Si contra DEUM fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?

Exod. 5. Audacter, & constanter stetit Moyses coram Pharaone arguens eum: quia non dimittebat populum Domini.

Exod. 13. Armati ascenderunt filii Israël de terra Ægypti.

Num. 13. & 14. Caleb, & Josue viriliter confortaverunt populum dicentes: Ascendamus, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam. Et iterum: ne timeatis populum terræ, quia sicut panem, ità poterimus eos devorare.

Num. 31. Phinees cum duodecim millibus pugnatorum debellavit Madianitas. Quorum præter viros, & mulieres, qui occisi fuerant, triginta duo millia virginum in præda fuerunt: animalium verò erat maxima multitudo. Nec aliquis de filiis Israël mortuus est.

Deut. 31. Moyses dixit ad Josue, qui ei debebat succedere: Confortare, & esto robustus; tu enim introduces populum istum.

Josue 8. Pergens ad bellum Josue contra habitatores Hai, erat in fronte exercitûs, vallatus auxiliô pugnatorum.

Josue 10. Captis quinque regibus, dixit Josue ad Principes, qui secum erant: Ite, & ponite pedes vestros super colla regum istorum: Nolite timere, nec paveatis.

Josue 14. Dixit Caleb ad Josue: Octoginta quinque annorum sum hodie, sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum; illius in me temporis fortitudo perseverat.

Judic. 3. Aod judex, & princeps exercitûs Israël, in fronte gradiens, dixit ad populum: Sequimini me, tradidit Dominus inimicos nostros in manus nostras.

Judic. 6. Gedeon dixit Angelus: Dominus tecum, virorum fortissime, & post: Vade & hac fortitudine tua liberabis Israël de manu Madian. Cúmque ille

se

se humiliter excusaret, audivit: Ego ero tecum, & percuties Madian, quasi virum unum.

Ex præcepto Domini dixit Gedeon exercitui: Qui formidolosus est, & timidus, revertatur. Trecentis enim viris, pulchro stratagemate, Madianitas vicit. Judic. 7.

Samson leonem manibus inermis laceravit: Et post hoc opera fortitudinis multa fecit, ùt patet cap. 15. 16. Judic. 14.

Audiens Saul obsidionem virorum Jabes Galaad, audacter, & efficaciter, & festinanter succurrit eis. 1. Reg. 11.

David in pueritia sua fortiter superavit, & interfecit leonem, & ursum, & Goliath Philistæum. 1. Reg. 17

Item David venit in uno milite ad castra Saul, & intravit tentorium ejus, tulit hastam, & scutum ejus. 1 Reg. 26.

Pueri duodecim ex Isbosteth, & duodecim ex parte David, apprehenso unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, & ceciderunt simul. 2. Reg. 2.

Desiderante, & petente David de aqua cisternæ Bethlehem, tres fortes milites David perruperunt castra Philistinorum, & attulerunt ei de aqua illa. 2. Reg. 23

Viriliter egit Jehu, percutiens duos reges, & fratres Ochoziæ, & filios Achab, & Prophetas Baal occidit in multitudine numerosa. 4. Reg. 9. & 10.

Cum magna strenuitate Jojada Pontifex eripuit regnum Juda de manu Athaliæ, & Joas de genere David parvulum coronavit. 4. Reg. 11

Joab filius Sarviæ, fuit princeps, & dux exercitûs, quia in primis percussit Jebusæum, qui habitabat in Jerusalem, & ità statuerat David. 1. Par. 11.

Dixit Neemias optimatibus, & magistratibus Judæorum: Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono. 2. Esd. 2.

Filii transmigrationis ædificantes murum in circuitu Jerusalem, una manu faciebant opus, & altera tenebant gladium. 2. Esd. 4.

2. Esd. 6. Inimici filiorum transmigrationis terrebant eos variis modis, cogitantes, quòd cessarent ab opere. Sed dixit Neemias: Quam ob causam confortavi magis manus meas?

Judith. 4. Audientes filii Israël potentiam Holofernis, præparaverunt se diligenter ad resistendum, præoccupantes vertices montium, & muris circumdantes vicos suos, congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ.

Judith. 11 Miram strenuitatem habuit Judith, eundo ad Holofernem, & occidendo eum in tentorio suo.

Dan. 3. Socii Danielis dixerunt Nabuchodonosor regi Babylonis: DEUS noster potest nos eripere de camino ignis: quod si noluerit, notum sit tibi: ô rex! quòd Deos tuos non colimus.

Dan. 6. Daniel non omisit, propter edictum regis, quin oraret DEUM suum.

1. Mach. 2. Miram fortitudinem habuerunt Mathathias, & filii ejus; quia ità restiterunt Antiocho regi, & prævaluerunt toties contra eum.

1. Mach. 5. Confidenter, & strenuissimè Judas Machabæus flumen transit ad castra hostium, qui erant ultra ipsum flumen.

1. Mach. 6 Eleazar, filius Saura, cucurrit audacter ad elephantem, & superposuit se ei, & occidit eum, & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.

2. Mac. 6. Eleazarus dixit tortoribus suis: Fortiter vitam excedendo, dignus apparebo: Adolescentibus autem exemplar forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter, pro gravissimis, ac sanctissimis legibus, honesta morte perfungar.

2. Mac. 11 Machabæus, & qui cum eo erant, ibant prompti ad bellum contra Lysiam, de cœlo habentes adjutorem. Leonum autem more, impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, & equitum mille sexcentos. Universos autem in fugam verterunt.

Vir-

Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis JESU Christi, & gratia magna erat in omnibus illis. Act. 4.

Stephanus plenus gratia, & fortitudine, faciebat prodigia, & signa magna in populo. Ejus autem fortitudo præcipuè apparuit in eo: quòd Judæis constantissimè restitit, & diram mortem patientissimè toleravit. Act. 6.

Fortitudo, est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. Sed in hoc constat Paulum Apostolum fortissimum militem Christi fuisse: qui tot, & tanta pericula, pro Christo sustinuit, & tot, & tales labores suscepit. Sicut patet ab undecimo Actorum usque ad finem: Ipse etiam hos enumerat 2. ad Cor. 11. Cicero 2. Rethor. Act. 11.

TITULUS LVI.

Fortitudo ad operandum malum.

CAin fuit fortior, quàm Abel, quando consurrexit adversus eum, & interfecit eum. Gen. 4.

Multum laboraverunt illi quatuor reges, qui post magnam stragem hominum debellaverunt regem Sodomorum cum cæteris, & Loth nepotem Abrahæ captivum duxerunt. Gen. 14.

Abimelech filius Gedeonis fatigationem magnam sustinuit, occidendo 70. fratres suos: & postea Sychimitas oppugnando: & deinde satis citò miserabiliter occisus. Judic. 9.

Multis, & magnis periculis, & laboribus Saul se exposuit ad persequendum David: & nunquam propositum potuit obtinere. 1. Reg. 18.

Absalon volens expellere patrem suum de regno, grande negotium arripuit: & pessimè ei successit. 2. Reg. 15.

Excogitando, & bellando multum laborabat Jeroboam ad hoc, ut populum Israël posset à domo David avertere, & aversum retinere. 2. Reg. 12.

Judith. 1. Terras multas perambulavit Holofernes, & devastavit, ut eas posset Domini sui imperio subjugare. Sed tandem una mulier decapitavit eum etiam, antequam propositum compleviſſet.

2. Mach. 9. Antiochus Epiphanes multos labores sustinuit, ut cultum DEI destrueret in Judæa: & tandem depauperatus, & confusus in aliena terra miserabili morte defunctus est.

Matth. 26. Non solùm prudentiores, sed etiam potentiores sunt filii hujus sæculi, filiis lucis, in generatione sua frequenter. Nam discipulis dormientibus, Judas procurando proditionem diu sollicitus vigilabat.

Matt. 28. Principes Sacerdotum multa sollicitudine, & labore fatigati fuerunt ad hoc: quòd possent extinguere, & ad nihilum redigere nomen Christi; corruperunt enim custodes Dominici sepulchri per copiosam pecuniam, quam dederunt, ut dicerent: eum per suos discipulos fuisse sublatum.

Act. 3. & 4 Item: & discipulos ejus nunc carceribus monuerunt: nunc sermonibus arctaverunt: nunc verberibus, & contumeliis affecerunt; ut non loquerentur, nec docerent in nomine Domini JESU.

Act. 23. Cùm Tribunus Lysias vinctum detineret Paulum, fuerunt ampliùs, quàm 40. Judæi, qui voverunt: se non gustaturos quidquam, donec occiderent Paulum; unde volebant: ut produceretur Paulus in medium; ut eo viso, statim cum impetu occiderent eum.

* TITULUS LVII.

Furtum sacrilegum.

4. Reg. 12 JOas Rex, qui thesauros templi temerè surripuerat, à servis suis interficitur.

Dan. 5. Balthasar Nabuchodonosoris pronepos, quia vasis sacris, è templo Jerosolymitano ablatis, cum

Prin-

Principibus, & concubinis abutebatur, à DEO corripitur, & postea occiditur.

Antiochus ob spoliatum, & profanatum templum Jerosolymitanum, variis malis, ac doloribus oppressus miserrima morte perit. 1.Mach. 6

Heliodorus à Seleuco Rege Asiæ missus ad rapiendos thesauros templi, Sacerdotibus DEUM invocantibus, ab Angelis flagellatur: & nonnisi ad Oniæ summi Sacerdotis preces liberatur. 2.Mach.3

Lysimachus, multis commissis in templo sacrilegiis, & rapinis, ante ærarium interficitur. 1.Mach.7.

Judas ex ærario Apostolico clam pecuniam surripit: sed hoc furtum fuit origo ejus interitûs. Joan.12.6

* TITULUS LVIII.

Gaudium bonum, & malum.

G

QUale gaudium habuerit Anna mater Samuelis, indicat in suo cantico: Exultavit cor meum in Domino. Item: Lætata sum in salutari tuo. 1.Reg.1.

Bethsamitæ gavisi sunt: quòd potuerint videre arcam Domini in terras suas adventantem. Sed propterea percussi sunt plagâ magnâ à Domino. 1.Reg.6.

Magnum fuit gaudium Adoniæ filii David, dum senescente patre seipsum regem successorem constituit, & splendida convivia instituit. Sed hoc gaudium brevi evanuit, cùm audivit in convivio: Salomonem à Davide constitutum esse regem, & à Sacerdote inunctum. Nam omnes convivæ hoc nuntio territi, abierunt unusquisque in viam suam: Adonias autem surrexit, & timens Salomonem ad altare, tanquam ad asylum, confugit. 3.Reg.1.

David reduxit arcam Domini in Jerusalem cum suo, & totius populi ingenti gaudio. Ipse saltavit coram arca, instituit cantus, &c. 1.Par. 15. & 16.

Lætatus est populus: quòd de suis bonis, & the- 1.Par. 29.

sauris aliquid conferre possent in ædificium templi; quia toto corde offerebant Domino. Sed, & David Rex lætatus est gaudio magno, & benedixit Domino, &c.

2.Par. 20. Postquam Josaphat insignem victoriam de suis hostibus reportavit, reversus est omnis vir Juda, & Josaphat ante eos cum lætitia magna, eò quòd dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis. Ingressique sunt in Jerusalem cum psalteriis, & cytharis in domum Domini.

1.Esd.16. Populus Israëliticus absolvebat ædificium templi cum lætitia, sub Dario Rege Persarum, & celebrabat dedicationem domûs DEI in gaudio, & fecerunt solemnitatem septem diebus in lætitia: quoniam lætificaverat eos Dominus.

Tob. 11. Tobiam è peregrinatione reducem osculatus est pater cum uxore sua, & cœperunt ambo flere præ gaudio. Cúmque adorâssent DEUM, & gratias egissent, consederunt.

Tob.14.4. Reliquum vitæ Tobiæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris DEI perrexit in pace.

Esth. 14. 18. Esther de se testatur: Tu scis, Domine, quòd nunquam læta sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te Domine DEUS Abraham.

Jonæ 4. Lætatus est Jonas super hedera lætitiâ magnâ, sed breve fuit gaudium; nam una nocte viruit, & diluculò exaruit.

1. Mach. 9 37. Filii Jambri, cùm læti processissent ad nuptias, occisi sunt. Et conversæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum in lamentum.

Luc. 10. 20. Discipulos lætantes, quòd dæmones ejecerint, monet Christus: In hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Matth.2. Magi videntes stellam gavisi sunt gaudiô magnô valde.

Luc. 1. Joannes Baptista exultavit in utero matris, cùm à Christo sanctificaretur. Za-

Zachæus Christum excipit hospitiô gaudens. Luc. 19.
Gavisi sunt Discipuli viso Domino resurgente. Joã. 20. 20
Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii: quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati. Act. 5. 41.
Paulus de se testatur: repletus sum consolatione, superabundo gaudiô in omni tribulatione nostra. 2. Cor. 7. 4
Gaudium malorum describit Propheta Amos: Væ, qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris. Qui canitis ad vocem psalterii. Bibentes vinum in phialis, & optimô unguentô delibuti: & nihil patiebantur super contritione Joseph (pauperum.) Amos 6. 3
Erat populus jucundus, sed secundum faciem Sanctorum. Jud. 16. 24

* TITULUS LIX.

Gloria vana.

MOyses grandis factus negavit, se esse filium filiæ Pharaonis: majores divitias æstimans thesaurô Ægyptiorum inproperium Christi. Hebr. 11. 24.
Joseph omnia, quæ in Ægypto gessit, refert ad DEUM, & nullam pro se vult gloriam; ait enim: absque me DEUS respondebit prospera Pharaoni. Item: quæ facturus est DEUS, ostendit Pharaoni. Item: DEUS fecit me patrem Pharaonis, & dominum universæ domûs ejus, ac Principem in omni terra Ægypti. Item: Vos cogitâstis de me malum, sed DEUS vertit illud in bonum, ut exaltaret me, & salvos faceret multos populos. Gẽ. 41. 16 v. 25. Gen. 45. 8 Gen. 50. 20.
David suam dignitatem regiam, & præclara gesta soli DEO adscribit; ait enim: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. Psal. 117. 16.
Joab laudem victoriæ non petit pro se, sed to- 2. Reg. 12. 27.

tam vult Domino ſuo David adſcribi. Cùm enim obſideret urbem Rabbath, eámque jam in extremas anguſtias redegiſſet, miſit nuncios ad David, dicens: dimicavi adverſus Rabbath, & capienda eſt urbs aquarum. Nunc igitur congrega aliquam partem populi, & obſide civitatem, & cape eam; ne, cùm à me vaſtata fuerit urbs, nomini meo adſcribatur victoria.

4. Reg 20 Ezechias ex vana gloria oſtendit omnes ſuos theſauros nunciis Regis Babylonis. Sed propterea à Propheta graviter increpatur, eíque DEI nomine denuntiatur: quòd omnes iſti theſauri ſint ab Aſſyriis Babylonem transferendi.

3. Reg. 3. Salomon, oblatâ ſibi à DEO optione aliquid petendi, non petit gratiam coram mundo, ſed ſapientiam. Et ob hoc ipſum addita illi fuit ingens illa gloria.

Judit. 16. 23. Judith omnia vaſa bellica Holofernis obtulit in anathema oblivionis: ut videlicet obliviſceretur præclaræ victoriæ à ſe reportatæ, & nullam inde caperet vanam gloriam.

Dan. 4. 26. Nabuchodonoſor vanâ gloriâ tumens, ait: Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cúmque ſermo adhuc eſſet in ore Regis, vox de cœlo ruit: Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus ejicient te, &c.

Joan. 8. 50 Quid Chriſtus Dominus fecerit, ſuis illis verbis demonſtravit: Ego autem non quæro gloriam meam.

Luc. 1. B. V. MARIA, cùm à ſancta Eliſabeth laudaretur, ſtatim omnem gloriam retulit in DEUM, dum dixit: Magnificat anima mea Dominum. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Fecit mihi magna, qui potens eſt.

Luc. 10. 17. Septuaginta duo diſcipuli gloriabantur, quòd dæmones haberent ſubjectos. Sed redarguit eos Chriſtus exemplô Luciferi, qui ob vanam gloriam è cœlo cecidit.

S. Pe-

S. Petrus, cùm sanâsset claudum, plausum sibi à populo datum repressit his verbis: Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, ac potestate fecerimus hunc ambulare? &c. Act. 3.

S. Paulus omnem gloriam copiosi sui laboris Deo soli adscribit; ait enim: abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum. 1. Cor. 15. 10.

S. Joannes, dum multa laude digna de se narrat in Evangelio suo, semper de se loquitur, quasi de tertia persona.

Christus Dominus multis, quos sanavit, præcepit: ut nemini dicerent, & miraculum non evulgarent.

TITULUS LX.

Gratitudo erga DEUM.

Sollicitè gratias agebat DEO Jacob dicens: Domine minor sum cunctis miserationibus tuis. Gen. 32.

Voluit Dominus, ut liberatio filiorum Israël de Ægypto nunquam excideret ab eorum memoria. Erit quasi signum, ait: in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, ut lex Domini semper sit in ore tuo. Exod. 13.

Cecinit Moyses, & filii Israël carmen DEO, & dixérunt: Cantemus Domino. Postquam (scilicet) tam mirabiliter transierant mare rubrum. Exod. 15.

Obtenta de inimicis mirabili victoria, venerunt ad Moysen principes exercitûs Israël, dicentes: quòd nullus fuerat de filiis Israël in bello occisus: & tamen hominum, & animalium rapuerunt magnam prædam, & ob hanc causam dona magna obtulerunt. Num. 31.

Præcepit Dominus: ut post transitum Jordanis miraculosum ponerentur duodecim lapides in perpetuum monumentum, Josue 4.

Judic. 5. Post victoriam de Sisara habitam per Barach, & Deboram, Domino cecinerunt.

1.Reg. 2. Oravit Dominum, & laudavit Anna pro filio sibi dato.

Judic. 20. Quamvis filii Israël in præliis, ubi vincebant, fortiter dimicarent; tamen dicebatur, Dominus percutere inimicos: ut laus DEO attribueretur.

2.Reg. 7. Audiens David revelationem, quam DEUS fecerat Nathan Prophetæ de regni sui duratione, gratias egit valde humiliter, & devotè.

3.Reg.5. Multum laudandus est DEUS, qui dat populo bonum Principem, & Prælatum: Benedictus DEUS, qui dedit David filium sapientissimum, propter populum hunc plurimum.

1. Esd. 1. Cyrus rex Persarum, fecit clamari per omnia regna terræ: Dedit mihi DEUS cœli omnia regna terræ, & præcepit mihi: ut ædificarem ei Domum in Jerusalem. Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit DEUS cum ipso, & ascendat in Jerusalem.

Tob. 11. Cùm Tobias recuperâsset visum, & uxor ejus, & omnes qui sciebant, eum prius cœcum, glorificabant DEUM.

Judit. 16. Omnis populus, post victoriam de exercitu Holofernis habitam, venit in Jerusalem adorare Dominum.

Dan. 2. Revelata Danieli visione Nabuchodonosor regis Babylonis, benedixit DEO cœli, & ait: Sit nomen Domini benedictum; quia sapientia, & fortitudo ejus sunt.

Dan. 3. Devotè, & pulchrè excoluerunt laudes DEO illi tres pueri, de fornacis incendio liberati. Et non solum illi hac de causa gratias egerunt DEO, sed, & Nabuchodonosor fecit, prædicari mirabilia DEI in toto regno.

1.Mac. 4. Mundatò templò, & erectò sub Juda Machabæo, adoraverunt, & benedixerunt in cœlo eum, qui prosperavit eos.

Judas

Judas Machabæus, & populus Hierosolymorum scripserunt Aristobolo, dicentes: De magnis periculis à Deo liberati, gratias magnificè ei agimus. 2.Mach.1.

Devictô Timotheô per Judam Machabæum, & capto quodam forti præsidio, in hymnis, & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israël. 2.Mac.10.

Beata Virgo audita laude sua, quam dixit Elisabeth: Benedicta tu, &c. in vocem laudis prorupit, pro beneficiis sibi, & toti mundo collatis. Luc. 1.

Quando volebat Dominus in Evangelio aliquod grande opus facere, frequenter legitur in cœlum suspexisse, & gratias egisse. Sicut patet in panum multiplicatione Joan. 6. in Lazari suscitatione: in Eucharistiæ institutione Matth. 26.

Nato Joanne Baptista, Zacharias recuperatô loquendi officiô, Dominum prophetando laudavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israël. Luc. 1.

Accepit puerum JESUM Simeon in ulnas suas, & benedixit Dominum. Luc. 2.

Videntes turbæ Paralyticum à Domino curatum, glorificaverunt DEUM, qui dedit potestatem talem hominibus. Matth. 9.

Item: viduæ filiô suscitatô, accepit omnes timor, & magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit. Luc. 7.

Unus illorum decem leprosorum, ad mandatum Domini mundatorum, regressus est: & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. Luc. 17.

Postquam cœnavit Dominus cum discipulis suis, subditur: Et hymnô dictô, exierunt in montem Olivarum. Matt. 26.

Claudus, à Petro sanatus, intravit cum Apostolis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans DEUM. Sequitur: Omnes glorificabant DEUM propter id, quod factum fuit. Erat enim homo ille annorum plus quàm quadraginta. Act.3.&4.

Gratias agebat Paulus pro beneficiis sibi, & aliis 1.Tim. 1.

à DEO collatis: Sibi quidem in ſua converſione: Gratias ago DEO meo, qui me confortavit in Chriſto. Qui prius fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus. Sed miſericordiam DEI conſecutus ſum.

2.Cor.2. Item in ſua converſatione: DEO gratias, qui ſemper triumphat per nos in Chriſto JESU.

Rom. 1. Et pro beneficiis fratribus collatis gratias devotè agebat: Primùm quidem gratias ago pro omnibus; quia fides veſtra annunciatur univerſo mundo.

1.Theſſ.3. Ad Theſſal. Gratiarum actionem poſſumus DEO tribuere, pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus.

Epheſſ. 5. Idem gratias agere in omnibus admonebat Epheſios, cap. quinto: Et ſemper gaudete, ſine intermiſſione orate, &c.

TITULUS LXI.

Gratitudo erga homines.

Gen. 14. CUm percuſſiſſet Abraham quatuor Reges, & omnem ſubſtantiam, quam illi rapuerunt, reduxiſſet, rex Sodomorum egreſſus eſt in occurſum ejus, & omnia obtulit ei, ſolis animabus exceptis. Ubi notandum: Quòd licèt Abraham oblata reſpueret, tamen benè voluit, ut ſocii ſui partem haberent de præda, tanquam eorum ſuffragio non ingratus.

Gen. 24. Videns Laban jocalia, inaures ſcilicet, & armillas, quæ ſervus Abraham dederat Rebeccæ ſorori ſuæ, venit ad illum, & dixit ei: Ingredere benedicte Domini. Et eum in hoſpitiis cum multa humanitate recepit.

Gen. 29. Poſtquam Jacob ſervierat Laban avunculo ſuo multis annis, dixit ei Laban: Quia frater meus es, gratis ſervies mihi.

Gen. 41. Pharao rex Ægypti, multum fuit gratus Joſeph,

pro

pro expositione somnii sui: & eum magnificè sublimavit.

Jethro Sacerdos Madian gratus fuit pro eo: quòd Moyses filias ejus defenderat, quando ad gregem adaquandum iverant. Unde fecit eum vocari, ut comederet; & dedit ei filiam suam in uxorem. Exod. 2.

Valde sollicitus fuit Josue, ne Rahab meretrix, quæ nuncios ab eo missos absconderat, civitate Jericho ruente, periret. Josue 6.

Cùm liberâsset Gedeon ab inimicis Israël, dixerunt omnes ad eum: Dominare nostri tu, & filius tuus, quia liberâsti nos de manibus Madian. Judic. 8.

Dixit Noëmi commendando Booz, qui Ruth benignè viderat: Benedictus sit à Domino, quoniam eandem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit & mortuis. Ruth. 2.

Quia Cinæus bene se habuerat ad filios Israël, pepercit ei Saul, quando destruxit Amalech. 1.Reg. 15

Dixit David ad Abiathar, cujus pater dilexerat ipsum David: Mane mecum, ne timeas. Si quis quæsierit animam tuam, quæret, & meam. 1.Reg. 22

Misit David ad viros Jabes Galaad, qui sepeliêrunt corpora Saul, & filiorum ejus, & gratias egit eis. 2.Reg. 2.

Propter amorem Jonathæ filii Saul, inquisivit David: si esset aliquis superstes de genere ejus; & constituit Miphiboseth, filium Jonathæ, convivam mensæ suæ. 2.Reg. 9.

Regina Saba multa munera attulerat Salomoni: ille verò dedit ei omnia, quæ expetivit, exceptis his, quæ ultrò obtulit ei munere regio. 3.Reg. 20

Elias piè compassus est viduæ, apud quam sustentabatur, & efficaciter oravit pro filio illius defuncto, ità, quòd ipsum à mortuis suscitavit. 3.Reg. 17.

Allegavit Abdias beneficium, quod contulerat Prophetis Domini, quos absconderat, quando quærebantur ad mortem, ad hoc videlicet, quòd 3.Reg. 18

Eli-

Elias nuncium periculoſum ei injungere non deberet.

4.Reg.2. Aſcenſurus in cœlum, bene remuneravit diſcipulum ſuum Elias, ſcilicet Eliſæum.

4.Reg. 4. Mulieri Sunamitæ hoſpitæ Eliſæi, ipſe Eliſæus benignè obtulit, ut loqueretur pro ea regi, ſi apud ipſum haberet negotium. Item filium eidem impetravit: & poſtea mortuum ſuſcitavit.

4.Reg. 5. Naaman Syrus mundatus à lepra, ad verbum Eliſæi, obtulit ei munera, dicens: Obſecro, ut accipias benedictionem à ſervo tuo.

1.Eſd. 4. Accuſatores Judæorum miſerunt Epiſtolam Artaxerxi regi, inter cætera continentem: Nos autem memores ſalis, quod in palatio comedimus: & quia læſiones regis videre nefas ducimus, idcirco miſimus, &c.

Tob. 12. Tobias junior, cum multa gratitudine, retulit patri ſuo beneficia à Raphaële percepta.

Eſth. 4. 7. Eſther regina non fuit ingrata Mardochæo nutritori ſuo.

Dan. 4. 5. Nabuchodonoſor rex Babylonis audita expoſitione ſomnii ſui per Danielem, in ſublime eum extulit, & magna munera illi dedit: Similiter, & Balthaſar honoravit eum, pro eo, quòd expoſuerat ei ſcripturam, quam in pariete viderat.

2.Mac. 12 Audiens Judas Machabæus, quòd Scythopolitæ bene ſe habuerant ad Judæos in tempore tribulationis eorum, gratias egit illis.

Luc. 7. Seniores Judæorum dixerunt Domino JEſu de Centurione pro ſervo ſuo infirmo rogante: Dignus eſt, ut hoc illi præſtes. Diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ædificavit nobis.

Galat.4. Piè, & plenè recognoſcebat Paulus beneficia ſibi collata. Unde ad Galatas ait: Sicut Angelum DEI recepiſtis me, & ſi fieri potuiſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.

Philip. 4. Repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis in odorem ſuavitatis.

Et

Et alio loco: Det Dominus misericordiam Onesiphori domui: quia sæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit. 2.Tim. 1.

Item pro Onesimo servo Philemonis: qui ministraverat in carcere, scribit eidem Philemoni affectuosas, & efficaces litteras.

TITULUS LXII.

Gula, & ebrietas.

PRimum hominis peccatum, vitiô gulæ fuit completum. Gen. 3.

Noë bibens vinum inebriatus, & nudatus est in tabernaculo suo. Gen. 9.

Loth inebriatus incestum cum propriis filiabus commisit, &c. Gen. 19.

Esau pro lentis edulio vendidit primogenita sua. Gen. 25.

Sedit populus manducare, & bibere, & cœperunt ludare. Exod. 32.

Dixit Dominus ad Aaron: vinum, & omne quod inebriare potest, non bibes tu, & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini. Lev. 10.

Quicunque fecerat votum in lege, & se volebat Domino consecrare, à vino, & ab omni eo, quod inebriare poterat, abstinere debebat. Num. 6.

Flagravit populus desideriô carnium, sedens, & flens, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes, &c. Num. 11.

Prima tentatio filiorum Israël fuit de potu: secunda de cibo: & postea simili occasione multoties peccaverunt. Exod. 16.

In trecentis viris, qui ad aquas lamberunt, & moderatè biberunt, liberavit Dominus Israël de manu Madian. Judic. 7.

In epulis fiunt homines audaciores, & loquaciores. Judic. 9.

Inter epulas, & pocula, maledicebant Abimelech.

Epu-

Judic.16. Epulantibus Philisthæis, & lætantibus, domus cecidit super eos.

1.Reg.2. Nolebant filii Heli carnes coctas ab offerentibus accipere: sed crudas, ut eas sibi lautiùs præpararent.

1.Reg.14. Comedit Jonathas modicum mellis, contra inhibitionem patris: & ideo occisus à patre fuisset, nisi populus occurrisset.

2.Reg.13. Amnon filius David in convivio Absalon temulentus fuit occisus.

3.Reg.20. Benadad rex Syriæ temulentus in tabernaculo suo habebat maximam multitudinem bellatorum, & tamen victus fuit, & fugatus per pueros Principum Provinciarum.

2.Esd. 9. Comederunt, & saturati sunt, impinguati abundaverunt deliciis in bonitate tua magna: provocaverunt autem te ad iracundiam.

3.Esd.3. Prævalet vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud: seducit mentem; itémque regis, & orphani facit mentem vanam.

Judith.12 & 13. Holofernes bibit vinum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita sua; & post pauca sequitur: Erat Judith sola in cubiculo. Porrò Holofernes jacebat in lecto nimia ebrietate sopitus. Quo facto Judith habuit opportunitatem occidendi eum.

Esth. 5. Egressus est Aman à convivio Reginæ lætus, & alacer: sed in crastino fuit tristis, & confusus, cum decem filiis suis patibulo crucis affixus.

Job. 1. Noverat Job multa in conviviis peccata: idcirco postquam epulati fuerant filii ejus, consurgens diluculò, offerebat holocausta per singulos.

Isa. 22. Pro tempore illo, quo debebat destrui Jerusalem, dicitur: Vocavit Dominus ad fletum, & planctum, & ecce gaudium, & lætitia: Occidere vitulos, jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.

Sacer-

Sacerdos, & Propheta neſcierunt: præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, erraverunt in ebrietate. Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordiúmque, &c. Iſai. 28.

Ptolomæus filius Abobi, fecit convivium Simoni Sacerdoti, & duobus filiis ejus, & cùm inebriati eſſent, occidit eos. 1.Mac.16.

Primi Parentes, per eſum ligni vetiti, peccaverunt. Gen. 3.

Filii Iſraël venientes in deſertum, primò pro aquis amaris: deinde pro defectu cibi murmurâſſe leguntur. Exod. 16.

In tentatione Domini ſecundùm Matth. & Luc. legitur: Si filius DEI es, dic: ut lapides iſti panes fiant, &c. Matth. 4.

Herodes natalis ſui cœnam fecit: filia verò Herodiadis, ibi ſaltavit: & Herodi, ſimúlque recumbentibus placuit: & hac occaſione decollatus eſt Joannes Baptiſta ad petitionem illius ſaltatricis. Matth.14. Marc. 6.

Spiritus immundi loca immunda diligunt: Unde dæmoniacus ille, qui habebat legionem in corpore, habitabat in monumentis, & dæmones illi rogabant Dominum JEſum, ut exeuntes immitterentur in porcos, non in boves, vel agnos, quæ ſunt munda animalia, mundo veſcentes cibo. Luc. 8.

Contra edaces, & comeſſationibus vacantes, multùm valet exemplum divitis epulonis, qui conquerebatur ſe pati linguâ ſpecialem cruciatum. Luc. 16.

TITULUS LXIII.

Homicidium.

H

GRaviter DEUS homicidium commiſſum à Cain punivit: & tamen nondum erat prohibitum aliqua lege ſcripta. Occidit Cain Abel fratrem ſuum: Moyſes Ægyptium: David Goliath: Joab Abner, & Amaſam: Salomon Adoniam, Joab, Gen. 4. Exod. 2. 1.Reg.17.

2.Reg.20. Joab, & Semei: Herodes Joannem Baptiſtam:
3.Reg.2. Petrus Ananiam, & Saphiram: ſed conſidera varias intentiones, & cauſas. Voluit Dominus,
Marc. 6. ut homo vehementer abhorreret homicidium;
Act. 5. Unde, & ſanguinem in carne prohibuit, Geneſis nono.

Gen. 17. Homicida deberet reputari quaſi occiſus; unde dixit Rebecca: Cur utroque orbabor filio in ira DEI? Quia ſi occidiſſet Eſau Jacob, utrumque perdidiſſe filium reputabat.

Judic. 8. Si Zebee, & Salmana fratres Gedeonis non occidiſſent, nequaquam pòſt ab eodem occiſi eſſent.

Judic. 9. Abimelech filius Jeroboal occidit ſeptuaginta fratres ſuos, ut ſolus poſſet regnare. Sed ipſe ibi modico tempore dominatus fuit, multa mala ſuſtinuit, & malè vitam finivit.

1.Reg.22. Quia Sacerdos Abimelech confortavit David, fugientem Saul, ipſius David perſecutor Saul, occidit eum cum aliis Sacerdotibus, mulieribus, & parvulis.

2.Reg.1. Occidi fecit David adoleſcentem, qui dixit ſe Saul occidiſſe.

2.Reg.11. Item fecit occidi Uriam per manum Joab.

2.Reg.13. Abſalon invitatum ad convivium fratrem ſuum Amnon, illum ibidem occidit.

3.Reg.7. Tantus eſt horror effundendi humanum ſanguinem, quòd, licèt aliàs David eſſet optimus, tamen noluit Dominus, ut ædificaret ei templum, ſed Salomon filius.

3.Reg. 2. Quamvis Joab fuerit miles probus in armis, & Domino ſuo valdè fidelis: Quia tamen occidit duos viros proditoriè: omnes ejus gratiæ, quaſi pro nihillo computatæ fuerunt. Unde fecit eum occidi Salomon, licèt teneret cornu altaris.

3.Reg.21. Procurante impia Jezabel, Naboth fuit crudeliter lapidatus.

2.Par. 24. Rex Juda Joas juſſit Zachariam filium Jojadæ Sacerdotis à populo lapidari, cùm tamen pater illi-

illius restituisset illi regnum, & Athaliam occidisset.

Duo senes presbyteri, qui mortem Susannæ nequissimè cogitabant, convicti per Danielem, à populo sunt occisi. Dan. 13.

Occidit Tryphon Jonathan, & duos filios ejus: cùm tamen recepisset à Simone centum talenta argenti pro liberatione Jonathæ, & duos ejus filios pro obsidibus. 1.Mac. 13.

Ptolomæus filius Abobi fecit convivium summo Sacerdoti, & duobus filiis ejus, & cùm inebriati essent, proditoriè occidit eos. 1.Mac. 16.

TITULUS LXIV.

Hospitalitas.

NOta de Abraham, quàm celeriter, quàm lætanter Angelos hospitiò receperit, & ipsis ea, quæ videbantur necessaria, peregrinis parari fecit. Gen. 18.

Item de Loth attende: quomodo Angelos suos putabat, esse homines transeuntes, honoravit, obnixè rogavit, & eis necessaria benignè offerens, domum suam contra incursantes defendit, ùt potuit. Gen. 19.

Prompta ad hospitalitatem videbatur Rebecca, quæ dixit servo Abrahæ: Palearum, & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum. Et paulò pòst dixit eidem Laban: Præparavi domum, & locum camelis. Gen. 24.

Sinè magna prece Jethro recepit peregrinum Moysen hospitiò. Postmodum autem filia ejus, & nepotes sui, fuerunt per illum magnificè honorati. Exod. 2.

Testatur Moyses dicens: Dominus Deus noster amat peregrinum, & dat ei victum, & vestitum, & vos quoque amate peregrinos, quia & ipsi fuistis advenæ. Deut. 10.

Exploratores, quos misit Josue, accepit hospi- Josue 2.

tiô Rahab meretrix liberaliter, & custodivit fideliter.

Judic. 19. In Gabaa Benjamin, non invenit locum Levites, qui eum hospitiô recipceret, nisi quendam senem de opere venientem.

3.Reg.17. Elias suscitavit filium mulieris, apud quam sustentabatur.

4.Reg.4. Mulier Sunamitis Elisæum transeuntem hospitiô suscepit: hinc ei filium impetravit, & eundem mortuum suscitavit.

Job. 31. Bonus hospitalarius erat Job, qui dicebat: Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

Matth.10. Quando misit Salvator discipulos ad prædicandum,

Luc. 10. in illis seipsum recipi asseruit, & audiri: Qui vos recipit, me recipit: qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.

Luc. 10. Ambulans per mundum Dominus JEsus, non ha-

Joan. 12. bebat, ubi caput reclinaret. Martham verò specialem hospitam legitur habuisse.

Luc. 19. Gaudens accepit Dominum Zachæus in Domo sua; & Dominus ipsum magis gaudentem effecit, quando dixit: Hodie salus huic domui facta est.

Luc. 24. Exemplô duorum discipulorum, qui Dominum in specie peregrini coëgerunt ad manendum; apparet: quòd peregrini non solùm vocandi sunt ad hospitium, sed compellendi.

Actor. 10. Apostoli hospitabantur ùt plurimùm in domibus artificum, & hominum mediocrium. Unde legitur de Petro: Hic hospitabatur apud Simonem quendam coriarium, cujus domus est juxta mare.

Act. 18. Item de Paulo, manebat apud Aquilam, & Priscillam quia erat ejusdem artis.

Act. 16. Obnixè, & instanter deprecata est Lydia purpuraria Paulum, & socios ejus, ut manerent apud eam in domo sua, & coëgit eos, &c.

Act. 28. Cùm evasissent Paulus, & socii ejus de confracta navi: Publius Princeps insulæ illius ipsos susci-

pieus,

piens, triduò benignè exhibuit victum: Paulus autem patrem ipsius febribus, & dysenteria laborantem, oratione, & manuum impositione sanavit.

Urbanâ fiduciâ utebatur Paulus scribens Philemoni, cùm dixit: Para mihi hospitium; nam spero per orationes vestras donari me vobis. Heb. 13.

Inter cætera, ad quæ specialiter Paulus inducit Hebræos, est hospitalitas. Hospitalitatem nolite obliviscì: per hanc enim quidam placuerunt Angelis.

Commendat Cajum beatus Joannes, in tertia sua Epistola dicens: Charissime: fideliter facias, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.

TITULUS LXV.

Humilitas.

Dixit Angelus ad Agar: Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu ipsius. Gen. 16.

Humiliter loquebatur Abraham Domino, dicens: Loquar ad Dominum meum, cùm sum pulvis, & cinis. Gen. 18.

Multùm humiliavit se Jacob coram Esau, & sic compescuit iram ejus. Gen. 33.

Quinquies excusavit se Moyses: antequam vellet accipere ducatum populi, quem tamen imponebat ei; nec acquievit: donec Dominum intellexisset iratum. Unde textus: Iratus est Dominus in Moysen, &c. Exod. 3. & 4.

Moyses utile consilium pagani hominis non despexit, sed ei humiliter acquievit. Exod. 18.

Moyses videbat se habere ducatum Domini specialem, & tamen non dedignabatur rogare Obab filium Raguelis, ut secum veniret, & ductor populi esset. Num. 10.

Gedeon Angelo dicente sibi: Vade, in hac fortitudine tua liberabis Israël, respondit: Ecce fa- Judic. 6.

milia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.

Judic. 8. Viri Ephraim jurgantes fortiter, & tumidi contra Gedeonem, sedati fuerunt per ejus mansuetam, & humilem responsionem.

Ibidem. Dixerunt omnes filii Israël ad Gedeonem: Dominare nostri tu, & filius tuus. Quibus ille ait: Non dominabitur in vos filius meus, &c.

1.Reg.9. Humilitatem protendebat Saul in opere, & sermone, antequam unctus esset in regem, quando quærebat asinas patris, & excusabat se apud Samuelem. Et postea dictum est ei cap. 15. ejusdem: Nonne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput in Tribubus Israël factus es, &c.

1.Reg.17. David, licèt per Samuelem esset unctus in regem, tamen de mandato patris portabat victualia fratribus, quibus præelectus fuerat.

1.Reg. 18 David humiliavit se coram Saule, quando debebat fieri gener regis.

2.Reg. 16 Item coram servo, audiens: quòd malediceret ei Semei.

2.Reg. 7. Et coram DEO: quando saltavit ante arcam, & quando venit Nathan ad eum, nuncians ei voluntatem Domini, de perpetuitate regni.

2.Reg. 19 Humiliter respondit Miphiboseth, iniquè accusatus à servo suo, & exheredatus injustè.

3.Reg. 21 Achab rex sceleratissimus Israël, audiens pœnam sibi pro criminibus infligendam, humiliatus est coram Domino: propter hoc Dominus illam pœnam aliqualiter minoravit.

4.Reg. 1. Princeps ille, qui humiliter locutus est ad Eliam, non fuit tactus ab igne, sicut alii duo quinquagenarii, qui venerant ante illum.

4.Reg.2. Veniens ad Jordanem Elisæus, primò percussit aquas nihil dicens: & non sunt divisæ aquæ. Deinde invocavit nomen magistri sui: & divisæ sunt aquæ.

2.Par. 12. Semejas Propheta, dixit ad Roboam, & Principes ejus:

ejus: Hæc dicit Dominus: Vos relinquitis me: & ego relinquam vos. Qui consternati dixerunt: Justus est Dominus. Cúmque vidisset Dominus, quòd humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semejam dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos.

Humiliatus est Ezechias, postquam elevatum erat cor ejus in adventu nunciorum Babylonis, & idcirco non venit ira Domini in diebus illis. 1. Par. 32.

Audientes filii Israël terribilem potentiam Holofernis, clamaverunt ad Dominum cum instantia magna: & humiliaverunt animas suas. Judith. 8.

Esther regina confugit ad Dominum, & corpus suum humiliavit jejuniis, orànsque inter cætera dixit: Tu scis Domine, quòd abominor signum superbiæ, &c. Esth. 14.

Cùm diceret Dominus Jeremiam: esse Prophetam; ille humiliter se excusavit, & ait: Ah, ah, Domine DEUS, ecce nescio loqui, &c. Jerem. 1.

Nabuchodonosor ambulans in aula Babylonis, arroganter locutus est. Deinde ejectus ab hominibus, & in bestiam mutatus, recuperavit sensum, & recognovit, quòd omnes habitatores terræ apud DEUM in nihilum redacti sunt. Dan. 4.

Cùm percussus esset Antiochus à DEO insanabili plagâ, ità, ut nec fœtorem suum ferre posset, ait: Justum est, subditum esse DEO, & mortalem non paria DEO sentire. 2. Mach. 9.

Joseph humiliter se reputans non esse dignum consortiô Beatæ MARIÆ, quam concepisse videbat, non humano opere, sed divino munere hoc factum esse credebat, voluit occultè dimittere eam. Matth. 2.

In diebus illis, Magis apparet mira fuisse humilitas, quando invenerunt Puerum cum MARIA matre ejus, & procidentes adoraverunt eum. Ibidem.

Dum tantæ esset reputationis Joannes Baptista, ut populus crederet ipsum esse Christum, dixit: Luc. 3.

Matth. 3. Joan. 1. Veniet fortior me post me, cui non sum dignus solvere calceamenti corrigiam.

Matt. 3. 4 Non erubuit Christus, DEI virtus, & sapientia, ab eodem themate prædicationem suam incipere, à quo suam inceperat Joannes Baptista: Pœnitentiam agite, &c.

Luc. 1. Beata Virgo MARIA ab Angelo tam venerabiliter salutata, & Mater filii altissimi appellata, non superbiit inde, nec se vocavit matrem DEI, aut dominam, sed ancillam.

Ibidem. Item: non misit pro Elisabeth cognata sua, sed humiliter ivit ad illam.

Ibidem. Cùm Elisabeth Spiritu Sancto repleta cognovisset, quod factum fuerat, tunc divinam commendavit misericordiam, & potentiam MARIA, dicens: Magnificat anima mea Dominum. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &c.

Matth. 8. Humiliter, & fideliter respondit Centurio, dicens Domino, volenti ire ad sanandum puerum, &c. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.

Luc. 5. Videns Petrus, se ad præceptum Domini concludisse multitudinem piscium copiosam, procidit ad genua ejus, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum Domine.

Matth. 8. Salvator noster publicare miracula sua prohibebat, ut fugere doceret jactantiæ, & vanitatis vitium, & daret veræ humilitatis exemplum. Sicut patet in leproso mundato: Et in 2. cœcis ab eo illuminatis: Item in surdo, & muto sanato Matthæi septimo. Et in sua transfiguratione dixit: Nemini dixeritis visionem.

Matth. 17. Cùm dixisset Dominus mulieri Chananææ: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere

Matth. 15. canibus: Illa mulier dixit: Etiam Domine, nam & catelli, &c.

Matth. 18. Quærentibus discipulis, quis esset major in regno cœlorum? Respondit Dominus: Quicunque humi-

miliaverit se, sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum.

Exemplum, vel parabolam humilis urbanitatis induxit Dominus. Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. Luc. 14.

Ad fugiendam jactantiam, & humilitatem sectandam, multùm valet exemplum, quod inducit Dominus de superbo Pharisæo, & humili publicano. Luc. 18.

Humilitas Joannis Baptistæ apparet multipliciter: quia videlicet de se humiliter sentiebat, existimante populo, quòd fortè ipse esset Christus. Joan. 2. Non sum ego Christus. Item humiliter loquebatur. Joan. 1. Ego vox clamantis in deserto. Negavit se esse Christum, aut Prophetam. Tum etiam humiliter induebatur pilis camelorum. Humilem habitationem eligebat. Luc. 1. Erat in deserto, &c.

Humiliter Maria Magdalena, & frequenter legitur secùs pedes Domini se posuisse, &c. Luc. 7. 10.

Quærenti Domino: an Petrus diligeret eum plus aliis discipulis, respondit humiliter dicens: Tu scis Domine, quia amo te plus aliis, &c. Joan. 21.

Præcipua humilitatis exempla accipere possumus, & debemus in salvatore nostro, cujus conversationem in terris considerare possumus; quia ipse concipi voluit in patria despecta, videlicet in Galilæa, de qua loquitur Joan. 5. Scrutate, & videte, quia Propheta à Galilæa non surrexit. Unde admirando dixit Nathanaël: A Nazareth potest esse aliquid boni?

Iterum de humili matre natus fuit, quæ dixit: Respexit humilitatem ancillæ suæ, &c. Luc. 1.

In domuncula parva, & loco humillimo. Luc. 2. Reclinavit eum in præsepio, &c.

Item: quasi per annos 30. latuit in mundo, ità quòd nihil legitur de eo, nisi: cùm esset annorum duodecim, remansit in Jerusalem, & in-

ventus est in templo audiens, & interrogans, & determinans. Contra præsumptuosos, qui nimis festinè ad officium docendi prorumpunt. Sequitur ibi Lucæ 2. Descendit cum MARIA, & Joseph, & erat subditus illis.

Matth. 3. Exinde circa annum 30. ad Joannem Baptistam venit: ut baptizaretur ab eo, non pro eo misit. Contra multos, qui ad minores pergere dedignantur.

Matth. 14. Item humiles discipulos elegit, & cum eis humiliter conversatus est, & eos præcipuè humilitatem docuit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: unde, & filium hominis se dicebat sæpius, quàm filium DEI; licèt utrúmque esset verum secundum duas naturas in ipso: tamen ab inferiore frequentiùs se nominabat.

Joan. 2. Conversatus est cum hominibus: interesse voluit pauperibus nuptiis, ubi vinum defecit. Non autem interfuit splendidis, & divitibus nuptiis, in quibus fiunt frequenter enormes excessus.

Joan. 6. Cùm cognovisset, quia venturi erant, & raperent eum, & facerent eum regem, fugit in montem.

Matth. 17. Didrachmam, quasi servus, aut alienus, exolvit. Idem non habebat, ubi caput suum reclinaret. Luc. 6.

Joan. 4. Et circumiens civitates, & castella, pedes ibat, ità quòd fatigatus ex itinere, sedebat super fontem, & à muliere Samaritana bibere postulabat.

Matth. 21. Quando verò venit Jerusalem, nobili vectura uti noluit, non equum, sed asellum habuit.

Joan. 13. Transiturus ex hoc mundo ad Patrem, relinquere voluit speciale humilitatis exemplum, hinc pedes discipulorum lavit, & linteô, quo præcinctus erat, extersit.

Philip. 2. Præcipuè autem in passione nimis seipsum humiliavit: factus obediens usque ad mortem, non quamcunque, sed crucis, quæ erat genus mortis turpissimum, ut in Evangeliis omnibus patet.

De quo notari potest: quòd superbi, & mundi ama-

amatores circa septem versari solent, & appetere, vel in adeptis specialiter gloriari, quibus constat in cruce caruisse, & contraria habuisse. Hæc autem dici possunt: Terrena affluentia, mundana sapientia, carnalis lætitia, popularis fama, turba famulorum, dejectio inimicorum, numerositas amicorum. Christus JESUS autem Dominus noster in cruce fuit pauperrimus, quia vestimentis nudatis Joannis 19. Fuit stultus, & insipiens reputatus; nam verbum crucis gentibus stultitia est, 1. Corinthiorum 1. Item diffamatus fuit, & seductor populi appellatus. Unde dixerunt de eo Principes Sacerdotum: Recordati sumus, quia seductor ille, &c. In cruce insuper quodammodo fuit victus, quia occisus inclinato capite tradidit spiritum. Ibi etiam amicum nullum habuit. Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum, Psalmo 87. Elongâsti à me amicum, & proximum. Item famulis, & servis in cruce caruit; unde dicitur: Discipuli relicto eo omnes fugerunt. Psalm. 87. Matth. 27. Factus sum sicut homo sine adjutorio, &c.

Post miraculum de claudo per Petrum sanato, humiliter locutus est Petrus, non adscribens factum sibi, sed divinæ virtuti, & per invocationem nominis JESU Christi. Act. 3.

Cùm introiisset Cæsaream Petrus, obviam venit ei Cornelius, & procidens: Surge, & ego ipse homo sum ait Petrus, elevans Cornelium. Act. 10.

Audiens Paulus, & Barnabas, quòd homines de civitate Lystris dicebant, eos esse Deos, & eis sacrificare volebant, concisis tunicis exilierunt in turbas clamantes, & dixerunt eis: Viri, quid hoc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis, &c. Tandem vix sedaverunt turbas, ne sibi immolarent. Act. 14.

Paulus Apostolus manibus operabatur, ut haberet necessaria sibi, & sociis: propter quod etiam Act. 18.

mo-

morabatur cum Aquila, & Priſcilla, qui erant artis ſcenofactoriæ, ſicut & ipſe.

Act. 20. Alibi dicit: Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.

1. Cor. 1. Humiliter de ſe ſentiebat Paulus, qui fratrum orationibus confidebat. Adjuvantibus vobis in oratione pro nobis, ait.

Rom. 15. Orationes aliorum ſollicitè poſtulavit, unde ait: Obſecro vos fratres per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, & per charitatem Spiritûs Sancti, ut adjuvetis me in orationibus.

1. ad Cor. 14. & Theſſal. 3. Verbis etiam ſuis veram humilitatem interius indicabat. 1. Cor. 15. Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, &c.

1. Tim. 1. Et: JESUS venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum, &c.

Rom. 12. Item ad humilitatem alios ſollicitè inducebat, ait enim: Non alta ſapientes, conſentientes. Et ad Philippenſes 2. In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes, &c.

TITULUS LXVI.

Hypocriſis, & Simulatio.

2. Reg. 13 AMnon filius David, ſimulavit languorem, ut poſſet decipere Thamar, quam libidinosè amabat.

3. Reg. 4. Uxor Jeroboam, mutato habitu, venit ad Abdiam Prophetam, cui ille dixit: Quare aliam te ſimulas?

4. Reg. 5. Giezi, famulus Eliſæi, ſimulavit Dominum ſuum indigere duplici veſte pro duobus adoleſcentibus ex filiis Prophetarum.

2. Mach. 5 Cùm veniſſet Apollonius Hieroſolymam, miſſus ab Antiocho, pacem ſimulans, quievit uſque ad diem Sabbati, & tunc feriatis Judæis, arma ſuis capere præcepit, & omnes, qui ad ſpectaculum venerant, trucidavit. Quam-

Quamvis divina sapientia generaliter impium detestetur, tamen specialiter hypocritis comminatur multoties in Evangelio, dicens: Væ vobis Pharisæis. Pharisæis volentibus capere JEsum in sermone, respondit, increpans eos: Quid me tentatis hypocritæ? Prov. 2. Matth. 22.

Quidam sunt, qui magna scelera perpetrant, & modica peccata devitant, excolentes culicem, & camelum glutientes: sicut Principes Sacerdotum, qui magis timuerunt intrare prætorium Pilati, quàm nequissimè procurare crimen homicidii. Joan. 18.

Archisynagogus indignans, quia Dominus Sabbatò curaret, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari; in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbati. Dominus autem illum arguit, hypocritam vocans. Luc. 13.

Malam hypocrisim commiserunt Ananias, & uxor ejus Saphira, simulantes, se totum agri pretium attulisse, & ad pedes Apostolorum posuisse. Actor. 5.

Quamvis Simon magus credidisset in prædicatione Philippi, Petrus dixit ad eum: Non est tibi sors in sermone isto. Cor enim tuum non est rectum coram Domino. Pœnitentiam itaque age, &c. Respondens autem Simon dixit: Precamini vos pro me. Actor. 8.

Elymam magum graviter notavit Paulus de hypocrisi, & falsitate, dicens: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, & inimice omnis justitiæ, non desinis Domini vias pervertere rectas? Act. 13.

TITULUS LXVII.

Jactantia.

I

GAal, filius Abed, dicebat sociis: Quis est Abimelech, & quæ est Sichem, ut serviamus ei? Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferam, &c. Judic. 9.

Sam-

Judic. 14. Samſon leonem manibus inermis laceravit: nec tamen tantam probitatem indicare voluit.

1. Reg. 17 Goliath Philiſtæus exprobravit exercitui Iſraël: ut aliquis veniret cum eo ad ſingulare certamen.

3. Reg. 1. Adonias filius Hagith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Sed parùm duravit regnum ejus.

3. Reg. 20 Benadad, rex Syriæ, miſit nuncios regi Iſraël, & ait: Hoc faciant mihi Dii, & hoc addant: ſi ſuffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui ſequitur me. Sed pulchrè reſponſum eſt ei: ne glorietur accinctus, æquè ùt diſcinctus, &c.

4. Reg. 18 Grandia verba, & ſuperba dixit Rapſaces, ex parte regis Aſſyriorum, dicens: Nunquid liberaverunt Dii gentium terram ſuam de manu regis Aſſyriorum, &c.

Judith. 6. Holofernes dixit Achior: Cùm percuſſerimus omnes, quaſi hominem unum, tunc etiam ipſe cum illis Aſſyriorum gladiô interibitis.

Eſth. 5. Aman, invitatus ad convivium Eſther, vocavit amicos, & uxorem ſuam, & expoſuit illis magnitudinem divitiarum ſuarum, & filiorum, & quòd apud reginam ſolus cum rege prandere debebat. Sed nota: quòd ſuſpenſus fuit in craſtino, in eadem trabe, quam paraverat Mardochæo.

Iſa. 10. Aperuit Iſaias verba regis Aſſyriorum: In fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi, &c. Non fuit qui moveret pennam, & aperiret os ſuum, & gannìret, &c.

Iſa. 14. De Nabuchodonoſor intelligitur ad litteram illud Iſaiæ: Dicebas in corde tuo: in cœlum conſcendam, ſuper aſtra DEI exaltabo ſolium meum, & ſimilis ero altiſſimo.

Jerem. 48 Per Jeremiam dicitur de Moab: Summitatem ejus, & arrogantiam ejus, quòd non ſit juxta eam ejus virtus, &c.

Dan. 3. Nabuchodonoſor rex Babylonis dixit tribus ſociis Danielis, qui noluerunt ſtatuam ejus adorare: Quis eſt DEUS, qui eripiat vos de manu mea?

Deam-

Deambulans in aula Nabuchodonosor, ait: Nonne hæc est Babylon civitas magna, quam ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cúmque adhuc sermo esset in ore regis, vox de cœlo ruit, &c. Dan. 4.

Audivit Seron, quod congregavit Judas Ecclesiam fidelium, & ait: Faciam mihi nomen, & debellabo Judam, sed ipse econtra fuit citò debellatus ab eo. 1 Mach. 3.

Demetrius, filius Demetrii misit ad Jonatham, dicens: Descende ad nos in campum, & comparemus illic invicem, quia mecum est virtus bellorum. Interroga, & disce, quis sum ego, &c. Sed paulò pòst malè successit ei. 1. Mac. 10.

Nicanor pugnaturus contra Judam, vocavit negotiatores, promittens, se daturum pro uno talento nonaginta mancipia Judæorum. 2. Mach. 8

Multitudine adarmata concurrente, fugatus est turpiter Antiochus de Persipoli civitate Persidis, & superbè locutus est, dicens: se venturum Jerusalem, & congeriem sepulchri Judæorum eam facturum. 2. Mach. 9

Nicanor interrogavit Judæos: Si est potens in cœlo, qui imperavit diem Sabbatorum: Respondentibus illis: Dominus potens in cœlo, qui constituit diem septimum, ait: & ego potens sum super terram, &c. 2. Mac. 15

Petrus valde audacter dixit Domino: etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego. Sed postea longè aliter accidit. Matt. 26. Marc. 14.

Qui se jactant, & dilatant, maximè si mentiuntur, diabolum specialiter imitantur, qui dixit: cùm ostendisset Domino omnia regna mundi: Mihi tradita sunt omnia: & cui volo, do illa. Luc. 4.

Contra jactantes se, & arrogantes, inducit Dominus exemplum illius Pharisæi dicentis: Non sum sicut cæteri hominum, velut etiam hic publicanus. Luc. 18.

Ma-

Joan. 9. Magnæ arrogantiæ verba dixerunt Pharisæi cœco nato, quem Dominus illuminavit, & illos rationabiliter confundebat: in peccatis natus es totus, & tu doces nos?

Joan. 19. Arroganter nimis dixit Salvatori Pilatus: Nescis, quia potestatem habeo, crucifigere te, & potestatem habeo, dimittere te?

TITULUS LXVIII.

Idololatria.

Exod. 32. VIdens populus, quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus omnis populus adversus Aaron dixit: Fac nobis Deos, qui nos præcedant.

Num. 25. Fornicatus est populus filiorum Israël cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adoraverunt deos eorum.

Judic. 2. Mortuô Josue filiô Nun, filii Israël fecerunt malum in conspectu Domini, & servierunt Baalim, & Astaroth, ac dimiserunt Dominum DEUM patrum suorum.

Judic. 8. Fornicatus est Israël in Ephod, quod fecerat Gedeon. Et factum est Gedeoni, & omni domui ejus in ruinam.

3.Reg. 11 Cùm jam senex esset Salomon, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos: nec erat perfectum cor ejus.

3.Reg. 12 Cogitatô consiliô, Jeroboam fecit duos vitulos aureos, & dixit: Ecce dii tui Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti.

3.Reg. 16 Non sufficit Achab regi Israël, ut ambularet in peccatis Jeroboam, sed insuper servivit Baal, & adoravit eum.

4.Reg. 14 Ædificaverunt viri de Juda aras, statuas, & lucos super omnem collem excelsum, & subtus omnem arborem frondosam.

4.Reg. 16 Achaz rex Juda ambulavit in via regum Juda, & Isra-

Isræl. Insuper & filium consecravit, transferens per ignem.

Translatis filiis Isræl in Assyrios, collocatæ sunt diversæ gentes in civitatibus Samariæ, & unaquæque fecit Deum suum. Et cùm Dominium colerent, diis quoque suis serviebant, juxta consuetudinem gentium. 4.Reg. 17

Confusus, & vituperatus Sennacherib rex Assyriorum, reversus est in Niniven ab impugnatione Ezechiæ regis Juda. Cúmque oraret in templo Nesrach Deum suum, Adramalech, & Sarasar filii ejus percusserunt eum gladiô, & fugerunt. Ibidem.

Manasses rex Juda erexit aras Baal, & adoravit omnem militiam cœli, & coluit eam. 4.Reg. 21

Holofernes indignatus contra Achior, qui commendaverat potentiam DEI Hebræorum, dixit: quòd ostenderet ei, quòd non esset Deus, nisi Nabuchodonosor. Judith. 6.

Nabuchodonosor fecit statuam auream, & præcepit: ut omnis populus, tribus, & linguæ cadentes, adorarent eam. Dan. 3.

Darius rex Persarum proposuit edictum; quòd nullus intra triginta dies peteret aliquid à quocunque Deo, vel homine, nisi ab ipso Dario rege. Dan6.

Erat idolum in Babylone, quod rex quotidie adorabat: quod cùm Daniel subvertisset, Babylonii draconem adoraverunt. Dan. 14.

Antiochus jussit adorari idola, ædificare aras, & templa, & immolari carnes suillas, & relinquere filios suos incircumcisos. 1.Mac. 1.

Cùm Paulus maneret Athenis, incandescebat spiritus ejus in ipso, cùm videret simulacrorum cultui deditam civitatem. Act. 17.

TITULUS LXIX.

Immortalitas Animæ rationalis.

Gen. 25. PEr hoc, quod dicitur de Abraham: Congregatus est ad populum suum, innuitur: quòd in alio sæculo haberet populum, scilicet, homines, qui bene vixerant, sicut & ipse.

Gen. 35. Simile habetur de Isaac: appositus est populo suo. Et de Jacob. Gen. Cap. 49.

Gen. 37. Cùm crederet Jacob mortuum esse Joseph: Descendam, inquit; ad filium meum lugens in infernum. Unde credebat: eum ibi esse secundùm spiritum.

Gen. 42. Fratres Joseph volentes dicere, quòd unus fratrum suorum mortuus esset, dicebant: Duodecim fratres sumus, filii viri unius, minimus cum Patre nostro est, alius non est super.

Exod. 3. Matth. 22 Apparens Dominus Moysi in rubo, dixit: Ego sum DEUS Abraham, Isaac, &c. Per hoc probat Salvator noster resurrectionem mortuorum: Non est, inquit: Deus mortuorum, sed viventium.

Num. 16. De Core, & complicibus ejus dicitur: Descenderunt vivi in infernum, operti humô, & perierunt de medio multitudinis. Per hoc patet: quòd in inferno vivant mali secundùm animas.

1. Reg. 28 Si Saul credidisset, Samuelem penitus, quantum ad animam, fuisse extinctum, non petivisset, ipsum suscitari.

2. Reg. 12 Mirantibus servis David, quòd ipse pro mortuo parvulo non ploraret, dixit: Ego vadam ad eum, ille verò non revertetur ad me.

2. Reg. 18 Cùm suspensus, & tribus lanceis confossus Absalon interiisset, David lachrymabiliter planxit eum. Et ùt Augustinus, in lib. de Doctrina Christiana, ait: Non orbitatem filii doluit, sed quia noverat, in quas pœnas tam impiè adultera, &

par-

parricidalis anima raperetur. Namque alio prius filio, qui innocens erat, pro quo ægrotante afligebatur, moriente lætatus est, ùt secundo Regum 12. habetur.

Oravit Elias pro susçitatione filii hospitæ suæ, dicens: Domine DEUS meus revertatur oro anima hujus pueri in viscera ejus. 3. Reg. 17

Frequenter legitur in lib. Regum: Dormivit cum patribus suis. Quod quidem nullatenus de brutis animalibus potest dici. Unde probatur, eos vivere post mortem, & resurrecturos esse, sicut in dormiente apparet.

Ex verbis, quæ dixit Tobias, increpans stultitiam propinquorum, patet manifestè, quòd anima vivat post separationem à corpore. Filii, inquit: Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quàm DEUS daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Item in oratione postea dixit: Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi Spiritum meum. Tob. 2.

Addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Job, duplicia; tandem dedit ei septem filios, & tres filias sicut prius. Job. 42.

Secundùm Gregor. ult. moral. valdè expressè dixit Salomon in fine Ecclesiastis 51. Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum. Eccl. ult.

Ex verbis illis, quæ dicunt damnati in inferno, ostendunt, vivere tam bonos, quàm malos in alio sæculo. Sapient. 5

De Nabuchodonosor rege Babylonis dicitur ad litteram: Ex quo dormisti, in morte scilicet, non ascendit, qui succidat nos. Infernus subter te conturbatus est in concursum adventûs tui. Et postea: Detracta est ad inferos superbia tua. Et plura ponuntur ibi, per quæ patet: illum non penitus interiisse, sed ad infernum ejus animam descendisse. Isa. 14.

2. Mac. 6. Dum suaderetur Eleazaro, ut simularet se de carnibus sacrificii comedisse, dixit: Et si in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.

2. Mac. 7. Unus septem illorum fratrum dixit: De cœlo ista possideo; sed & propter DEI leges hæc ipsa despicio, quoniam ea ab ipso me recepturum spero. Similiter ex verbis matris ejus, & aliorum patet: quòd, quantum ad animam, non credebant se perire.

2. Mac. 14 Razias complexus intestina sua, projecit super turbas, invocans Dominatorem terræ, ac spiritûs; ut hæc illi iterum redderet, & sic obiit.

Matth. 10. Monens, ac muniens discipulos, quos mittebat Salvator, ait: Nolite timere illos, qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere: sed potius timere eum, qui postquam occidit, habet potestatem mittendi in gehennam.

Luc. 16. Nota: in eo, quòd narrat Dominus de divite, & Lazaro, non videtur parabola aliqua, vel similitudo. Unde videtur fuisse historia manifesta; & sic apparet: esse sive bonorum, sive malorum animas immortales, & recipere post separationem à corpore, prout in corpore meruerunt.

Eodem. Exemplô villici iniqnitatis, qui fecit amicos de bonis Domini sui, concludit Dominus dicens: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Quòd nihil esset dictum, si anima post separationem à corpore, seu post mortem corporis, nullum haberet receptaculum.

Act. 7. Devotam, & rectam fidem de anima beatus habebat Stephanus, qui cùm lapidaretur, dicebat: Domine JEsu! accipe spiritum meum.

1. Cor. 15. Ex verbis egregii Doctoris Pauli, animam vivere post separationem à corpore, manifestè apparet. Scimus, inquit, quoniam si terrestris do-

domus dissolvatur, quòd ædificationem habemus ex DEO domum, non manu factam, sed æternam in cœlis.

Et ad Phil. Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. Philip. 1.

Item Rom. 7. Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et certè talia non diceret, nisi de vita alia certus esset. Rom. 7.

TITULUS LXX.

Impatientia, & murmur.

AGar ancilla Saræ non ferens correptionem Dominæ suæ, quæ affligebat eam propter ipsius superbiam, fugam inivit, sed ad mandatum Angeli rediit. Gen. 16.

Præpositi filiorum Israël dixerunt Moysi, & Aaron: Videat Dominus, & judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, &c. Exod. 5.

Videntes Ægyptios filii Israël dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine. Exod. 14.

Prima murmuratio filiorum Israël in deserto fuit pro defectu potûs. Murmuravit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus? &c. Exod. 15.

Deinde pro cibo: murmuravit omnis congregatio filiorum Israël, dicens: Cur induxistis nos in desertum, ut occideretis omnem multitudinem fame? Item murmuravit: postquam miserat Dominus coturnices, & manna, præ fitis angustia. Exod. 16. & 17.

Cùm patiebatur populus famem in deserto, cum murmure, & impatientia recordabatur carnium, quas comederat in Ægypto. Sed de durissima servitute, qua opprimebatur, non faciebat aliquam mentionem. Eodem.

Videns populus, quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron, ait: Surge, & fac nobis Deos, qui nos præcedant. Exod. 32.

Num. 11. Ortum est murmur populi, quasi dolentium præ labore contra Dominum: & accensus est in eos ignis Domini, & devoravit extremam castrorum partem. Et nota perversitatem illorum dicentium: Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, cùm ità carè emerant.

Num. 16. Post terribilem mortem Core, & complicum suorum, multitudo murmuravit contra Moysen, & Aaron, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini.

Num. 20. Rursus propter defectum potûs, & fructuum murmuraverunt: & jurgati sunt filii Israël contra Moysen, ad aquas contradictionis.

2. Reg. 17. Videns Achitophel, quòd non fuisset factum juxta consilium suum: in tantum impatiens fuit, quòd recessit ab Absolone: & abiens in domum suam suspendiô interiit.

1. Reg. 20 Quia durius locuti sunt filii Juda cum illis de decem Tribubus, separatus est Israël à David, & secutus est Sebam filium Bochri.

Tob. 2. Cùm dixisset Tobias de hœdo, quem balantem audivit: Videte, ne furtivus sit, uxor ejus impatienter respondit.

Toh. 3. Sara filia Raguelis unam de ancillis suis pro culpa increpabat, & illa nimis injuriosè respondit, dicens: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.

Judic. 5. Nunciatum est Holoferni: quòd filii Israël præparâssent se ad resistendum, & furore nimio exarsit in iracundiam magnam.

Eodem. Item cùm cessâsset loqui Achior, indignatus est Holofernes vehementer.

Esth. 3. Pro eo, quòd Mardochæus noluit adorare Aman, ità ille indignatus, & impatiens fuit, quòd visus est procurare mortem ejus, & omnium Judæorum.

Job. 32. Videns Elihu filius Barachel, quòd amici Job dispu-

disputantes cum eo, non poterant eum convincere, ostendit multa signa impatientiæ verbis suis.

Audiens Nabuchodonosor, quòd socii Danielis auream statuam, quam fecerat, adorare nolebant, in ira, & furore eos coram se adduci præcepit. Dan. 3.

Audiens Herodes, natum esse regem Judæorum, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Matth. 2.

Discumbente Domino in Domo Matthæi, murmurabant Scribæ, & Pharisæi, dicentes ad discipulos ejus: Quare cum peccatoribus, & publicanis manducatis? Luc. 5.

Simile habetur Lucæ 15. Erant appropinquantes ad JEsum publicani, & peccatores, &c.

Item de Zachæo murmurabant dicentes: Quia ad hominem peccatorem divertisset. Luc. 19.

Frater filii prodigi audiens festum, quod faciebat pater adolescentiori filio revertenti, indignatus est, & nolebat introire. Luc. 15.

Videntes Principes Sacerdotum, & scribæ miracula, quæ Dominus faciebat, & pueros clamantes: Hosanna filio David, indignati sunt, &c. Matth. 21.

Pharisæi videntes se, per illum cœcum natum, à Domino illuminatum, verbis efficacibus confutari, maledixerunt ei, & dixerunt: Tu discipulus ejus sis; &: in peccatis natus es totus, & doces nos? Joan. 9.

Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, &c. Act. 6.

TITULUS LXXI.

Inconstantia populi.

REdiens Moyses de terra Madian in Ægyptum, narravit omnia verba Domini, pro quibus miserat eum. Sequitur: Credidit populus, audiêrúntque, quòd sanctificâsset Dominus filios Israël, & proni adoraverunt. Postea verò, cùm Exod. 4. & 5.

essent afflicti ab exactoribus Pharaonis, dixerunt Moysi, & Aaron: Videat Dominus, & judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & servis ejus: & præbuistis eis gladium, ut occiderent nos.

Exod. 14. Cùm post multas Ægypti plagas, ditati, & armati egrederentur filii Israël de Ægypto, Domino præcedente, & viam etiam eis per nubem, & ignem ostendente, viderunt Ægyptios post se venientes, & timuerunt valde, & dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moriamur in solitudine. Deinde confortati sunt per Moysen, cùm Dominus mare rubrum divisisset, & populus sicco pede transisset, submersus est exercitus Pharaonis, & timuit populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi servo ejus, dicentes: Cantemus Domino gloriosè, &c.

Exod. 15.

Exod. 16. Satis autem cito pòst venientes in Marath, murmuravit populus propter aquas nimis amaras, quibus per lignum appositum dulcoratis consequenter murmuraverunt pro defectu cibi, dixerúntque ad Moysen, & Aaron: Utinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, &c. Et misit Dominus vespere coturnices, & manna pluit eis de cœlo manè.

Exod. 19. Post hoc cùm daturus esset eis legem, dixerunt: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.

Exod. 23. Cùm narrâsset eis Moyses verba, & præcepta, quæ à Domino acceperat, similia verba dixerunt.

Exod. 32. Cùm autem moram faceret Moyses in monte cum Domino in descriptione tabernaculi, congregatus est populus adversus Aaron, & ait: Fac nobis deos, qui nos præcedant.

Num. 11. Deinde cùm erectum esset tabernaculum, & factæ oblationes Principum, post numerationem bellatorum, & Levitarum, cùm essent omnia ordinata,

nata, quomodo debebant proficiſci in via, poſt modicum ortum eſt murmur populi, quaſi dolentium pro labore.

Poſt modicum, audita relatione exploratorum, murmuravit populus, & flevit, dixítque alter ad alterum: Conſtituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum. Num. 13. & 14.

Audientes, quòd diſplicuit Domino murmur eorum, voluerunt aſcendere montem, & contra voluntatem Moyſis pugnare: & tunc fuerunt ab hoſtibus debellati. Eodem.

Rurſus in ſeditione Core multi ſurrexerunt contra Moyſen, & Aaron: quibus terribiliter caſtigatis murmuravit etiam multitudo filiorum Iſraël contra Moyſen, & Aaron, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini. Cúmque oriretur ſeditio, & tumultus creſceret, &c. Num. 16.

Cùm autem per miraculum virgæ Aaron compeſcuiſſet eos Dominus, dixerunt: Ecce conſumpti ſumus, & omnes perimus: quicunque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. Num. 17.

Ulterius procedentes venerunt ad aquas contradictionis, ubi taliter jurgati ſunt adverſus Moyſen, & Aaron: quòd ipſi etiam diffiſi ſunt de divina virtute, propter quòd & puniti ſunt à Domino. Num. 20.

Poſtea fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua, & initiatus eſt Iſraël Beelphegor. Et præcepit Dominus, Principes ſuſpendi contra ſolem in patibulis. Num. 23.

Cùm liberâſſet Gedeon populum filiorum Iſraël de manu Madian, & occidiſſet Zebee, & Salmana, dixerunt omnes filii Iſraël ad eum: Dominare noſtri tu, & filius tuus, & filii tui. Ipſo tamen mortuo, cùm haberet ſeptuaginta filios, nullum de ipſis aſſumere in Dominum, & Principem curavit. Judic. 8.

Samuel Propheta liberavit populum Iſraël de ma- 1. Reg. 3.

nu Philistiim, & recuperavit urbes, quas illi abstulerunt Israëli; postea congregati sunt, & petierunt regem sibi constitui contra voluntatem Domini, & Samuelis.

2.Reg. 15 Quamvis David ità bene populum rexisset, & tot victorias habuisset, tamen satis citò facta est conjuratio valida contra eum. Populus verò concurrens augebatur cum Absalon.

2.Reg. 20 Notandum verò: cùm rediêrat David in Jerusalem, & populus illuc certatim volebat eum reducere cum honore. Sed pro eo, quòd viri Juda locuti sunt cum illis de decem Tribubus, separatus est omnis Israël à David, secutúsque est Sebam filium Bochri.

3.Reg. 12 Sub Salomone filii Israël temporalium rerum abundantiam habuerunt, & honore maximo floruerunt: cùm tamen à filio suo majori parte, occasione unius duri verbi, citiùs recesserunt.

Judith. 7. Audientes filii Israël terribilem potentiam Holofernis, præoccupaverunt omnes vertices montium, & muris circumdederunt vicos suos, & congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ. Postmodum cùm vidissent se arctari ab exercitu, congregati sunt ad Oziam omnes simul, & dixerunt: Judicet Dominus inter nos, & te, quoniam feciſti in nos mala, nolens loqui pacificè cum Assyriis.

Jerem. 26. Cùm complêsset Jeremias verba, quæ præceperat ei Dominus, ut loqueretur ad populum, apprehenderunt eum sacerdotes, & omnis populus dicentes: Morte moriamur. Et post pauca dixerunt Principes, & omnis populus ad Sacerdotes: Non est viro huic judicium mortis.

Jerem. 42 & 43. Accesserunt omnes à parvo ad maximum ad Jeremiam Prophetam, & dixerunt: Omne verbum, in quo miserit te DEUS ad nos, faciemus, sive bonum, sive malum. Cúmque post decem dies intimâsset eis Jeremias Domini volun-

luntatem, dixerunt ei: Mendacium tu loqueris: non misit te Dominus, sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos: & non audivit universus populus vocem Domini, &c.

Citò credidit duobus Presbyteris senibus multitudo, & condemnaverunt Susannam ad mortem: & paulò pòst: Reversus est populus cum festinatione, & consurrexerunt adversus duos Presbyteros, & fecerunt eis, sicut malè egerant adversus proximum. Dan. 13.

Cognovit Simon, quòd Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Jonathæ, & centum talenta argenti; jussit tamen dari: ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israël, dicentem: Quia non misit argentum, & pueros, propterea periit. 1. Mac. 13

Cùm quadam die esset Dominus in civitate Nazareth, & dicerent ei Judæi, satis bonô modô: ut faceret ibi miracula, sicut in Capharnaum fecerat; pòst modicam increpationem, quam dixit eis, repleti sunt irâ, & ejecerunt eum extra civitatem, & voluerunt eum præcipitare de supercilio montis. Luc. 4.

Quando satiaverat Dominus quinque millia hominum de quinque panibus, & duobus piscibus, voluerunt eum rapere, & facere regem. Citò autem pòst cœperunt increduli disputare, & quærere: quòd signum facis, ut credamus tibi? Joan. 6.

Videntes illi de populo Judæorum Lazarum suscitatum, & multa alia facta miracula per Dominum JEsum, venerunt ei obviam cum magno honore. Attamen vespere circumspectis omnibus, non invenit, qui eum ad hospitium invitaret. De his narratur apud Matthæum 21. Matth. 21. Luc. 19. Joan. 12.

Ante quinque dies Paschæ Dominum JEsum recepit populus cum magno tripudio, & honore: & per hebdomadam omnis populus erat suspensus ad verba ejus: & manè veniebant ad eum Matth. 21. & 23. Joan. 18. & 19.

in

in templo audire eum: feriâ verò sextâ, in die Paraſceves, clamaverunt omnes: Crucifige eum.

Act. 2. Facta voce Spiritûs vehementis ſuper diſcipulos venientis, convenit multitudo, & mente confuſa eſt. Quidam autem irridebant, dicentes: Quia muſtô pleni ſunt iſti. Inſtans autem Petrus, locutus eſt eis multa, diſcipulos excuſans, & verba Joëlis allegans: quibus auditis ſunt corde compuncti, petentes, quid facere deberent. Et baptizati ſunt illo die circiter 3000. hominum.

Actor. 13. Quodam Sabbato pene univerſa civitas convenit audire verbum Domini, quod Paulus, & Barnabas prædicabant. Judæi autem contradicebant blaſphemantes. Tandem Paulus, & Barnabas converſi ſunt ad prædicandum gentibus, & audientes gentes gaviſæ ſunt. Paulò pòſt: Judæi concitaverunt religioſas mulieres, & Primos civitatis: & excitaverunt perſecutionem in Paulum, & Barnabam, & ejecerunt eos de finibus ſuis: & illi excuſſo pulvere pedum in eos, venerunt Iconium.

Actor. 14. Cùm Paulus, & Barnabas eſſent Lyſtris civitate Lycaoniæ, & quidam claudus per Paulum fuiſſet curatus, turbæ ipſos eſſe Deos clamabant, & eis ſacrificare volebant; at illi dicentes ſe eſſe mortales, ſedaverunt turbas, ne ſibi immolarent. Supervenerunt autem quidam Judæi: & perſuaſis turbis, lapidantésque Paulum, extraxerunt extra civitatem, exiſtimantes eum eſſe mortuum.

Actor. 16. Quidam quæſtuarii habentes unam mulierem cum ſpiritu Pythonico, à qua Paulus ejecit dæmonium, ità concitaverunt Principes, & magiſtratus civitatis, quòd factus eſt populi concurſus adverſus Paulum, & Silam ſocium ejus, & ſciſſis eorum tunicis, fuerunt virgis cæſi, & in carcerem miſſi, ac pedes lignô ſtricti. Et ſequenti die fuerunt rogati recedere.

Pau-

Paulo apud Ephesum existente, & multa ibidem miracula faciente, Demetrius quidam argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, convocatis artificibus, concitavit tantam turbationem in civitate, quòd tota impleta est confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum: & tamen plures nescibant, qua ex causa convenissent. Tunc fuerunt in magno corporum periculo Paulus, & socii ejus; sed scriba populum pulchrè alloquens discretè sedavit, & ad propria remisit. Act. 19.

Quadam die tanta fuit in Jerusalem adversus Paulum turba, & populi concursio, quòd percutiebant eum, & extrahebant extra templum: & vix potuit eripi à Tribuno cohortis, qui cum militibus supervenit. Postea verò: cùm narâsset, quæ ei acciderant, cuncti de Damasco levaverunt vocem, dicentes: Tolle de terra ejus memoriam, non enim est fas eum vivere. Sequenti autem die exclamavit Paulus in concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum; & facta dissensione inter Pharisæos, & Sadducæos, soluta est multitudo, & surgentes quidam Pharisæi pugnabant, dicentes: Nihil mali invenimus in homine isto: quid si Spiritus locutus est ei, aut Angelus, ne repugnaremus DEO? Act. 22. & 23.

Dum calefaceret se Paulus ad ignem, post naufragium tempore hyemali, vipera à calore procedens invasit manus ejus: quod videntes Barbari, ad invicem dicebant: Utique homicida est homo hic, qui cùm evaserit de mari, ultio eum vivere non sinit. Paulus autem bestiam excutiens in ignem, nil mali passus est. Illi verè videntes, nihil mali in eo fieri, dicebant: eum DEUM esse; adeò citò mutaverunt opinionem. Act. 28.

* TITULUS LXXII.

Infernus.

Gē. 19.24 TErribile incendium Sodomæ, & Gomorrhæ viva imago ignis infernalis, quo DEUS pec-
2.Par. 2.6 catores punit. Testatur etiam S. Petrus, quòd DEUS harum civitatum incendium, exemplum posuerit eorum, qui impiè acturi sunt.

Exod. 10. 22. Tenebræ Ægypti tam densæ, ut palpari potuerint; inter quas nemo Ægyptiorum alterum vidit, nec movit se de loco, in quo erat, imago
Sap. 17. 2. tenebrarum infernalium. Hinc Sapiens de impiis ait: quòd sint vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti.

Galat. 27. Esau, cùm primogenita vendidisset, abiit parvi pendens. Sed cùm postea vidit, se exclusum à benedictione primogeniti, irrugiit clamore magno, & consternatus est. Sic peccatores nunc parvi pendunt, quòd DEUM, animam suam, & jus ad æternam beatitudinem pro brevi voluptate vendant; sed cùm se exclusos à sorte filiorum DEI, & ad infernum condemnatos videbunt, irrugient clamore magno.

Thren. Jer. Miserabilis fuit status Judæorum in captivitatem Babylonicam abstractorum, & à Jeremia multis deploratus. Sed longè miserabilior erit peccatoris ad æternam captivitatem inferni condemnati.

Gen. 4. Cain à verme conscientiæ cruciatus, & profugus in terra, imago damnati vermem conscientiæ per
Mar. 9.45 totam æternitatem sentientis. Vermis enim eorum non moritur.

Luc. 16. Dives, qui epulabatur quotidie splendidè, mortuus est, & sepultus in inferno: ubi nec stillam obtinere potuit ad refrigerandam linguam suam.

1.Reg. 14. 43. Cùm Jonathas ob gustatum mel ad mortem fuisset condemnatus, exclamavit: Gustans gustavi pau-

lu-

lulum mellis, & ecce morior. In easdem voces erumpunt continuò damnati.

Virginibus fatuis, quæ neglexerunt oleum habere in lampadibus, clausa est janua. Damnatis æternùm clausa est janua ad veniam, ad misericordiam, ad spem, ad gratiam, ad merita, ad cœlum, ad quæcunque alia bonorum genera. Matth. 25.

Comparens ad nuptias sine veste nuptiali ejicitur, ligatis manibus & pedibus, in tenebras exteriores: ubi erit fletus, & stridor dentium. Matth. 22.

Cùm quartus Angelus effudisset phialam iræ Dei in solem, æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas. Apo. 16. 8

Cùm quintus Angelus suam effudisset phialam super sedem bestiæ, factum est regnum ejus tenebrosum, & commanducaverunt linguas suas præ dolore, & blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus, & vulneribus suis. Apoc. 16. 10.

Fertur sententia in Babylonem: quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum, & luctum. Apoc. 18. 7.

TITULUS LXXIII.

Ingratitudo.

Præpositus pincernarum, succedentibus prosperis, oblitus est Joseph interpretis sui. Gen. 40.

Utiliter, & fideliter servivit Jacob avunculo suo Laban: & ille multoties voluit eum fallere. Gen. 31.

Videns populus, quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, dixit ad Aaron: Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Ecce quàm citò videbatur oblitus beneficiorum, quæ acceperat à vero Deo. Exod. 32.

Filiis Israël in deserto vertebatur in tædium cibus optimus, sine labore de cœlo datus, & flebant dicentes: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Num. 11.

An-

Judic.2. Angelus Domini improperavit filiis Iſraël beneficia, populo à Deo collata: & quomodo illis abutentes, ruperant fœdus, & transgreſſi erant Dei mandata.

1.Reg.17. Multa beneficia recepit Saul à David: & tamen ad occidendum eum modis, quibus potuit, laboravit.

1.Reg.23. Salvavit David habitatores terræ, & tamen voluerunt eum tradere in manus Saul, ipſum perſequentis.

2.Reg.10. Reddiderunt filii Ammon pro beneficio, & honore contumeliam, quando vituperaverunt nuncios David, quos miſerat ad conſolandum regem eorum ſuper patris interitu.

2.Reg.11. Ingrati fuerunt David, & Joab fidelitati Uriæ: quorum primus literas dedit, & alter crudeliter executus eſt.

2.Reg.15. Poſtquam David revocavit Abſalon filium ſuum, & pepercit ei ſuper homicidio, quod commiſerat in fratrem ſuum, ſurrexit Abſalon contra patrem ſuum.

2.Reg.16. Non fuit David bene memor amicitiæ, quam contraxerat cum Jonatha, quando nimis citò filium ejus exhæredavit.

3.Reg.12. Sublimavit Dominus Jeroboam ſuper decem Tribus. Et ſtatim ille libidine dominandi elatus, populum pervertit à cultu DEI.

4. Reg.6. Eliſæus multa bona fecerat regi Iſraël, & toti populo: & tamen propter cariſtiam, quæ erat in terra, præcepit, caput ejus amputari. Sed DEUS aliter ordinavit.

2.Par. 24. Non eſt recordatus Joas rex Juda miſericordiæ, quam fecerat Jojada Pontifex ſecum. Sed interfecit Zachariam filium ejus, arguentem illum, eò quòd Dominum reliquiſſet.

2.Par. 25. Amaſias, Divinô fretus auxiliô, vicerat Idumæos, & filios Seir. Et tamen auferens Deos eorum, adoravit illos. Miſſus autem ad eum Propheta, dixit:

dixit: Cur adorâsti Deos, qui non liberaverunt?

Ezechias juxta beneficia, quæ acceperat, non retribuit Domino; quia elevatum est cor ejus. 2.Par. 32.

Multi bonitate Principum, & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam. Nec contenti sunt, gratias non agere pro beneficiis, & humanitatis in se jura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se fugere posse sententiam. Esth. 16.

Conquerendo dicit Dominus de populo Judæorum: Filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Et convicit, eos esse bestiis minùs gratos. Subditur: Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini; Israël autem me non cognovit. Isa. 1.

Multa, & magna beneficia volebat Dominus facere Achab regi Juda, prout mandavit per Isaiam; quæ tamen ille acceptare contempsit. Isai. 7.

Misit Jonathas fortes armatos, qui liberaverunt regem Demetrium de manibus Antiochenorum. Et postea alienavit se Demetrius à Jonatha, & non retribuit ei secundùm beneficia, quæ sibi tribuerat, & vexabat eum valde. 1.Mac. 11.

De decem viris leprosis à Salvatore mundatis tantùm regressus est unus magnificans DEUM, & gratias agens. Luc. 17.

Ingrati fuerunt Paulo domini, vel parentes puellæ Pythonissæ, à qua spiritum malum Paulus ejecit. Magis enim doluerunt de quæstu amisso, quàm gavisi sunt de dæmone expulso. Act. 19.

TITULUS LXXIV.

Inimicitia, & odium.

POst peccatum primorum parentum, statim posuit DEUS inimicitias inter serpentem, & mulierem, & inter utriusque semen. Gen. 3.

Gen. 26. Rixati sunt pastores de Gerare adversùs pastores Isaac pro puteo, quem foderunt. Idcirco appellavit Isaac puteum inimicitiæ.

Gen. 27. Oderat semper Esau Jacob pro benedictione, quâ benedixerat ei Pater, dixítque in corde suo: Veniet dies luctûs patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.

Gen. 34. Dixit Jacob Simeon, & Levi: Turbâstis me, & odiosum fecistis Chananæis, & Pherezeis habitatoribus terræ.

Gen. 37. Videntes fratres Joseph: quòd à Patre plus cunctis amaretur, oderant eum: nec poterant ei quicquam pacificè loqui.

Exod. 1. Oderant filios Israël Ægyptii, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem producebant vitam eorum.

Num. 25. Dixit Dominus ad Moysen: Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite illos; quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & deceperunt insidiis per idolum Phogor.

Josue 10. Adonisedech rex Jerusalem, & quatuor alii reges obsederunt Gabaon, ut expugnarent eam, pro eo, quòd transfugerant Gabaonitæ ad Josue, & ad filios Israël, & inierant fœdus cum eis.

Judic. 11. Perrexerunt majores natu de Gabaa ad Jephte, dicentes: Esto Princeps noster. Quibus ille respondit: Nonne vos estis, qui odistis me, & de domo patris mei dejecistis me? & nunc venitis ad me in necessitate?

Judit. 14. Fundebat apud Samson Dalila lachrymas, & conquerebatur dicens: Odisti me, & non diligis. Idcirco problema non vis indicare mihi.

1.Reg.18. Videns Saul, quòd populus altè de David sentiebat, & quòd in omnibus prudenter, & strenuè se habebat, factus est inimicus ejus cunctis diebus.

2.Reg. 4. Duo latrones, qui occiderant Isboseth, dixerunt ad David: Ecce caput filii Saul inimici tui, sed malè fuerunt stipendiati.

Thoi

Thoi rex Hemath audiens, quòd David expugnâſſet Adadezer hoſtem ſuum, miſit ad eum filium ſuum, & gratias egit ei. 2.Reg.8.

Poſtquam Amnon filius David oppreſſerat Thamar ſororem Abſalon, exoſam eam habuit odiô magnô nimis, ità ut majus eſſet odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat. 2.Reg.13.

Tres adverſarios ſuſcitavit Dominus Salomoni, poſtquam à DEO receſſit; videlicet: Adad Idumæum, Raſon filium Heliada, & Jeroboam ſervum ſuum. 3.Reg.11.

Eliam Prophetam perſecuta eſt impia Jezabel uxor Achab, propter Prophetas Baal, quos fecerat occidi. 3.Reg.19.

Cùm Elias argueret Achab pro iniqua morte Naboth, ait Achab ad Eliam: Num inveniſti me inimicum tibi? qui dixit: Inveni. 3.Reg.21.

Dixit Achab ad Joſaphat regem Juda: Remanſit de Prophetis Domini Michæas filius Jemla, ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum: ſed malum. 3.Reg.22.

Audiêrunt hoſtes Judæ, & Benjamin, quia filii captivitatis ædificaverunt templum Domino Deo Iſraël, & noluerunt ædificare cum eis. 1.Eſd.4.

Raguel, & Anna uxor ejus benedixerunt Dominum, quia fecerat cum eis miſericordiam ſuam, & excluſerat ab eis inimicum perſequentem eos. Tob.8.

Amputato capite Holofernis dixit Judith, tacentibus univerſis: Laudate Dominum, DEUM noſtrum, qui non deſeruit ſperantes in ſe, & interfecit in manu mea hoſtem populi ſui; & proferens caput Holofernis oſtendit eis. Judith.1.

Conquerens de Aman ſuperbiſſimo Eſther dixit Aſſvero: Hoſtis, & inimicus noſter peſſimus eſt iſte Aman. Eſth. 7.

De Juda Machabæo dicitur: Repulſi ſunt inimici præ timore, & operarii iniquitatis conturbati ſunt. Et directa eſt ſalus in manu ejus. 1.Mach.3

1.Mac.11. Ptolomæus rex Ægypti voluit dolô obtinere regnum Alexandri: & manifeſtæ factæ ſunt inimicitiæ ejus.

1.Mac.13. Cognovit Simeon: quòd Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Jonathæ, & centum talenta argenti; juſſit tamen dare argentum, & pueros; ne inimicitiam magnam ſumeret ad populum Iſraël, dicentem: Quia non miſit argentum, propterea periit.

Luc. 23. Herodes, & Pilatus, antea inimici, facti ſunt amici in paſſione Chriſti.

TITULUS LXXV.

Intentio recta.

OCcidit Cain Abel fratrem ſuum, David Goliath, Joab Abner, & Amaſiam, Herodes Antipas Joannem Baptiſtam, Agrippa Jacobum. Petrus autem ſolo verbo Ananiam, & Saphiram. Sed conſidera varias intentiones, & cauſas.

Gen. 17. & 18. Abraham riſit in promiſſione filii naſcituri. Sara quoque riſit, ſed riſus Abrahæ fuit commendatus, Saræ verò reprehenſus.

Dixit Pharao: Peccavi, &c. Exodi 9. Dixit Saul: Peccavi, &c. 1. Regum 15. Hoc ipſum Manaſſes 2. Paralip. ultimo. Dixit Judas etiam ſe peccâſſe Matthæi 27. Sed affectiones, & intentiones cordium valde diverſæ fuerunt.

Exod. 17. Similia ferè verba dixit Moyſes in Raphidim, quando petiit populus aquam ad bibendum. Exod. 17. Et ad aquas contradictionis. Num. 20. Sed prima vice non hæſitavit in corde: ſecunda verò: ſicut patet ex pœna, quæ ſecuta fuit.

Joſue 22. Filii Ruben, & Gad, & dimidia tribus ædificaverunt altare: ſed longè alia intentione, quàm crederent alii filii Iſraël.

2.Reg. 7. Commendavit Dominus multùm bonam voluntatem David, quam habuit de ædificatione templi, licèt noluerit templum ædificari per eum. Mi-

Misit David pro Uria, qui erat in exercitu: non ut ille quiesceret, sed ut ipse peccatum, quod cum ejus uxore commiserat, occultaret. 2.Reg.11.

Ornavit se Judith valde curiosè: sed omnis illa compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat; scilicet: ad liberandum populum DEI de manibus pessimi inimici. Judith.10

Quòd Mardochæus Aman nolebat adorare, vel coram eo genu flectere, non faciebat pro inobedientia, vel contemptu; sed quia divinum honorem nolebat homini mortali deferre, sicut ipse testatur. Esth. 3.

Dixit Herodes Magis, ut cùm puerum invenissent, renuntiarent ei, ut & ipse adoraret eum: sed valde aliud intendebat, & aliud prætendebat. Matth. 2.

Prohibuit Dominus duobus cæcis illuminatis ab eo, ne quis hoc sciret; & tamen sequitur: Illi diffamaverunt eum in tota terra illa: nec tamen illi arguuntur transgressionis. Matth. 9.

Signanter addit Dominus finem, & intentionem, quam quisque debet habere bona faciendo, vel mala patiendo. Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, &c. propter me, vel propter nomen meum. Item: quicunque potum dederit aquæ, &c. Qui reliquit domum, &c. Matt. 19. Matth. 5. 10. 19.

Eleemosynam dare, & jejunare præcepit Dominus, non propter homines fieri, ne contingat, tam bona opera prava intentione corrumpi. Matth. 6.

Quidam sequebantur Dominum, ut eum nequiter observarent: Aliqui, ut de panibus ejus manducarent: Alii, ut ipsi, vel eorum amici à languoribus sanarentur: Alii verò, ut æternaliter salvarentur. Luc. 14. 16. Joan. 6.

Herodes multo tempore cupiebat videre JESUM, sed non causâ pietatis, sed quia sperabat signum aliquod ab eo fieri: & ideo nil profuit ei, videre JESUM. Luc. 23.

TITULUS LXXVI.

Intentionem DEUS magis respicit, quàm opus.

Gen. 4. CAin obtulit de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de gregibus suis. Sequitur: respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: ad Cain verò, & munera ejus non respexit.

Gen. 17. & 18. Promissô Abrahæ filiô de Sara nasciturô, risit Abraham, risit & Sara: risus autem Saræ fuit reprehensus à Domino, Abrahæ non.

Exod. 7. Cùm facerent mirabilia quædam coram Pharaone Moyses, & Aaron, legitur: quòd fecerint similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis.

Num. 16. Talia thuribula habuerunt Core, & illi de globo suo, sicut Aaron: & fortè de æquè bono, vel meliore metallo: verùm DEUS non æqualiter acceptavit incensationem eorum.

1. Reg. 6. Elevantes oculos Bethsamitæ, viderunt Arcam Domini, & gavisi sunt, & obtulerunt Domino holocaustum. Quamvis autem bonum opus facere viderentur, percussit eos Dominus gravi plaga, eò quòd viderunt arcam, quam videre non debebant.

1. Reg. 19. Saul quando fuit inter Prophetas, expoliavit se, & prophetare cœpit: sed parum ei profuit.

1. Par. 13. Oza extendens manum tenuit arcam, ne caderet: qui statim percussus à Domino, mortuus est.

2. Par. 26. Licèt offerre incensum Domino sit bonum, non tamen competit omni homini. Unde Ozias rex Juda, percussus est leprâ à Domino, eò quòd ipse voluit incensum thymiamatis adolere.

Isa. 1. Reprobat Dominus per Isaiam oblationes, quas offerri instituit: & hoc propter offerentium pravitates. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus. Sequitur: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Præ-

Prætulit Dominus oblationem viduæ, quæ posuit duo æra minuta in Gazophylacium, muneribus divitum. Luc. 21.

Herodes cupiebat videre JESUM, & viso eo gavisus est valde, sed nullum fructum assecutus est inde: quia curiositas, vel vanitas erat causa, non pietas, vel charitas. Luc 23.

TITULUS LXXVII.

Invidia.

INvidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum. Quia scilicet vidit diabolus hominem in statu felici esse, & ad illum posse ascendere, unde ipse corruerat: ideò tentavit hominem, & vicit. Sapien. 2.

Invidiâ motus Cain, fratrem suum Abel occidit, quando vidit, munera ejus acceptari à DEO, & non sua. Gen. 4.

De Isaac dicitur: Benedixit illi Dominus, & locupletatus est homo. Ob hoc invidentes ei Palæstini, puteos ejus obstruxerunt. Per hoc patet: quòd prosperitas hominis causat invidiam malis, occasionaliter tamen. Gen. 26.

Rachel sterilis sorori fœcundæ invidit. Ecce quomodo invidia nec propinquis parcit. Gen. 30.

Fratres Joseph invidebant ei animô pessimô, & crudeli, videntes; quòd à patre plus cunctis fratribus amaretur, & audientes somnia, quæ narrabat. Et nota ibidem: ad quantum facinus ex illa invidia proruperunt. Gen. 37.

Cùm duo viri prophetarent in castris, Josue quasi invidens dixit: Domine mi Moyses, prohibe eos. At ille: Quid æmularis pro me? Num. 11.

Maria, soror Moysis, & Aaron locuti sunt contra Moysen, dicentes: Non per solum Moysen locutus est Dominus. Ex quo apparet: quòd mundus non parcit beneficis, vel propinquis. Num. 12.

Moyſes enim eorum frater erat, & per eum grandem recipiebant honorem.

1.Reg.18. Percuſsô Philiſtæô cantabant mulieres: Saul percuſſit mille, & David decem millia. Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit ei ſermo iſte.

2.Reg.17. Videns Achitophel, quòd non factum fuerat ſecundùm conſilium ſuum, ſed magis ſecundùm Chuſai, abiens in domum ſuam ſuſpendiô interiit.

1. Eſd. 3. Ædificantibus templum filiis Juda poſt reditum de Babylone, gentes, quæ erant in circuitu, doluerunt, & eos multipliciter impediêrunt.

1.Eſd. 2. Audierunt Sanaballat, & Tobias, quòd veniſſet homo, qui quæreret proſperitatem filiorum Iſraël: & contriſtati ſunt afflictione magna.

Dan. 6. Daniel ſuperabat omnes Principes, & Satrapas. Unde omnes Principes, & Satrapæ quærebant occaſionem, ut eruerent Danielem ex latere regis.

2.Mac. 14 Alcimus videns charitatem Judæ, & Nicanoris ad invicem, venit ad Demetrium, & dicebat: Nicanorem rebus alienis aſſentire, Judâmque regis inſidiatorem, ſucceſſorem ſibi deſtinâſſe.

Matth. 21 Videntes Principes Sacerdotum miracula, quæ
Luc. 19. Dominus faciebat, & pueros clamantes Hoſanna filio David, indignati ſunt.

Luc. 15. Frater filii prodigi audiens feſtum, quod faciebat pater adoleſcentiori filio revertenti, indignatus eſt, & nolebat introire.

Joan. 3. A Joanne Baptiſta longè fuit invidia relegata, ad quem cùm venirent diſcipuli, & dicerent: quòd Chriſtus baptizaret, & omnes irent poſt eum, reſpondit: Amicus ſponſi, &c. In hoc ergo gaudium meum impletum eſt: illum oportet creſcere, me verò minui &c.

Joan. 11. Quidam Judæi, qui viderant Lazarum à Domino ſuſcitari, abierunt ad Phariſæos, & dixerunt: Quid facitis? Unde Pontifices, & Phariſæi collegerunt Concilium. Ad

Ad tam immane ſcelus Principes Sacerdotum ex invidia proruperunt, quod legitur: Sciebat Pilatus, quòd per invidiam tradidiſſent eum ſummi Sacerdotes, videlicet ipſum DEI filium, Dominum JESUM Chriſtum. Matt. 27.

Petro, & Joanne loquentibus ad populum, ſupervenerunt Sacerdotes, & Magiſtratus populi, & Sadducæi, moleſtè ferentes, quòd docerent populum. Act. 4.

Exurgens Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, videntes ſigna, quæ per Petrum fiebant, repleti ſunt æmulatione, & injecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtoſtodia publica. Act. 5.

Audientes verba Stephani, Judæi, diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum, dolentes, quòd non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur. Act. 7.

Convenit pene univerſa civitas audire verbum DEI, quod Paulus, & Barnabas prædicabant. Videntes autem Judæi repleti ſunt zelô. Act. 13.

Ex Theſſalonicenſibus Judæis, & Gentilibus crediderunt multi viri, & mulieres nobiles non paucæ: zelantes autem Judæi concitaverunt civitatem. Act. 17.

TITULUS LXXVIII.

Ira DEI.

ATtende: quòd ſecundùm Auguſtinum 15. de civit. Dei. Ira DEI non perturbatio animi ejus eſt, ſed judicium, quo irrogatur pœna peccato: cogitatio verò ejus, & recogitatio mutandarum rerum eſt immutabilis ratio. Neque enim, videlicet, ſicut hominem iratum, ità DEUM facti ſui pœnitet, cujus eſt de omnibus omnino rebus tam fixa ſententia, quàm certa præſcientia. Sed ſi non utatur ſcriptura talibus Aug. 15. de civit. Dei c. 25.

verbis, non se quodam modo familiaribus insinuat omni generi hominum, quibus vult esse consultum, ut & perterreat superbientes, & excitet negligentes, & exerceat querentes, & alat intelligentes; quod non faceret, si non se priùs inclinaret, & quodam modo descenderet ad jacentes.

Exod. 4. Quòd Moyses ducatum populi recipere, jubente Domino, multoties recusavit, iratus est Dominus in Moysen.

Exod. 15. Iratus est Dominus in Ægyptios, qui detinuerunt, & afflixerunt populum suum, & tandem voluerunt persequi recedentes. Sequitur: misisti iram tuam.

Exod. 32. Moyses orabat Dominum dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum? videlicet propter vitulum conflatilem, cui obtulerat holocausta.

Num. 11. Flagravit populus desiderio carnium sedens, & flens. Sequitur: Iratus est furor Domini valde.

Num. 16. Occasione seditionis Core, & complicum ejus, dixerunt Moyses, & Aaron ad Dominum: Fortissime DEUS spirituum, num uno peccante contra omnes ira tua desæviet?

Ibidem. Murmuravit omnis multitudo filiorum Israël contra Dominum, Moysen, & Aaron, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini. Sequitur: Egressa est ira à Domino, & plaga desævit.

Num. 25. Fornicatus est populus cum filiabus Moab. Sequitur: Iratus Dominus dixit ad Moysen: Tolle cunctos Principes populi, & suspende illos.

Num. 20. Propter hæsitationem ad aquas contradictionis, iratus est Dominus contra Moysen, sicut ipse

Deut. 1. dicit Deut. 1. Mihi iratus est Dominus (sc. Moysi) propter vos dixit mihi: Non ingredieris illuc, scilicet: in terram promissionis.

Deut. 11. Cavete, dixit Moyses: ne fortè decipiatur cor vestrum, & ne recedatis à Domino, serviatisque

que diis alienis, & adoretis eos, iratúsque Dominus claudat cœlum.

Filii Iſraël prævaricati ſunt mandatum, & uſurpaverunt de anathemate. Sequitur: Iratúsque contra filios Iſraël Dominus propter peccatum Achan. Joſue 7.

Iratus eſt Dominus contra Ozam, & percuſſit eum, eò quòd tetigiſſet arcam DEI. 1. Par. 13.

Iratus eſt Dominus Salomoni, eò quòd averſa eſſet mens ejus à Domino. 3. Reg. 12.

Iratus eſt furor Domini contra Iſraël, & tradidit eos in manu Hazaëlis regis Syriæ, & hoc propter peccatum idololatriæ, quia adorabant vitulos, quos fecerat Jeroboam. 4. Reg. 31

Addidit furor Domini iraſci contra Iſraël, commovítque David in eis dicentem ad Joab: Vade, numera Iſraël, & Judam, &c. 2. Reg. 24

Poſt idololatriam, & auguria, & alia peccata diverſa irritaverunt Dominum filii Iſraël: Iratúsque eſt Dominus vehementer Iſraëli, & abſtulit eos de conſpectu ſuo. 4. Reg. 17.

Propheta Jehu dixit Joſaphat regi Juda, qui venerat ad prælium cum Achab rege Iſraël: Impio præbes auxilium, & iis, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris: & idcirco iram Domini merebaris, ſed bona opera inventa ſunt in te. 2. Par. 19.

Joas rex Juda, & Principes ejus ſervientes lucis, & ſculptilibus, & facta eſt ira Domini contra Judam propter peccatum hoc. 2. Par. 24.

Amaſias rex Juda, divinô fretus auxiliô, Idumæos ſuperavit in bello, & attulit Deos eorum, & adoravit eos, quamobrem iratus eſt Dominus contra eum. 2. Par. 25.

Ezechias non juxta beneficia, quæ acceperat à Domino, retribuit, quia elevatum eſt cor ejus, & facta eſt ira contra eum, & contra Jeruſalem. 2. Par. 32.

Ma-

2.Par. 34. Magnus furor Domini ſtillavit ſuper vos, eò quòd non cuſtodierunt patres veſtri verba Domini, dixit Joſias rex Juda, auditis verbis, quæ ſcripta erant in libro legis.

2.Eſd. 9. Comederunt, & ſaturati ſunt, & impinguati, & abundaverunt in deliciis, in bonitate tua magna, provocaverunt autem te ad iracundiam.

1.Eſd. 7. Omnia ſecundum DEI legem fiant DEO altiſſimo: ne fortè iraſcatur contra regnum regis, & filiorum ejus. Ità præcipit Artaxerxes gentilis.

Job. 42. Dixit Dominus ad Eliphaz Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non eſtis locuti coram me rectum.

Jer. 50. De Babylone dicitur: Ecce erit noviſſima in gentibus, & deſerta, invia, & arens ab ira Domini, non habitabitur, ſed tota redigetur in ſolitudinem.

2.Mach. 8. Machabæus Judas, congregata multitudine, intolerabilis Gentibus efficiebatur. Ira enim Domini in miſericordiam verſa eſt.

Matth. 18. In parabola de ſervo nequam, qui noluit miſereri conſervo ſuo, dicitur: Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus.

Luc. 14. Contra illos, qui ſe excuſaverunt, ne irent ad cœnam, dicitur: Tunc iratus paterfamilias dixit ſervo, &c.

Joan. 3. Qui credit in filium DEI, habet vitam æternam: qui verò incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira DEI manet ſuper eum.

Apoc. 6. Multùm timenda eſt ira, quæ oſtendetur in die judicii. De qua in Apocalypſi: Reges terræ, & Principes, &c. Sequitur: dicent montibus, & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis in throno, & ab ira Agni.

TITU-

TITULUS LXXIX.

Ira hominis mala.

Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus: Iratúsque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus. Gen. 4.

Iratus Balaac contra Balaam complosis manibus, ait: Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus econtra benedixisti. Num. 24.

Audiens Saul post victoriam commendari David: iratus est nimis, & displicuit in oculis ejus sermo, &c. 1.Reg.18.

Cùm excusâsset Jonathas David apud patrem suum, Saul iratus adversùs Jonathan dixit: Fili mulieris ultro virum rapientis, numquid ignoro, quia filium Isai diligis in confusionem tuam? &c. 1.Reg.20.

Venit Achab rex Israël in domum suam, indignans, & frendens super verbum, quod locutus fuerat ad eum Naboth Israëlites. 3.Reg.21

Post facile, & salubre consilium Elisæi, iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam, quòd egrederetur ad me, & invocaret nomen DEI sui, &c. 4.Reg.5.

Hanani Propheta venit ad Asa, & increpavit eum, quia confisus erat in Benedad rege Syriæ: Iratúsque Asa adversùs videntem, jussit eum mitti in nervum. 2.Par.16.

Separavit Amasias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim: pro eo scilicet, quòd secum venirent ad bellum. At illi vehementer irati contra Judam, reversi sunt in regionem suam. 2.Par.25.

Sacerdotes arguebant Oziam regem Juda, volentem adolere incensum, iratúsque Ozias, & tenens thuribulum minabatur illis. 2.Par.31.

Cùm audisset Sanaballat, quòd ædificaretur murus Jerusalem, iratus est valde, & motus nimis subsannavit Judæos. 2.Esd.4.

Cùm

Tob. 1. Cùm reversus esset Sennacherib, fugien à Judæa plagam, quam contra eum fecerat DEUS propter blasphemiam suam, iratus multos occidit Judæos.

Tob. 2. Tobia dicente de hœdo balante: Videte, ne furtivus sit, &c. Uxor ejus irata respondit: Manifestè vana facta est spes tua.

Judit. 6. Nunciatum est Holoferni, quòd filii Israël præpararent se ad resistendum ei. & furore nimis exarsit in iracundiam magnam.

Ibidem. Cùm dixisset Achior, magnam esse potentiam DEI Israël: irati sunt Magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum.

Esth. 3. Cùm audîsset Aman, & experimentô probâsset, quòd Mardochæus non sibi flecteret genua, nec se adoraret, iratus est valde, &c.

Job. 23. Iratus, indignatúsque est Eliu Buxites adversùs Job, eò quòd justum se esse diceret coram Domino.

Jerem. 37 Principes Juda putantes, quòd Jeremias fugeret ad Chaldæos, irati sunt contra eum, & cæsum miserunt in carcerem.

Dan. 2. Nahuchodonosor rex Chaldæorum in ira magna sua præcepit: ut perirent omnes sapientes Babyloniæ, pro eo scilicet, quòd somnium suum ei non poterant indicare.

Dan. 3. Idem etiam postea in furore, & ira præcepit: ut tres viri adducerentur in conspectu ejus, &c.

Jonæ 4. Arguit Dominus Jonam: quia irascebatur super hederam.

1.Mac. 3. Audiens Antiochus prælia Judæ, & victoriam, quam obtinuerat, iratus est animô, & congregavit exercitum.

1.Mach.6 Tortores Eleazari audientes verba constantiæ ipsius, in iram versi sunt, qui paulò ante fuerant mitiores.

2.Mac. 7. Post septimi fratris verba, rex Antiochus accensus irâ, in illum super omnes desævit.

Vi-

Videns Antiochus, quòd non poterat spoliare Pentapolim civitatem, elatus in iram, arbitrabatur: se injuriam illorum, qui fugaverant, posse in Judæos retorquere. 2. Mach. 9.

Factum est, ut audirent gentes, quòd ædificatum est altare in sanctuarium, sicut priùs, & iratæ sunt valde, &c. 1. Mach. 5

Herodes videns, quòd illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, &c. Matth. 2.

Cùm audîssent illi de Nazareth Dominum dicentem: Nemo Propheta acceptus est in patria sua, &c. Sequitur: Repleti sunt omnes in Synagoga irâ. Luc. 4.

Demetrius quidam argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, convocatis opificibus illius artis, dixit: Quia Paulus avertebat multam turbam, dicens: Quoniam non sunt Dii, qui manibus fiunt, &c. His auditis, repleti sunt irâ. Act. 19.

TITULUS LXXX.

Ira hominis ex zelo.

CUm loqueretur Moyses Pharaoni, & ille nolet audire, exivit à Pharaone iratus nimis. Exod. 11.

Præcepit Moyses filiis Israël: ut nullus de manna relinqueret usque manè. Qui non audiêrunt eum, sed dimiserunt quidam ex eo usque manè, & scatere cœpit vermibus, & computruit: & iratus est Moyses contra eos. Exod. 16.

Revertens Moyses, cùm appropinquâsset ad castra, vidit vitulum, & choros, & iratus projecit de manibus tabulas, & confregit eas ad radices montis. Exod. 32.

Cùm quæreret Moyses hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, exustum reperit: iratúsque contra Eleazar, & Ithamar ait: Cur non comedistis, &c. Levit. 10.

Vi-

Num. 16. Videns Moyses rebellionem Core, & complicum suorum, iratus valde ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum.

1.Reg.20. Considerans Jonathas filius Saul nequitiam patris sui contra David, surrexit à mensa in ira furoris sui, & non comedit panem illa die.

2.Reg.12. Auditâ David parabolâ Nathan Prophetæ, iratus indignatione adversùs hominem, dixit: Vivit Dominus, quia filius est mortis, qui fecit hoc.

4.Reg.13. Elisæus iratus fuit contra Joas regem Israël, eò quòd non percussisset terram sagittâ quinquies, aut sexies, ut totam destruxisset Syriam.

2.Esd.5. Audiens Nehemias clamorem populi, propter usuras, quas exigebant Optimates, iratus est nimis.

Esther. 7. Auditâ querimoniâ, quam dixit Esther de Aman, qui omnes Judæos procurabat occidi, rex Assverus surrexit iratus de loco communi.

Luc. 20. Circumspexit Dominus cum ira Judæos, qui observabant eum: & contristatus est super cœcitate cordis eorum.

TITULUS LXXXI.

Judicia DEI occulta.

Gen. 1. SCiebat Dominus, hominem peccaturum, & tamen ipsum peccabilem fecit, cùm impeccabilem facere potuisset. Sed sciebat: quantum bonum occasione illius culpæ elici debuisset.

Gen.38. & 41. Filii Jacob undecim fratrem Joseph extinguere decreverunt: sed DEO disponente ipsum super seipsos exaltaverunt.

Gen. 48. Mirante Joseph, & causam ignorante, Jacob in filiorum ejus benedictione super Ephraim posuit manum dextram, super Manassem sinistram.

Exod. 2.3 Postquam Moyses percusserat Ægyptium, & offenderat corripiendo quendam Judæum, fugit à facie Pharaonis, & exulavit in terra Madian mul-

multis annis, ità quòd videbatur, nec de cætero audere comparere in terra Ægypti. Et tandem ibi pascendo oves Soceri sui, habuit majores occasiones vacandi DEO; & vidit visionem illam grandem: ac missus fuit à DEO ad filios Israël, & Pharaonem.

Sciebat Dominus Pharaonem non obediturum mandatis suis: & tamen ipsum per Moysen faciebat requiri. Exod. 5.6

Antequam educeret Dominus filios Israël ex Ægypto, longo tempore, & multoties eos affligi, & flagellari permisit. Exod. 1.5 &c.

Magi, & malefici Pharaonis, DEO permittente, fecerunt signa in Ægypto, sicut Moyses: quoad plura. Exod. 7.

Permittit Dominus reprobos indurari, & electos affligi: ùt, supra eos aliqua miraculosa operetur: & inde cognoscatur ampliùs, & laudetur. Exod. 9.

Toties promisit Dominus filiis Israël terram illam lacte, & melle manantem: & tamen duo tantùm de illis, qui viginti annos habebant, Caleb, & Josue, ad illam pervenerunt; reliqui verò non, sed tantùm parvuli eorum. Num. 14.

Moyses, qui toties populum peccantem reconciliavit DEO, peccavit semel ad aquas contradictionis: & non obtinuit pro se ipso, ut intraret terram promissionis. Num. 20.

Hoc ipso, quòd filii Israël propter peccata sua permanserunt quadraginta annis in deserto, & ampliùs: magnificatus est DEUS, qui eos tamdiu pavit, & eorum vestimenta à consumptione servavit, & tandem eos in terram promissionis mirabiliter introduxit. Josue 2.

De gentibus, qui habitabant in terra promissionis, dicitur: Domini sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israël, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, & perirent. Josue 11.

Judic. 8. Postquam Gedeon tam mirabilem victoriam de inimicis habuerat, & dominari populo recusaverat, fecit Ephod, quod factum est ei, & domui ejus in ruinam.

Judic. 10. Iratus Dominus filiis Israël propter peccata eorum, dixit eis: Non addam, ut ultra vos liberem: ite, & invocate Deos, quos elegistis: Dixerúntque ad Dominum: Peccavimus. Et sequitur: Quòd doluit super miseriis eorum.

Judic. 16. Samson Angelo nunciante, de sterili matre conceptus, postea fuit per mulierem deceptus, & ad ultimum ruinâ domûs oppressus.

Judic. 20. Filii Israël contra filios Benjamin de consilio, & voluntate Domini præliantes, bis debellati fuerunt: sed illos postea pene penitus deleverunt.

1. Reg. 6. Permisit DEUS arcam capi ab incircumcisis, ubi multa miracula fecit. Et cùm reduceretur, Bethsamitæ cum gaudio receperunt eam. Quia verò viderunt eam, percussit Dominus septuaginta viros de Principibus, & 50000. plebis.

1. Reg. 15. Saule melior non erat in populo, quando fuit à Domino signanter electus: & tamen citò post peccavit, & fuit à DEO projectus.

1. Reg. 16. David erat minimus inter fratres, & quasi nullius reputationis inter eos. Unde, quando vocati fuerunt filii Isai, iste neglectus, vel contemptus fuit: tamen per illum Dominus totum populum gubernavit, & totam illius progeniem sublimavit.

1. Reg. 28. Satis est mirabile, quando Samuel Propheta à muliere Pythonissa legitur suscitatus. Augustinus libro de doct. Christ. dicit: quòd fuit imago Samuelis, non ipse Propheta, vel anima ejus: apparuerit verò arte dæmonum sacrilega.

2. Reg. 7. & 24. Notandum: quàm expressè locutus est DEUS ad Nathan de bonitate David, & filii ejus, qui ædificaturus erat templum: & tamen ambo in peccatum tam turpiter corruerunt.

Mori-

Moriturus David ordinationem fecit satis mirabilem: sed quia Scriptura ità commendat eum, supponendum est: licèt crudelis in parte fuerit, non tamen injusta ratione fuisse, aut factum fuisse. 3.Reg.2.

Salomoni dedit Dominus tantam prosperitatem, & pacem, quòd non erat Sathan in occursum: sapientiam quoque, & gloriam præ cunctis regibus: & tandem permisit eum Dominus infatuari, depravari, & ei multiplices adversarios suscitari. 3.Reg.5. & 11.

Præceptô Domini per Isaiam Prophetam præfectus est Jeroboam super decem Tribus: qui tamen populum ad idololatriam malitiosè induxit. 3.Reg.11.

Occidit leo virum DEI, qui prædixit Jeroboam destructionem altaris: & de carnibus ipsius mortui non comedit. 3.Reg.13.

Cùm esset Achab sceleratissimus, & audiret pœnam sibi pro criminibus infligendam, cœpit exteriùs humiliari, & Dominus pœnam infligere prorogavit. 3.Reg.21.

Terribile fuit: quòd duos Principes quinquagenarios, cum 50. viris, fecit Elias igne descendente desuper subitò devorari. 4.Reg.1.

Jehu rex Israël maximô zelô persecutus est Baal cultores, ità quòd Dominus ipsius opera commendavit: & tamen ab idololatria vitulorum Jeroboam non recessit. 4.Reg.10.

Manasses rex in Jerusalem terribilia facinora perpetravit, postea catenis vinctus, & in Babylonem ductus, pœnitentiam agens oravit Dominum: & exauditus fuit. 2.Par.33.

Josias rex Juda, cùm sanctissimam vitam duxisset, tandem perrexit, ut dimicaret contra Nachao regem Ægypti, dicentem ei: Desine adversùs Dominum facere, qui mecum est, ne interficiat te. Non acquievit sermonibus Neacho ex ore DEI, & malè successit ei; sagittis enim confixus periit. 2.Par.35.

4.Reg.17 & 18. Civitatem sanctam, electam, specialiter dilectam, peculiarem populum, quem de Ægypto mirabiliter eduxerat per desertum, in terram promissionis introduxerat, permisit DEUS per Jer. 25. Chaldæos, & Assyrios devastari, & mirabiliter captivari, videbatúrque, quòd de illis penitus non curaret: dicitur autem Tob. 13.

Tob. 13. Confitemini Domino filii Israël, quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant Deum, ut enarretis mirabilia ejus, & faciatis scire eos, quia non est alius DEUS præter eum.

Tob. 2. Tobias post tam pia opera misericordiæ, quibus sollicitus erat, excœcatus est: cujus causam non intelligentes amici ejus, scandalizati insultabant ei.

Judit. 2. 3 Satis mirabile potuit reputari: quare tot regna permisit DEUS ab Holoferne nequissimo subjugari.

Esth. 3. Item de Aman, qui fuit superbissimus, & crudelissimus: & tamen fuit post regem super cunctos Principes exaltatus.

Job. 12 Mirabantur, & scandalizabantur amici Job super eum, quòd videbant tam gravibus flagellis afflictum.

Isai. 10. Divina justitia punit interdum malos homines per pejores, sicut filios Israël, & Juda per Nabuchodonosor, & Chaldæos. Unde Isa. 10. Væ Assur virga furoris mei, &c. Non solùm super populum fidelem, & bonum constituit Dominus Principem, vel Prælatum, verùm etiam super Rom. 13. omnes. Non enim est potestas, nisi à DEO.

Jonæ 3. Præcepit Dominus Jonæ, ut prædicaret: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur: Et tamen sciebat Dominus, Ninivitas pœnitentiam acturos, & non taliter puniendos.

1. Mac. 1. Permisit Dominus, ut Antiochus profanaret illud venerabile templum, & succenderet civitatem sanctam, & faceret ibi innumeras cædes innocentûm.

Tem-

Tempore Antiochi Epiphanis, qui templum Jerusalem destruxit, profanavit, multos Judæos torsit crudeliter, & occidit, poterat videri multis: quòd magna confusio erat, & deordinatio in regimine universi. Veruntamen ex illis malis elicuit Dominus malorum punitionem, quorundam correptionem: multorum etiam tunc interfectorum virtutes, & merita fuerunt multipliciter augmentata. 1.Mach.6.

Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, &c. Quomodo Judas Machabæus, Jonathas, & Simon fratres ejus, fuerint viri quoad DEUM, & homines fidelissimi, & strenuissimi: & tamen satis miserabiliter mortui. Nam Judas in bello contra Bacchidem cecidit: Jonathan verò cum duobus filiis Tryphon occidit: Simonem autem, & duos filios ejus Ptolomæus filius Saboldi inebriatos proditorie jugulavit. 2.Mac. 6. 1.Mach.9. 1.Mac.12. 2.Mac.15.

Mirum fuisse videtur: quòd Eleazarus vir ætate provectus, & illi septem fratres tam crudelia sustinuerunt pro divina lege tormenta; nec tamen DEUS ibi aliquam vindictam in tyrannos ostendit. 2. Mach.6 & 7.

Voluit Dominus, puer existens, in Ægyptum deferri à facie Herodis: & permisit loco sui innocentes occidi. Sed in hoc ipsis infantibus melius providit. Nunquam enim tantum proveniisset eis, si Herodes eos honorare curâsset, quantum provenit eis ex hoc, quòd eos occidi mandavit. Matth.2.

Audita fide Centurionis miratus est Dominus, & sequentibus se dixit: Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno cœlorum: filii autem regni hujus ejicientur foras in tenebras exteriores. Matth. 8.

Quidam scriba obtulit se ad sequendum Dominum, & non fuit admissus. Alium verò invitavit ad sequendum, qui non voluntarius vide- Luc. 9. Matth. 8.

batur, unde dixit: Permitte me, sepelire patrem meum.

Matth. 11. Fecit Dominus virtutes in Chorozain, & Bethsaida, ubi parùm profuit: & non fecit in Tyro, & Sidone; ubi, si fecisset, multùm profuisset.

Marc. 6. Permisit DEUS Joannem Baptistam, exemplar totius sanctitatis, ab Herode vilissimo adultero decollari. Stuporem autem auget: quia hoc factum fuit ad instantiam meretricis; nec aliqua vindicta legitur in Evangelio subsecuta, non in puellam, non in adulteram, nec in ipso Herode Tetrarcha.

Actor. 13. In Dominica passione per sceleratissimam hominum iniquitatem implevit DEUS circa redemptionem humani generis suam benignissimam voluntatem, unde dixit Petrus: DEUS autem, qui prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit, &c.

Joan. 18. Petrus Princeps Apostolorum, & caput Ecclesiæ, ipso permittente, ter Christum negavit.

Joan. 11. Thomas, qui tam confidenter dixerat: eamus & nos, & moriamur cum eo, de resurrectione Dominica dubitavit. Ex quibus secutum est: quòd Petrus fuit mitior erga peccatores, & fuerunt in fide solidati fideles, vel in fide trepidantes. Habetur etiam ex hoc: quòd nullus debet de sua firmitate præsumere; & quòd, sive quis ceciderit à fide, sive dubitaverit, non debet de DEI misericordia, & consequenda venia desperare.

Matth. 26. & 27. Ex hoc, quòd Judas Apostolus, & dispensator Domini in enorme peccatum cecidit, nec resurrexit, retunditur omnis præsumptuosa securitas, quâ nullus pro statu, quem habeat, vel pro actu, quem faciat, debet altum sapere, sed timere.

Act. 4. Quoniam Apostoli duces fidelis populi fuerunt, tamen in carcere cum diligentia custoditi, poterat videri aliquibus infirmis: quòd DEUS, tem-

tempore novellæ fidei, non debebat talia permisisse; sed ex hoc ipso fideles fuerunt mirabiliter consolati, & adversarii fidei confutati.

Simile accidit de solo Petro: quando ab Herode captus, & incarceratus, & per Angelum miraculosè eductus fuit. Act. 12.

Magna fuit iniquitas: Stephanum lapidare; & tamen inde multa bona, superna providente clementia, provenernnt. Nam ipse fuit in cœlo gloriosè coronatus: in terra abundantius honoratus; oratio autem ejus, quam ibi fecit, nobis Paulum acquisivit: & omnibus posteris reliquit miræ patientiæ, & charitatis exemplum. Actor. 7.

Lapidatô Stephanô, facta est magna persecutio in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis: & omnes dispersi sunt per regiones Judææ, & Samariæ, præter Apostolos; ità quòd videbatur ad cultum christianæ religionis ingerere detrimentum: sed dispersi discipuli evangelizabant Verbum DEI, ità quòd hoc ipso Ecclesia fuit ampliùs dilatata. Act. 8.

Prædicantibus Paulo, & Barnaba Judæis, & illis repellentibus Verbum DEI, assumpserunt ipsi occasionem gentibus prædicandi. Act. 13.

Facta est dissensio inter Paulum, & Barnabam propter Joannem Marcum, quem Plaulus nolebat recipere, eò quòd defeciisset ab eis; Barnabas autem volebat illum secum assumere, ità quòd ab invicem discesserunt, ex quo videbatur scandalum debere sequi. Sed disponente DEO, magnus secutus est fructus: quia pluribus prædicatum est Verbum DEI. Act. 15.

Grandia facinora committebant illi, qui egregium doctorem Paulum incarcerabant, & à prædicatione ipsum cessare cogebant: poterat etiam multis videri, quòd hoc magnum inconveniens erat, & quòd DEUS hoc permittere non debebat. Et tamen notandum est valde: quòd ex tantis impedimentis, & damnis divina proviN 4 den-

dentia multas utilitates ostendit, & effecit. Nam inde meritum Pauli crevit: sic etiam majora virtutum exempla reliquit, & melius docuit per opera, quàm priùs fecisset per verba. Puta, in carcerem positus scripsit absentibus, & remotis: nec tantum profuit Ecclesiæ prædicando, quantum profuit epistolas transmittendo. Unde si in una civitate, vel Provincia fuisset ab omnibus honoratus, & libenter auditus, non habuisset occasiones ad diversos populos transeundi. Quando ergo persequebantur eum Judæi, vel quicunque alii de civitate in civitatem, Verbum DEI pluribus prædicabat. Quando in carcere tenebatur, epistolas faciebat. Quando resistebant ei Judæi, ad gentes convertebatur, ùt
Act. 13. Actor. 13. Quoniam repellitis, &c. ecce convertimur ad gentes.
Act. 25. Rursus etiam: quia in Syria Felicem, & Festum judices habuit iniquos, compulsus est Cæsarem appellare, sicque Romam venit, quam sua prædicatione, & doctrinâ salubriter illustravit, & passione feliciter decoravit.

* TITULUS LXXXII.

Judicium Extremum.

Gen. 3. 8. ADam, & Eva, cùm audissent vocem Domini DEI deambulantis in paradiso, absonderunt se à facie Domini DEI. Interrogatus autem Adam, ubi esset, respondit: vocem tuam audivi, & timui. Quantùm timebunt peccatores, si audient vocem DEI Judicis, à cujus tamen facie se non poterunt abscondere.

Job. 14. 13. Job solâ judicii memoriâ perterritus exclamat: Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus?

Psal. 142. 2. David, licèt pœnitentiam egerit de suis peccatis, exclamat tamen: Non intres in judicium cum ser-

servo tuo; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Israëliticus populus, cùm vidisset voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem, perterriti, ac pavore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Exod. 20. 18.

Cùm vidisset rex Balthasar manum in pariete scribentem, licèt nondum intellexerit, scriptam esse contra se sententiam mortis, facies ejus immutata est: & cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus solvebantur: & genua ejus ad se invicem collidebantur. Dan. 5. 6.

Cùm vidisset Daniel apparentem sibi Filium hominis, horruit spiritus ejus: & territus est: & visiones capitis ejus conturbaverunt eum. Dan. 7. 15

Narrat de se Isaias Propheta: visio dura nunciata est mihi. Propterea repleti sunt lumbi mei dolore: angustia mea possedit me: corrui: cùm audirem, conturbatus sum: cùm viderem, emarcuit cor meum: tenebræ stupefecerunt me. Isa. 21. 2.

Discipuli in monte Thabor, visô coram se Dominô transfiguratô, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Matt. 17. 6

Cùm S. Joannes vidisset Christum Dominum sibi apparentem, plenum majestate, de cujus ore gladius ex utraque parte acutus procedebat, testatur de se: cùm vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Apoc. 1. 17.

S. Petrus testatur de Christo Domino: præcepit nobis prædicare populo, quòd ipse est, qui constitutus est judex vivorum, & mortuorum. Act. 10. 42

Paulus Athenis in Areopago de judicio prædicat, & ait: nunc DEUS annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant; eò quòd statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, &c. Auditores ejus hoc audientes, quidam Act. 17. 30

dam irridebant, quidam dicebant: Audiemus te de hoc iterum; quidam verò adhærentes ei crediderunt.

Act. 24. 25 Idem coram Felice Præside Judææ disputat de judicio futuro. Quo audito tremefactus Felix respondet: quod nunc attinet, vade; tempore autem opportuno accersam te.

Matt. 22. 13. In hominem, qui sine veste nuptiali comparuit ad nuptias, à rege fertur sententia: ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.

TITULUS LXXXIII.

Judicia humana recta, & prava.

Gen. 11. & 18. CAusam, quam nescit judex, debet diligentissimè investigare. Unde DEUS, quem nihil latere potest, dicitur descendisse, ut videret civitatem, quam ædificabant filii Adam. Similiter dixit ipse: Descendam, & videbo utrum clamorem, qui ad me pervenit, opere impleverint.

Gen. 38. Injustè præcepit Judas: Thamar Nurum suam comburi.

Gen. 39. Dominus Joseph, nimium credulus verbis conjugis, misit ipsum in carcerem.

Exod. 18. Minora per minores judices, & majora per majores debent diffiniri, juxta id, quod consuluit Jethro Moysi.

Num. 7. De duodecim bobus, & sex plaustris nullum dedit Moyses filiis Caath, licèt essent sibi propinquiores: sed totum dedit aliis Levitis; eò quòd isti ampliùs indigebant, qui graviora portabant.

Num. 27. Consuluit Moyses Dominum occasione filiarum Salphaad, & respondit Dominus: Homo cùm mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas.

Num. 32. Voluit Moyses: ut filii Ruben, & cæteri, qui pe-

te-

tebant terram jam acquisitam, armati alios præcederent ad bellum, donec terra alia esset penitùs acquisita.

De filiis Samuel dicitur: Declinaverunt post avaritiam, acceperúntque munera, & perverterunt judicium. 1. Reg. 8.

Injustè protulit David sententiam contra Miphibosèth absentem, ad verbum Sibæ, ipsi David xenia offerentis. Veruntamen postea cognita veritate voluit iniquam sententiam penitùs revocare. 2. Reg. 16. & 19.

Salomon rectè judicavit de duabus mulieribus, quarum quælibet contendebat unius pueri esse mater. 3. Reg. 3.

Constituit Josaphat rex Juda judices terræ, præcipiens eis: Videte, quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed DEI. Quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum: & cum diligentia cuncta facite. 2. Par. 19.

Ad suggestionem Aman rex Assverus injustè dixit de populo: Age, quod placet. Esth. 3.

De Judicibus Israël dicebat Isaias: Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera: sequuntur retributiones; pupillo non judicant: & causa viduæ non ingreditur ad illos. Isa. 1.

Quia Jeremias à Domino prophetabat: Jerusalem capiendam esse à Chaldæis, dixerunt Principes populi Sedeciæ Regi: Rogamus, ut occidatur homo iste. Qui respondit eis: Ecce ipse est in manibus vestris; non enim fas est: regem vobis quicquam negare. Jer. 38.

Nabuchodonosor rex Babylonis præcepit: ut perirent omnes sapientes Babylonis; eò quòd illi somnium, quod viderat, non poterant indicare. Dan. 2.

Quamvis Darius rex Persarum innocentem sciret esse Danielem: tamen ad instantiam Satraparum fecit, eum mitti in lacum leonum. Dan. 14.

Discretè examinavit Daniel duos senes, qui contra Susannam iniquum tulerunt testimonium. Dan. 13.

Cùm

2.Mac. 4. Cùm accusaretur Menelaus in judicio coram Antiocho, per pecuniam, quam promisit, absolutus est: & accusatores ejus iniqua morte damnati.

Ibidem. Conquesti sunt Judæi coram Antiocho rege de iniqua morte Oniæ. Contristatus autem Antiochus, licèt alias esset malus, Andronicum purpurâ exutum in eodem loco, in quo ipsum Oniam occiderat, jussit vitâ privari.

Matth.2. Nimis iniquum protulit Herodes judicium: quando mittens satellites, occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem.

Marc. 6. Ad petitionem unius saltatricis, fecit Herodes Tetrarcha Joannem Baptistam in carcere decollari; cùm tamen sciret eum virum justum, & sanctum.

Joan. 7. Dixit Nicodemus Pharisæis: Numquid lex vestra judicat hominem, nisi audierit ab ipso priùs, & cognoverit, quid faciat?

Matt. 27. Nequissimum fuit judicium, quando Pilatus dimisit Barrabam homicidam, latronem, seditiosum, & Dominum JESUM tradidit voluntati eorum.

Act. 4. Sacerdotibus, & Magistratibus templi, denuntiantibus Petro, & Joanni, ne docerent aliquid in nomine JESU, responderunt Apostoli dicentes eis: Si justum est in conspectu DEI, vos potiùs audirè, quàm DEUM? judicate.

Act. 16. Cùm Paulus ejecisset dæmonium à puella Pythonissa, accusatus fuit à Dominis ejus, quibus illa quæstum divinando præstabat. Magistratus autem fecerunt Paulum, & Silam virgis cædi, & in carcerem mitti.

Act. 18. Judæis accusantibus Paulum, Gallio Proconsul dixit: Si quæ esset injuria, aut facinus malum, ô Judæi, meritò vos sustinerem: Si verò quæstio est de sermone, & nominibus, & lege vestra: vos ipsi videritis. Judex enim ego horum nolo esse.

Prin-

Princeps Sacerdotum præcepit percutere os Pauli, tunc Paulus ait: Percutiet te Dominus paries dealbate, & tu sedens judicas me secundum legem, & contra legem jubes me percuti. Act. 23.

Licèt Paulus coram Felice Præside se rationabiliter excusâsset: voluit tamen Felix gratiam præstare Judæis, & Paulum vinctum successori suo Festo reliquit. Act. 24.

Dixit Festus Præses: Non est consuetudo Romanis, damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Act. 25.

Festus nolens acquiescere Judæis, qui petierant, ut Paulus Hierosolymam duceretur, dixit Paulo: Vis Hierosolymam ascendere, & ibi judicari super istis? Respondens dixit Paulus: Ad tribunal Judicis sto: Cæsarem appello. Tunc Festus cum Concilio locutus, respondit: Cæsarem appellâsti, ad Cæsarem ibis. Ibidem.

Auditis rationibus Pauli, Agrippa rex, & Præses Festus loquebantur ad invicem dicentes: Quia nihil morte dignum fecit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat hic, nisi appellâsset Cæsarem. Actor. 26.

TITULUS LXXXIV.

Juramentum.

Dixit Abimelech Abraham: DEUS tecum est in universis, quæ agis: jura ergo mihi. Dixítque Abraham: Ego jurabo. Gen. 21.

Jacob, & Laban iniêrunt fœdus, & juravit Jacob per timorem patris sui Isaac. Gen. 31.

Moyses juravit, quòd habitaret cum Jethro, & acciperet Sephoram filiam ejus in uxorem. Exod. 2.

Pepigit Jonathas fœdus cum David in Domino, & juraverunt ambo. 1. Reg. 20.

Au-

1.Reg. 25 Audiens David duritiam Nabal, ait: Hoc faciat Dominus inimicis David, & addat: si reliquero de omnibus, quæ ad eum pertinent, usque ad manè, etiam mingentem ad parietem.

2.Reg. 19 Flente David pro morte Absalon filii sui, dixit Joab: Surge, & procede, & alloquens satisfac servis tuis. Juro enim tibi per Dominum, quòd si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac.

3.Reg. 1. David juravit Bethsabeæ matri Salomonis: quòd Salomon regnaret post eum.

3.Reg.2. Rex Salomon, audita petitione matris pro Adonia, juravit per Dominum: Hoc faciat mihi DEUS, & hoc addat: quia contra animam suam locutus est verbum hoc.

3.Reg.17. Dixit Elias Thesbytes ad Achab regem Israël: Vivit DEUS meus Israël, in cujus conspectu sto, si non erit his annis ros, & pluvia, nisi juxtà os meum.

3.Reg. 20 Benadad rex Syriæ indignatus ad responsionem Achab, ait: Hoc faciant mihi dii, & hoc addant: si sufficerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me.

3.Reg.19. Simile juramentum fecerat impia Jezabel, quòd occideret Eliam Prophetam.

4.Reg. 2. Dixit Elias ad Elisæum: Sede hìc, quia Dominus misit me usque ad Bethel, cui ait Elisæus: Vivit DEUS, vivit anima tua, quia non derelinquam te.

Judit. 1. Nabuchodonosor juravit per thronum sutum, quòd defenderet se.

1.Mach. 6 Rex Antiochus, filius Antiochi, misit ad Judæos pacem facere, & juravit illis rex, & Princeps. Sequitur: Et rupit citiùs juramentum.

Marc. 6. Herodes Tetrarcha juravit filiæ Herodiadis: Quicquid petieris, dabo tibi, licèt dimidium regni.

Matth.26. Petrus dicentibus sibi: Et tu ex illis es: nam & loquela manifestum te facit; cœpit detestari, & jurare; quia non noviset hominem. Apo-

Apostolus Paulus multoties legitur, jurâsse in epistolis, sic enim ait: DEUS, & Pater Domini nostri JESU scit, quia non mentior. Et ad Galat. Ecce coram DEO, quòd non mentior, testis est mihi DEUS, cui servio. 2.Cor. 11. Galat. 1.

Item ad Colossenses: Testem DEUM invoco, in animam meam. Col. 1.

* TITULUS LXXXV.

Juramentum, etiam hosti factum, non frangendum.

JOsue juramentum Gabaonitis etiam infidelibus, & fraudulentis factum non violavit: sed vitâ salvâ ad altaris ministerium eos adstrinxit. Jos. 9.

Saul, quia iisdem Gabaonitis, quibus juraverant filii Israël, jusjurandum violavit, omnis ejus familia, excepto Miphiboseth, suspensa est sub rege David; quando ob eam perfidiam fames triennis immissa fuit super terram. 2.Reg.21.

Sedecias Nabuchodonosori Ethnico juramentum dederat: se in ipsius dominatione permansurum. Sed ubi juramentum fregit: à Nabuchodonosore defecit: & ad Ægypti Regem transfugit; vastatum est ejus regnum: direpta urbs sancta: & ipse cum filiis interiit. Jerem.37 & 39.

* TITULUS LXXXVI.

Juramenta, & vota impia non implenda.

LAudatur David: quòd ad preces Abigail non occiderit Nabal ejus maritum, sicut in iracundia juraverat se facturum. 1.Reg. 25

Peccavit Saul temerè, & inconsultò vovendo: neminem virorum, qui secum erant, aliquid gustare debere, nisi priùs confeciſſet omnes hostes. 1.Reg. 14

Jephte pugnaturus contra filios Ammon votum vovit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon Judic. 11.

mon in manus meas, quicunque primus fuerit egressus de foribus domûs meæ, mihíque occurrerit, eum holocaustum offeram Domino. Unde postea filiam, quæ prima ei occurrit, immolavit. Sed tale votum non erat licitum: multò minus adimpletio voti.

2.Mach.9 Postquam percussus fuit Antiochus gravissimâ, & insanabili plagâ, pollicitus est Judæis cum juramento: templo Jerosolymitano mirabilia se facturum. Sed nihil ei profuit: quia non ex devotione, sed ex timore, & desperatione hoc promisit.

Actor.23. Impium, & crudele votum fecerunt Judæi illi, qui accedentes ad Principes Sacerdotum dixerunt: devotione devovimus, nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum.

TITULUS LXXXVII.

Justitia, & æquitas.

Gen.13. ABraham volens separari à Loth, nepote suo, dedit ei opinionem, ut eligeret partem, quam vellet: & sic pulchrè poterit partitio fieri, ut major dividat, & minor eligat.

Gen.30. Dixit Jacob ad Laban: Respondebit cras justitia mea.

4.Reg.2. Elisæus permisit, quòd filii Prophetarum quærerent Eliam: ne fortè spiritus Domini projecisset eum; cùm tamen sciret: quòd isti laborarent in vanum.

Num.27. Testimoniô Domini justam rem postulaverant filiæ Salphaad, quæ in hæreditatem paternam succedere à Moyse petierunt.

Judic.1. Rex Adonibesech comprehensus à filiis Israël, dixit: Septuaginta reges, amputatis manuum, ac pedùm summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias, sicut feci, ità reddidit mihi Dominus.

Addu-

Adducto Agag rege Amalech coram Samuele, ait ei Samuel: fecit absque liberis mulieres gladius tuus; sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. 1 Reg. 15.

Dixit David ad Saul, qui eum injustè persequebatur: Dominus retribuet unicuique secundùm justitiam, & fidem. 1. Reg. 26.

Constituit David, & quasi pro lege habitum est: ut æqua esset pars descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas. 1. Reg. 30

David noluit accipere gratis ab Arauna Jebusæo aream, quam habere volebat, sed justô pretiô mediante. 1. Reg. 24

Audiens hœdum balantem Tobias, dixit: Videte ne furtivus sit, sed reddite eum Dominis suis. Quia non licet vobis aut edere ex furto, aut contingere. Tob. 2.

Præceptô regis Assveri superbus, & iniquus Aman suspensus est in illo eodem patibulo, quod ipse paraverat Mardochæo: & hostes Judæorum eodem die ab ipsis Judæis occisi sunt, quos Judæos illi occidere putaverunt. Esth. 7. 8.

Contra Babylonem prophetans Jeremias ait: Reddite ei secundùm opus suum, juxta omnia, quæ fecit, facite illi. Jer. 50.

Jubente Dario rege, viri, qui accusaverunt Danielem, missi sunt in lacum leonum: & non pervenerunt usque ad pavimentum, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt. Dan. 6. & 14.

Fecit populus duobus Presbyteris senibus, qui iniquè accusaverunt Susannam, sicut malè egerant adversus proximum, & interfecerunt eos. Dan. 13.

In eodem loco, in quo Andronicus injustè occiderat Oniam summum Sacerdotem, fecit eum vitâ privari, purpurâ priùs exutum, Antiochus. 2. Mac. 4.

Impius Jason, qui insepultos abjecerat multos, 2. Mach. 5.

ipse illamentatus, & insepultus abjicitur, nec propriam, nec peregrinam habuit sepulturam.

1.Mach.9. Antiochus homicida, & blasphemus pessimè percussus, útque ipse multos tractaverat, peregrè in montibus miserabili vita defunctus est.

Matt. 18. A servo nequam, qui noluit dimittere conservo suo centum denarios, meritò repetit Dominus universum debitum, quod liberaliter priùs dimiserat illi.

* TITULUS LXXXVIII.

Labor.

L

Gen. 2.15 TUlit DEUS hominem, & posuit eum in Paradyso voluptatis: non ut otiosus, etiam in statu innocentiæ, in illo degeret; sed ut operaretur, & custodiret illum.

Gen. 3.17 Dixit Dominus Adæ: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. In sudore vultus tui vesceris pane; donec revertaris in terram.

Exod. 20. 9. DEUS destinavit sex dies in hebdomade labori, cùm dixit: sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.

Gen. 31. 40. Jacob assiduum suum laborem recensèt Laban, dum ait: die, noctúque æstu urebar, & gelu; fugiebátque somnus ab oculis meis. Sícque per viginti annos in domo tua servivi tibi.

3.Reg. 2. 26. Abiathar Sacerdoti dixit Salomon: equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam; quia portâsti arcam Domini DEI, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus.

Tob.2.19 Anna uxor Tobiæ ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat.

Prov. 31. Mulierem illam fortem, & genere illustrem laudat Salomon: Quæsivit lanam, & linum, & ope-

operata est consiliô manuum suarum. De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. De fructu manuum suarum plantavit vineam. Manum suam misit ad fortia: & digiti ejus apprehenderunt fusum. Panem otiosa non comedit.

Indicat DEUS populo per Prophetam Aggæum: quòd plurima mala venissent super eos; eò quòd non admovissent manus suas ad ædificationem templi. Agg. 1.

Christus videns laborantes discipulos in remigando, venit ad eos super mare. Marc. 6. 48.

Paterfamilias laborantibus in vinea mercedem solvit. Matth. 20.

Christus manifestat se discipulis laborantibus. Joan. 21.

Paulus veniens Corinthum, & inveniens ibi Judæum nomine Aquilam, & Priscillam uxorem ejus, accessit ad eos: & quia ejusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: (erant autem scenofactoriæ artis.) Actor. 18.

Idem de se testatur: ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis: quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos. Act. 20. 34.

Idem de se, & sociis suis scribit ad Thessalonicenses: memores estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte, ac die operantes, ne quem vestrûm gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium DEI. 1. Thes. 2. 9.

Idem pronuntiat: Si quis non vult operari, non manducet. 2 Thes. 3. 10.

TITULUS LXXXIX.

Lachrymæ, & fletus.

Flevit Agar, longè ab Ismaële discedens: nec voluit videre puerum morientem. Gen. 21.

Gen. 27. Ejulatu magno flevit Esau: quòd benedictionem patris haberet Jacob.

Gen, 23. Venit Abraham, ut plangeret Saram uxorem suam defunctam.

Gen. 29. Elevata voce, flevit Jacob: postquam recognoverat Rachel consobrinam suam.

Gen. 33. Stringens Esau collum Jacob, & osculans eum flevit.

Gen. 37. Scissis vestibus Jacob indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.

Gen. 43. Commota fuerunt viscera Joseph super fratre suo Benjamin: & eruperunt lachrymæ, & introiens cubiculum flevit.

Gen. 45. & 50. Elevavit vocem Joseph cum fletu, & dixit fratribus suis: Ego sum Joseph. Idem flevit super patre mortuo. Iterum flevit fratribus eum rogantibus: ut oblivisceretur peccati in eum commissi.

Num. 11. Vulgus promiscuum, quod ascenderat ex Ægypto, flagravit desiderio carnium, sedens, & flens ait: Quis dabit nobis carnes ad vescendum?

Num. 14. Vociferans omnis turba, flevit, murmurantes, & dicentes: Utinam mortui essemus in Ægypto.

Num. 20. Omnis multitudo videns occubuisse Aaron: flevit super eo triginta diebus.

Deut. 34. Filii Israël Moysen mortuum fleverunt triginta diebus.

Judic. 2. Angelus Domini venit ad locum flentium, & improperavit filiis Israël beneficia, quæ à DEO receperunt: & peccata, quæ commiserunt; & levaverunt vocem suam, & fleverunt.

Judic. 20. Pugnaturi filii Israël contra Benjamin, fleverunt coram Domino.

Judic. 21. Et postmodum, obtentâ victoriâ, fleverunt propter destructionem fratrum suorum.

Ruth. 1. Recedente Noëmi, nurus ejus flere cœperunt.

1. Reg. 1. Oravit Anna Dominum, flens largiter.

1. Reg. 11. Audita obsidione Jabes Galaad, levaverunt vocem filii Israël, & fleverunt. Lu-

Lugebat Samuel Saulem: quoniam Dominum pœnitebat; quòd constituisset eum in regem. 1.Reg.15.

David, & Jonathas osculantes se, fleverunt pariter. 1.Reg.20

Saul audiens vocem David, qui pepercerat ei, elevatâ voce flevit. 1.Reg.24.

Videns David civitatem Siceleg esse succensam, & abductos homines inde captivos, planxerunt ipse, & populus, qui erat cum eo; donec deficerent in eis lachrymæ. 1.Reg.30.

Planxit David super Saul, & Jonatham, & alios interfectos. 2.Reg.1.

David, & omnis populus fleverunt super Abner: quem occiderat Joab. 2.Reg.3.

Noluit David flere pro filio parvulo mortuo: & tamen flevit pro infirmo. 2.Reg.12.

Quamvis Absalon exhibuerit se pessimum erga patrem: tamen David flevit eum miserabiliter mortuum. 2.Reg.18

Elisæus videns Azaëlem coram se, cœpit flere, propter mala, quæ ille erat facturus filiis Israël; cùm ipse esset futurus rex Syriæ. 4.Reg. 8.

Flevit Ezechias fletu magno, orans Dominum pro morte, quam sibi imminere in proximo putabat. 4.Reg.20

Cùm audisset Josias rex Juda comminationes scriptas in libro Legis Domini propter peccata, scidit vestimenta sua, & flevit: & multum DEO placuit. 4.Reg.22

Cùm reædificabatur templum ab iis, qui rediêrunt de Babylone, non poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletûs populi. 1.Esd.3.

Orante Esdra, & flente, propter commixtionem populi gentilis cum Judæis, collectus est ad eum cœtus grandis virorum, & mulierum: & flevit populus multo fletu. 1.Esd.10.

Cùm audisset Nehemias miserabilem statum civitatis Jerusalem, flevit diebus multis, & jejunabat, & orabat ante faciem Dei cœli. 2.Esd.1.

Tob. 2. Tobias manducavit panem cum luctu, & tremore: quia corpus jugulati proximi in domo habebat, quod nocte sepelire volebat.

Tob. 3. Postea auditis sermonibus uxoris, ingemuit: & cœpit orare cum lachrymis.

Eodem. Sara filia Raguelis, auditâ ab ancilla gravi contumeliâ, oravit ad Dominum cum lachrymis: ut ab illo improperio eam liberaret.

Tob. 5. Cùm recessisset à parentibus suis Tobias junior, cœpit flere mater ejus, & dixit: baculum senectutis nostræ tulisti.

Tob. 10. Moram faciente Tobia, flevit mater ejus irremediabilibus lachrymis, atque dicebat: Heu mihi, fili mi, ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, &c.

Tob. 7. Raguel cognoscens Tobiam juniorem, cum lachrymis osculatus est eum: & ploravit super collum ejus.

Tob. 9. Veniens Gabelus ad domum Raguelis, & videns Tobiam juniorem discumbentem, flevit: & benedixit eum.

Tob. 11. Exurgens cœcus Tobias, occurrit filio suo redeunti: & susceptens osculatus est eum cum uxore sua: & cœperunt flere præ gaudio.

Judith. 6. Cùm exposuisset Achior omnia, quæ dixerat Holofernes: omnis populus communi lamentatione, & fletu, unanimes preces Domino effuderunt.

Judith. 7. Factus est fletus, & ululatus magnus in Ecclesia: per multas horas una nocte clamaverunt ad Dominum, dicentes: Peccavimus cum patribus nostris.

Judith. 13 Stetit Judith ante lectum Holofernis orans cum lachrymis: ut DEUS id, quod cogitabat, perficere dignaretur.

Esth. 4. Cùm audisset Mardochæus iniquam sententiam contra Judæos prolatam, scidit vestimenta sua, & indutus est saccô, spargens cinerem capiti suo,

ſuo, & cum ejulatu clamans animi ſui amaritudinem oſtendebat. In omnibus quoque provinciis, ad quas crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, & fletus.

Poſtquam Aman vidit Mardochæum tam magnificè honoratum, feſtinavit ad domum ſuam lugens operto capite. Eſth. 6.

Sanctus Job flevit pro miſeriis propriis. Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. Cujus fletûs vehementia apparet per hoc, quòd dixerat: Facies mea intumuit à fletu: & palpebræ meæ caligaverunt. Job. 30.

Flevit idem pro miſeriis alienis: Flebam ſuper eo quondam, qui afflictus erat: & compatiebatur anima mea pauperi. Et poſt: Mœrens incedebam, &c. Eodem.

Rex, & Propheta David habebat de lachrymis ſuis lavacrum. Lavabo per ſingulas noctes lectum meum: & lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Pſalm. 6.

Fuerunt ei alimentum, & potus. Fuerunt mihi lachrymæ panes die, ac nocte. Potum nobis dabis in lachrymis in menſura. Et alibi: Poculum meum in fletu miſcebam. Unde verſus vulgatus habet: hinc lachrymæ lavacrum, panis, potúsque fuerunt. Pſal. 41. Pſal. 79. Pſal. 101.

Ploravit etiam David vitam ſuam recolendo: Deus vitam meam annuntiavi tibi: poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo. Pſal. 55.

Item cœleſtis patriæ recordando: Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus. Pſal. 136.

Item orando Dominum: Exaudi Domine deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas. Et alibi: Ploremus coram Domino, qui fecit nos. Pſal. 94.

Videns Iſaias deſtructionem populi ſui, dicebat: Recedite à me: amarè flebo. Nolite incumbere: ut conſolemini me, ſuper vaſtitate filiæ populi mei. Iſa. 22.

Jer. 13. Dixit Jeremias: Audite, & auribus percipite: nolite elevari, quia Dominus locutus est. Sequitur Quod si hoc non audieritis in abscondito, plorabit anima mea à facie superbiæ. Plorans plorabit, &c.

Jerem 9. Copiosi fletûs in Jeremia ipso signa erant multæ lachrymæ. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?

Thren. 1. Item, & multi gemitus: Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam. Sequitur: Multi gemitus mei, & cor meum mœrens.

Thren. 3. Et clamosi singultus; divisiones aquarum deduxit oculus meus. Sequitur: Ne avertas faciem meam à gemitu, & clamoribus.

Thren. 2. Et oculorum defectus: defecerunt præ lachrymis oculi mei: & conturbata sunt viscera mea.

Dan. 10. Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: panem desiderabilem non comedi: & caro, & vinum non introierunt in os meum.

Dan. 13. Flebant amici Susannæ, cùm viderent Presbyteros adversus eam testimonium prolaturos: & ipsa etiam flens inspexit in cœlum; erat enim cor ejus habens fiduciam.

1. Mac. 1. Antiochus fecit in Jerusalem cædem magnam hominum: & factus est planctus magnus in Israël; & omnis maritus sumpsit lamentum: & quæ sedebant in thoro maritali, lugebant.

1. Mac. 2. Planxit Israël planctu magno, pro morte Mathiæ.

1. Mach. 9. Fleverunt omnes de Israël Judam Machabæum planctu magno dies multos, dicentes: Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat Israël?

1. Mac. 12 Inter ecto Jonatha, & duobus filiis ejus cum mille viris, quos retinuerat sibi, à Tryphone, luxit Israël luctu magno.

2. Mach. 4 Contristatus est Antiochus propter iniquam mortem Oniæ: & flexus ad misericordiam, lachrymas fudit: & recordatus est defuncti sobrietatem, & modestiam.

Oc-

Occisis bimatis pueris per Herodem, impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam: Vox in Rhama audita est, ploratus, & ululatus multus, &c. Matth. 2.

Pater pueri lunatici exclamans cum lachrymis, ajebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Marc. 9.

Maria Magdalena legitur ter flevisse: primò pro peccatis suis ad pedes Domini: secundò pro morte fratris: tertiò pro passione Domini. Luc. 7. Joan. 11. 20.

Salvator noster invenitur tribus vicibus lachrymas fudisse: Super Lazarum, quem ad mortalem vitam revocabat. Super Jerusalem civitatem, quam propter peccata destructam sciebat. Et in cruce: quando seipsum pro mundi peccatis hostiam offerebat, ùt ait Paulus: Preces cum lachrymis, & clamore valido offerens. Joan. 11. Luc. 19. Hebr. 5.

Post negationem tertiam Petrus egressus foras, flevit amarè. Sed nota: quod Lucas præmisit, dicens: Respexit Dominus Petrum. Luc. 22.

Eundem Dominum ad crucem sequebatur multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Luc. 23.

Paulus Apostolus cum lachrymis Domino serviebat; ait enim, cùm valediceret fratribus: Vos scitis, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum humilitate, & multis lachrymis. Act. 20.

Item: cum lachrymis proximos monebat, & ipsos ad lachrymas provocabat: Per triennium, ait: nocte, & die non cessavi cum multis lachrymis, monens unumquemque vestrûm. Sequitur: Magnus fletus factus est. Eodem.

Item: cum lachrymis scribebat epistolas suas: ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas. Multi ambulabant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem flens dico. 2. Cor. 2. Philip. 3.

Rom. 8. Et ad Romanos ait: Spiritus postulat pro vobis gemitibus inenarrabilibus. Tales autem gemitus non solent esse sine fletu.

Act. 9. Cùm advenisset Petrus in Jappon: circumstete-runt eum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas.

TITULUS XC.

Liberalitas, & misericordia.

Gen. 4. REbecca, filia Bathuel, valde liberaliter respondit famulo Abrahæ dicens: Bibe Domine mi.

Exod. 3. Liberaliter egit Moyses defendendo filias Jethro à pastoribus, qui eas adaquare pecora non sinebant.

Exod. 18. Audiens Moyses, quòd socer suus Jethro veniret ad eum: egressus est in occursum ejus, & ipsum multipliciter honoravit.

Exod. 36. Filii Israël mente promptissima, atque devota obtulerunt, ad faciendum opus tabernaculi, & quicquid ad cultum, & vestes sanctas erat necessarium. Et sequitur: Artifices compulsi dixerunt Moysi: Plus offert populus, quàm necessarium est.

Num. 20. Petiit Moyses à rege Edom: Obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam, non ibimus per agros, non per vineas, nec bibemus aquas de puteis.

Judic. 8. Gedeon petiit à viris Soccoth, & Phanuel panes pro commilitonibus fatigatis, qui dare renuerunt. Sed malè utique accidit eis.

1. Reg. 25. Nabal illiberaliter se habuit ad David, petentem aliquid sibi dari.

1. Reg. 30. Obtentâ victoriâ de Amalecitis, David misit dona de præda senioribus Juda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem.

2. Reg. 9. Præcepit David, ut Miphiboseth comederet panem in mensa sua semper: & totam domum Saul dedit ei.

Fu-

Fugienti David à facie Absalon, Sobi, & Machir, & Berzellai obtulerunt ei multa exercitui necessaria: frumentum, hordeum, farinam. 2.Reg.17.

Qui Berzellai astitit David, quando fugiebat Absalon filium suum: obtentâ David victoriâ, retinuit filium illius de familia sua. 2.Reg.19.

Regina Saba multa obtulit Salomoni: & Salomon dedit omnia, quæ petiit; exceptis his, quæ ultrò obtulit illi munere regio. 3.Reg.10.

Quidam boni viri de Israël captivos Judæos vestierunt, & illos, qui ambulare non poterant, imposuerunt jumentis, & duxerunt ad fratres eorum. 2.Par.28.

Rex Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor: & remisit ea in Jerusalem. Fuerunt autem vasa aurea, & argentea quinque millia, quadraginta. 1.Esd.1.

Redeuntes de Babylone filii Juda, obtulerunt sponte secundùm vires suas, ad extruendam domum Domini. 1.Esdr.2.

Præcepit rex Darius: ut ædificaretur in Jerusalem domus DEI, & darentur sumptus de arca regis; licèt quidam æmuli opus impedire per litteras laborarent. 1.Esd.6.

Glorioſam, & liberalem epistolam dedit Artaxerxes rex Nehemiæ Sacerdoti, venienti in Jerusalem ad consolandum Judæos. 1.Esd.7.

Rex Artaxerxes liberaliter se habuit ad Nehemiam venientem in Judæam, & dedit ei epistolas, quales petierat. 2.Esd.2.

Nehemias valde liberalis legatus, qui populum annonâ, & exactionibus non gravavit: & his, ad quos venit, plurima bona fecit. 2.Esd.5.

Tobias omnia, quæ habere poterat, concaptivis fratribus, qui erant de genere suo, impertiri studebat: esurientes alebat: nudisque vestimenta præbebat. Tob.1.

Raguel tradidit Tobiæ juniori substantiam suam usq; ad dimidium, ad Saram filiam suam. Tob.10.

To-

Tob. 12. Tobias junior multum fuit gratus Raphaëli, quem hominem putabat: & valde bene recognovit beneficia, quæ ab eo receperat. Et exinde pater, & filius mediam partem omnium bonorum illi liberaliter obtulerunt.

Esth. 5. Rex Assverus jussit præparari convivium permagnificum, pro conjunctione, & nuptiis Esther: & dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem.

Esth. 5. Videns Esther reginam rex Assverus dixit ei: Quid vis Esther? quæ est petitio tua? Etsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.

Esth. 6. Quæsivit rex Assverus, quantum honoris, ac præmii consecutus esset Mardochæus pro fide, quam erga ipsum servaverat. Cúmque intellexisset: eum nihil accepisse mercedis; fecit eum magnificè honorari.

Job. 1. Filii Job facientes convivia, unusquisque in die suo, vocabant sorores suas, ut comederent, & biberent cum eis.

Job. 29. & 31. Pium, & misericordem se fuisse ad pauperes, ostendit beatus Job, dicens: Cor viduæ consolatus sum: pater eram pauperum. Item: si comedi buccellam meam solus, quia ab infantia mea crevit mecum miseratio.

Jerem. 40. Magister militiæ regis Babylonis dedit cibaria, & munuscula Jeremiæ, & dimisit eum, quocunque vellet ire, promittens ei multam humanitatem, si vellet cum eo Babylonem pergere: & nihilominus dedit ei liberam facultatem remanendi.

2. Mac. 3. Seleucus Asiæ rex, de hæreditatibus suis, tempore Oniæ summi Pontificis, præstabat omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.

Matth. 2. Apertis thesauris suis, non parvis loculis, in quibus oboli reponuntur, obtulerunt Magi Domino pauperi aurum, thus, & Myrrham.

Matth. 19. Magnificus, & largus remunerator Dominus est; qui

qui relinquentibus propter eum temporalia bona reddit centuplum in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro.

Ex pia liberalitate proveniebat: quòd Dominus discipulos spicas vellentes sabbatis, & manibus confricantes, contra Pharisæos maledicos defendebat. Matth. 12.

E fonte liberalitatis dimanat: quòd Dominus peccatores ad convescendum, ad colloquendum, & osculandum admisit de populo; ùt patet Matthæi 9. & Lucæ 5. Luc. 5. Matth. 9.

Item: & de illis publicanis peccatoribus, qui appropinquabant ad eum, ut audirent illum. Et de Zachæo. Lucæ 19. Exemplum quoque de Maria, quæ osculabatur pedes ejus. Item: & de Juda, propter quod benignitatis signum infelix citius respicere debuisset. Luc. 15. 19. Luc. 7. Matt. 26. Marc. 14.

Secutæ sunt turbæ pedestres Dominum JEsum de civitatibus in desertum. Vespere autem facto dixerunt ei discipuli: Dimitte turbas, ut euntes emant sibi escas. Ipse verò tanquam liberalis respondit: Date illis vos manducare. Matth. 14.

Distribuendo, & restituendo largus fuit Zachæus, cùm dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Luc. 19.

Donum pauperculæ viduæ, quæ misit duo æra minuta in Gazophylacium, præfertur à Domino muneribus divitum. Luc. 21.

Valde liberalis fuit Dominus latroni pendenti, & petenti: Memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi JEsus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Luc. 23.

Benignitatem, & liberalitatem dignatus est Dominus ostendere: quando vocatus ad nuptias pauperes ivit: & ibidem aquam in vinum convertit; ut exhilararet pauperes discumbentes. Joan. 2.

Magna DEI liberalitas apparet in illa similitudine Matth. 18.

de

de servo nequam, cui dixit Dominus: Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâsti me.

Actor. 4. Joseph qui cognominatus est Barnabas, cùm haberet agrum, vendidit illum: & attulit pretium: & posuit ante pedes Apostolorum.

Actor. 11. Audientes discipuli, qui erant Antiochiæ, quòd fames futura erat in universo orbe, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus fratribus in Judæa. Quod & fecerunt, mittentes per manus Barnabæ, & Saulis.

Act. 16. Quædam mulier purpuraria nomine Lydia, baptizata ad prædicationem Pauli, valde liberaliter, & devotè rogavit, imò coëgit, Paulum, & socios suos manere in domo sua.

Act. 28. Cùm evasissent Paulus, & socii de navi fracta, tempore hyemali, Barbari non modicam humanitatem præstabant eis: Accensâ enim pyrâ reficiebant eos, propter imbrem, qui imminebat, & frigus.

Eodem. Publius Princeps Insulæ Melitæ, ad quam Paulus, & socii ejus post tempestatem venerunt, susciptens eos, triduò benignè se eis exhibuit. Paulus autem patrem ejus, febribus, & dysenteriâ laborantem, sanavit.

1. Cor. 16. Apparet: Paulum erga pauperes valde liberalem fuisse; quorum negotia tam sollicitè procurabat, ùt patet de collectis: quas diligentissimè fieri faciebat.

2. Cor. 9. Si dignum fuerit, ut ego eam, mecum ibunt, ait: Et: qui parcè seminat, parcè metet.

Ad Philemonem. Miræ liberalitatis, & gratitudinis fuit exemplar in Paulo, qui pro Onesimo servo Philemonis fugitivo scripsit litteras tam affectuosas, efficaces, & devotas, ùt patet in epistola: Si habes me socium, ait: suscipe illum, sicut me. Si autem quid nocuit, aut debet, mihi imputato.

TITU-

TITULUS XCI.

Liberorum eruditio.

Audiens Jacob somnia Joseph, increpabat eum: ne contra se fratrum suorum invidiam susciteret. Gen. 37.

Negligentiam filiorum arguebat Jacob audiens: quòd alimenta venderent in Ægypto. Gen. 42.

Blasphemus in eremo lapidatus fuit, filius mulieris Israëlitidis, de viro Ægyptio generatus. Tales enim filii malè frequenter instruuntur. Levit. 24.

Præcepit Dominus per Moysen: ut filii Israël docerent filios ea, quæ ipsi viderant. Deut. 4.

Contumax filius, & protervus, & parentum imperio obedire contemnens, præcipitur à Moyse per populum lapidari. Deut. 21.

Heli Sacerdos malè corripuit filios suos: & ideo tam ipse, quàm illi sunt à Domino puniti. 1. Reg. 4.

Adonias filius Haggith malè fuit à fratre suo David correptus: & idcirco in superbiam elatus regnare voluit; sed tandem à fratre suo regnante occisus fuit. 3. Reg. 1. & 2.

Appropinquans ad mortem David, diligenter instruxit Salomonem filium suum, qui regnare debebat post eum. 1. Par. 28.

Tobias senior filium suum ab infantia timere Deum docuit: & abstinere ab omni peccato. Deinde, cùm se citò crederet moriturum, piè, & salubriter instruxit eum. Similiter fecit instante morte sua. Tob. 1. 4. 5. & 14.

Parentes Saræ uxoris Tobiæ junioris dimiserunt, ire filiam suam cum viro suo, monentes eam: honorare soceros: diligere maritum suum: regere familiam suam: gubernare domum: & se ipsam irreprehensibilem exhibere. Tob. 10.

Magnam sollicitudinem gerebat Job de liberis suis: qui cùm simul comedissent, offerebat ho- Job. 1.

holocausta per singulos dies; ne fortè peccâssent.

Dan.. 13. Parentes Susannæ, cùm essent justi, erudierunt filiam suam secundùm legem Moysi.

1.Mac. 2. Cùm appropinguaret morti Matathias, filios suos salubriter instruxit: & contra impios animavit.

2.Mach. 7 Supra modum mater mirabilis, quæ patientes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, singulos hortabatur, pia voce dicens: Nescio, qualiter in utero meo apparuistis, &c.

TITULUS XCII.

Luxuria.

Gen. 6. PEccatum carnis præcipuâ videtur fuisse causa, propter quam Dominus diluviô deleverit mundum. Dicitur enim: Omnis caro corruperat viam suam.

Gen. 19. Hoc etiam fuit causa horribilis incendii Sodomæ.

Gen. 34. Nota: quot, & quanta mala evenerint pro ardenti amore Sichem filii Emor, qui violenter Dinam oppressit.

Gen. 38. Luxuriosi quandóque luxuriam in aliis detestantur: ùt patet de Juda, qui dixit de Thamar: Producite eam, ut comburatur.

Judic.20. Occasione uxoris Levitæ à viris Belial in Gabaa Benjamin, incredibili libidinis furore vexante, occisa sunt plus quàm 60000. hominum.

2.Reg.3.4 Isboseth filius Saul redarguit Abner, qui ingressus fuerat ad concubinam patris sui. Abner autem iratus super hoc, procuravit ei auferre terram, & citò pòst amisit utérque vitam, & patriam.

2.Reg. 11 David captus amore Bethsabeæ uxoris Uriæ, cum illa adulterium commisit: & cum proditione homicidium perpetravit.

Judith.12 Stetit Judith ante faciem Holofernis: concussum erat cor, ardens ipsius in concupiscentia.

Di-

Dixit Angelus Tobiæ juniori: in eos, qui conjugium ità susciptunt, ut DEUM à se, & à mente sua excludant, & suæ libidini ità vacent, sicut equus, & mulus, habet potestatem dæmonium. Quid ergo est de fornicatoribus, qui nihil aliud intendunt, nisi fœdam suam explere libidinem? Tob. 6.

Duo senes Presbyteri ità fuerunt amore Susannæ decepti: quòd, quando illa voluntatem eorum facere recusavit, mortem illius procurare conati sunt. Dan. 13.

Tempore Antiochi, templum luxuriâ, & comessationibus gentium erat plenum: & scortantium cum meretricibus: sacratisque ædibus mulieres ultro se ingerebant, &c. 2. Mac. 6.

Occasione Herodiadis, quam contra legem duxerat Herodes, Joannes Baptista decollatus fuit, ad instantiam peccatricis mulieris. Matth. 14. Marc. 6.

Spiritus immundi loca immunda diligunt: unde rogaverunt Dominum JESUM, ut permitteret eos intrare in porcos, non in boves, vel agnos; quæ sunt animalia munda. Matth. 8.

Inter illos, qui vocati sunt ad magnam cœnam, nec iverunt, ille, qui uxorem duxit, non petiit: se excusatum haberi. Per quod patere potest: quàm longè sint à cœna Domini luxuriosi homines, & immundi: si ducere uxorem ità hominem implicat, & involvit, quòd quasi nihil aliud cogitare sinit. Luc. 14.

Exemplò filii prodigi, qui dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè, patet: quòd id peccatum depauperat. Unde dicitur: Cœpit egere. Item vilificat naturam. Sequitur: Quòd ipse pascebat porcos, &c. Luc. 15.

Item non extinguit ardorem libidinis, sed accendit: dicitur enim ibi: Cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, &c.

*TITULUS XCIII.

Magia.

Exod. 7. 11. COram Moyse, & Aarone confunduntur Magi, & malefici in Ægypto; virga enim Aaron devoravit virgas eorum. Quin, & ipsi ulceribus percussi coram Moyse stare non possunt.

Exod. 8. 18. Magi in Ægypto cum omni sua arte non poterant producere sciniphes: argumentum evidens, illis non omnia à DEO esse permissa.

Exod. 22. 18. Inter leges judici à DEO datas est ista: maleficos non patieris vivere.

Lev. 19. 31. Prohibet DEUS populo: non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid scisciteminí, ut polluamini per eos. Addit rationem: Ego Dominus Deus

Lev. 20. 6. vester. Minatur etiam talibus: Anima, quæ declinaverit ad Magos, & Ariolos, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.

1. Reg. 28 Saul abstulit Magos, & Ariolos de terra, & interfecit eos, qui pythones habebant in ventre. Verùm deinde ab hostibus coarctatus, Pythonissam consuluit, postridiéque ejus diei in peccatis suis mortuus, seipsum gladiô suô peremit.

4. Reg. 17. 17. Inter alia peccata, propter quæ Israëlitæ sub Rege Osee ab Assyriis in captivitatem abducti fuerunt, etiam hoc adducitur: divinationibus inserviebant, & auguriis.

4. Reg. 1. Ochoziæ regi, ob consultum Beelzebub Dei Accaron oraculum, mortem prædicit Elias.

2. Par. 33. Manasses Rex observabat somnia: sectabatur auguria: maleficis artibus inserviebat: habebat secum Magos, & Incantatores. Idcirco vinctus catenis Babylonem in captivitatem ductus est.

Act. 8. Simon Magus, postquam multos suis magiis dementâsset, tandem credidit, & baptizatus est. Sed vana fuit ejus conversio.

Mul-

Multi ex iis, qui curiosa sectati sunt, attulerunt libros suos (magicos) & combusserunt coram omnibus. Act. 19. 19

TITULUS XCIV.

Maledictio, qua DEUS maledicit homini.

Serpens primò legitur à DEO maledictus fuisse: Maledictus eris inter omnia animantia, & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, &c. Gen. 3.

Ad pœnam hominis dictum est: Maledicta terra in opere tuo. Eodem.

Lamentans Jeremias excidium civitatis Jerusalem, dixit: repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ. Thren. 2.

Daniel in oratione sua dicebat: stillavit super nos maledictio. Et nota: quòd maledictio super peccatores dicitur: stillare; sed super justos benedictio inundare. Eccles. 39. Benedictio illius quasi fluvius inundabat. Dan. 9.

Sacerdotibus malis loquens Dominus per Malachiam Prophetam, dixit: Maledicam benedictionibus vestris. Malach. 2.

Ficus, habens folia sine fructu, maledicta fuit à Domino, & continuò aruit. Matth. 21. Marc. 11.

Nimis erit terribilis illa maledictio, contra reprobos proferenda in die judicii: Ite maledicti in ignem æternum. Matth. 25

TITULUS XCV.

Maledictio, qua homo homini maledicit.

Primus inter homines Noë legitur, maledixisse Chanaan nepoti suo, pro eo, quòd Cham pater ejus nuditatem ipsius Noë cæteris fratribus nuntiavit, cùm magis eam tegere debuisset, Gen. 9.

Inter verba benedictionis, quæ dedit Isaac Jacob filio suo: Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus. Gen. 27.

Gen. 49. De Simeon, & Levi dixit Jacob pater eorum: Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.

Num. 22. Balach misit nuntios ad Balaam, ut veniret, & malediceret populo Israel; audierat enim: quòd maledictus erat, in quem maledictio devenisset.

Levit. 20. Qui maledixerit patri, aut matri, morte moriatur.

Deut. 17. Multas maledictiones ponit Moyses in eos, qui transgrederentur tradita illis divina mandata.

Josue 6. Diruta civitate Jericho imprecatus est Josue dicens: Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, & ædificaverit Jericho.

Judic. 9. Sichemitæ inter epulas, & pocula maledicebant Abimelech.

1. Reg. 17 Goliath Philistæus maledixit David in diis suis.

1. Reg. 14. Saul volens persequi Philistæos adjuravit populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis.

2. Reg. 16 Semei procedebat egrediens, & maledicebat: mittebátque lapides contra David, & dicebat: Egredere vir sanguinum, & vir Belial.

4. Reg. 2. Elisæus maledixit pueris illudentibus ei, & dicentibus: Ascende calve, ascende. Et lacerati sunt quadraginta duo pueri à duobus ursis.

2. Mac. 10 Cùm Judas Machabæus obsideret quoddam prædium: illi, qui intus erant, supra modum maledicebant, & sermones nefandos jactabant.

Joan. 9. Pharisæi maledixerunt cœco nato, per Dominum JESUM illuminato, & dixerunt: Tu discipulus illius sis.

Act. 23. Arguebant Judæi Paulum, dicentes: Summo Sacerdoti DEI maledicis? Sed ille excusavit se, & dixit: nesciebam fratres, quòd Princeps esset.

TITU-

TITULUS XCVI.

Malorum multitudo.

CUm factum fuit diluvium, octo homines tantùm salvati sunt. Omnis quippe caro corruperat viam suam. Gen. 6. & 7.

Plures fuerunt filii Ismaëlis, quàm filii Isaac, & plures filios suscepit Abraham de Cetura, quàm de Sara. Gen. 25.

In quinque civitatibus Sodomorum non erant inventi decem justi: ergo erat ibi multitudo malorum, & paucitas bonorum. Gen. 19.

Inter omnes fratres Joseph non fuerunt nisi duo: Ruben, & Judas, qui laboraverunt ipsum liberare, sed prævaluerunt mali. Gen. 37.

Moyses exploratores misit ad considerandum terram promissionis: sed duo tantùm erant boni, scilicet Caleb, & Josue. Num. 13.

Sexcenta millia pugnatorum numerati fuerunt, de quibus duo tantùm, Caleb, & Josue, intraverunt terram promissionis. Num. 11.

Plures fuerunt cum Absalon, regnum Patris usurpare nitente, quàm cum David benè, & justè regnante. 2. Reg. 15.

Major pars filiorum Israël fuit in regno Samariæ: quia decem Tribus, ubi erant homines multo pejores; minor autem in regno Jerusalem, quia duæ tantùm Tribus. 3. Reg. 12.

Tantus erat numerus bellatorum regis Syriæ, qui pugnabant contra Israël, quòd dicebat ipse rex: pulverem Samariæ non sufficere pugillis eorum. 3. Reg. 20.

In exercitu Holofernis tantus erat numerus bellatorum, quòd cooperuerunt faciem terræ, sicut locustæ. Judith. 2.

Omnis populus habitantium in terra Ægypti, & mulieres, quarum scabat multitudo grandis, sacrificabat diis alienis. Jer. 44.

1. Mach. 9 Non remanſerunt cum Juda Machabæo niſi octingenti viri: & erant in exercitu Bachidis, & Alcimi proditoris 20000. virorum, & duo millia equitum.

Joan. 18. Cùm eſſet in Jeruſalem tempore Paſchali, quo paſſus eſt Dominus, maxima populi multitudo: non eſt inventus vir, qui ſe opponeret manifeſtè morti tam nequiter procuratæ. Clamaverunt enim omnes: Non hunc dimitte, ſed Barrabam.

Act. 28. Quidam Judæi, quos invenit Paulus Romæ in primo adventu ſuo, dixerunt ei: De ſecta hac Chriſtianorum notum eſt nobis, quòd ubique ei contradicitur.

TITULUS XCVII.

Matrimonium.

Gen. 2. QUòd uxor debeat eſſe viro ſuo ſocia, & æqualis quoad multa; non domina, vel ancilla, patet per hoc: quòd Evam formavit Dominus de coſta Adæ, non de capite, vèl de pede. Item patet: quòd vir eſt caput uxoris; quia fuit ei quodammodo principium eſſendi, & facta eſt mulier de viro ſuo, non vir de muliere. Debet eſſe vir magiſter, & doctor: unde præceptum à Deo fuit datum Adæ, & per Adam Evæ.

Eodem. Quòd unus vir unam tantùm uxorem habere debeat, ſic decernit Dominus, dicens: Erunt duo in carne una.

Gen. 4. Ante diluvium, ſolus Lamech duas uxores legitur habuiſſe.

Gen. 7. In Arca Noë tot viros, quot fœminas juſſit Dominus reſervari: ut videlicet eſſet unica uniei.

Gen. 12. Ægyptii tempore Abrahæ plus abominari videbantur adulterium, quàm homicidium: unde timebat Abraham, ne eum occiderent, & poſtmodum Sarai uxorem ſuam Pharaoni offerrent, quaſi

quasi nollet eam cognoscere, quamdiu crederetur maritum habere.

Sara, uxor Abrahæ, obediebat marito: & Dominum eum vocabat. Gen. 18.

Item: etiam Abraham illius votis condescendebat interdum. Gen. 21.

Propter Sarai, uxorem Abrahæ, flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis. Gen. 12.

Propter eandem Dominus Abimelech per somnium minando exterruit. Gen. 20.

Consensus exigitur ad matrimonium: Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem Gen. 24.

Ille blasphemus, qui fuit lapidatus in deserto, fuit filius mulieris Israëlitidis de viro Ægyptio generatus. Per quod haberi potest: quòd non expedit de diversis ritibus matrimonia copulare; quia liberi inde nati malè imbuuntur. Levit. 24.

Secretum, quod Samson parentibus suis dicere noluit, uxor ejus extorsit ab eo, in damnum ipsius. Judic. 14.

Dixit Elcana ad Annam: Nunquid ego non melior sum tibi, quàm decem filii? 1. Reg. 1.

Nabal durus, & pessimus, & stultus habuit uxorem Abigail, quæ erat prudentissima, & speciosissima. 1. Reg. 25.

Quamvis haberet David multas uxores, tamen adulterium cum Bethsabea commisit. 2. Reg. 11.

Joram rex Juda fecit malum coram Domino, & ambulavit in viis Achab. Et subditur causa hujus: Filia enim Achab erat uxor ejus. 4. Reg. 8.

Filii transmigrationis, qui duxerunt uxores alienigenas, secundùm mandatum Esdræ dimiserunt eas. 1. Esd. 10.

Videns Nehemias Judæos ducentes uxores alienigenas, objurgavit eos: & maledixit: & verberavit aliquos: & decalcavit. 2. Esd. 3.

Sara, filia Raguelis, dicebat in oratione sua: Virum autem Domine in timore tuo, non cum libidine mea, consensi suscipere. Tob. 3.

Tob. 6. Dixit Angelus Tobiæ: In eos, qui conjugium ità suscipiunt, ut DEUM à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ità vacent sicut equus & mulus, habet potestatem dæmonium.

Tob. 8. Prima nocte, quando introductus est Tobias junior cum uxore, hortatus est virginem, dicens ei: Sara surge, & deprecemur Dominum hodie, & cras, & secundum cras; quia istis tribus noctibus DEO jungimur. Tertia autem nocte transacta, in nostro erimus conjugio.

Tob. 6. Honestam causam ducendi uxorem expositit Angelus Tobiæ: Accipies virginem cum timore Domini, & amore filiorum magis, quàm libidine ductus.

Tob. 10. Parentes Saræ monuerunt eam: honorare Soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.

Jerem. 44. Mulieres translatæ de terra Juda in Ægyptum, quæ sacrificabant reginæ cœli, excusabant se per viros suos, qui similia faciebant.

Dan. 13. Pro servanda fide matrimonii Susanna exposuit se morti, & infamiæ, nisi ei per Danielem justus Dominus providisset.

Joan. 2. Salvator noster convivio nuptiarum non dedignatus est interesse.

Matth. 14. Joannes Baptista fuit decollatus: quia Herodem de adulterio arguebat.

Matth. 19. Quærentibus Pharisæis, si liceret homini dimittere uxorem quacunque de causa, dixit Dominus: Quod DEUS conjunxit, homo non separet.

Luc. 14. Ex illis, qui ad cœnam magnam vocati fuerunt, & non iverunt: ille, qui uxorem duxit, non rogavit, se excusatum haberi. Quia status ille hominem vehementer allicit, & sæpè retrahit à divinis.

1. Cor. 7. Quantum ad actum conjugalem, ad paria, vel similia judicat Apostolus virum, & uxorem:

Muli-

Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Ananias, uxore sua Saphira conscia, fraudem fecit de pretio agri venditi: sed ambo gravissimè sunt puniti. Act. 5.

TITULUS XCVIII.

Mendacium.

PRimum mendacium fuit à serpente prolatum, quando dixit mulieri: Nequaquam moriemini. Gen. 3.

Sara timore perterrita, de risu se mendaciter excusavit. Gen. 18.

Etiam fornicatores mendacium dicere dedignantur, sicut Judas; qui dixit: Mendacii nos arguere non poterit (Thamar scilicet, cui hœdum promiserat.) Gen. 38.

Mendacium obstetricum, quod dixerunt Pharaoni, filios Hebræorum jugulare nolentes, habuit remunerationem temporalem, & non æternam; licèt fuerit illud mendacium valde compassivum. Exod. 1.

Multoties Pharao voluit decipere Moysen per mendacia: sed tamen nihil ei profuit. Exod. 9. & 10.

Sedens, & flens dixit populus in deserto: Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis. Num. 11.

Callidè cogitantes Gabaonitæ voluerunt Josue mendaciter decipere. Sed ille bonô usus est consiliô, eos in servitutem redegit, nec initum fœdus rupit. Josue 9.

Nunquam licet mendacium dicere, sed veritatem licet, & expedit quandoque tacere: sicut fecit Samuel, dicens: Ad immolandum Domino veni. Ad aliud enim facere principaliter venerat; & nihilominus hoc facere proponebat. 1. Reg. 16.

Dixit Saul: servos suos conjurâsse adversum se; 1. Reg. 22.

quia non capiebant David. Et dixit David: servum suum insidiari sibi; ipse verò insidiabatur ei.

2.Reg.13. Occiso unico de filiis David, fama pervenit ad ipsum David dicens: Percussit Absalon omnes filios regis. Sic faciunt homines sæpè nunciando rumores.

2.Reg. 16 Officiosè mentitus est Chusai Absalon dicens: Sicut parui patri tuo, parebo, & tibi.

3.Reg.13 Vir DEI prædixit Jeroboam destructionem altaris sui: qui per falsi Prophetæ mendacium seductus fuit, & mandatum Domini præterivit.

3.Reg. 21 Duo falsi testes producti contra Naboth, fuerunt causa dilapidationis ejus.

3.Reg. 22 Spiritus mendax in ore multorum Prophetarum decepit Achab, ut iret ad pugnam. Et ibidem fuit percussus ad mortem.

Judith.10 Per verba, quæ dixit Judith Holoferni, decepit eum. Licèt excusetur propter intentionem, quam habuit.

Esth. 3. Pessimum mendacium adinvenit Aman, ut posset confundere Mardochæum; eò quòd illum adorare nolebat.

Jerem. 42 Accesserunt ad Jeremiam Principes, & vulgus, quod remansit post destructionem Jerusalem, & dixerunt: se facturos, quidquid ille præciperet eis, sive bonum esset, sive malum. Sed largam promissionem malè tenuerunt.

Dan. 13. Pernicioſum, & detestabile mendacium dixerunt duo Presbyteri senes adversùs Susannam: quam tamen ex constantissima castitate commendare debebant.

1. Mac. 1. Antiochus rex misit Principes tributorum in civitates Juda: & venit in Jerusalem: & locutus est ad eos verba pacifica in dolo; & crediderunt ei: & irruit super civitatem repente, & percussit eam plagâ magnâ, perdiditque populum multum.

1.Mach. 6 Cùm obsideret Antiochus Eupator Jerusalem, ut

pos-

posset capere eam, misit ad illos, qui erant intus, pacem facere, & ceperunt illam: & juravit illis rex, & Principes, sed rupit citiùs juramentum, & mandavit destrui murum.

Alcimus, qui voluit fieri summus Sacerdos, dixit regi Demetrio: Perdidit Judas, & fratres ejus amicos tuos. Deinde idem venit in terram Juda cum Bachide, & miserunt nuncios ad Judam, & fratres ejus; & locuti sunt verbis pacificis in dolo, & tandem probatum est: quòd non erat in eis veritas, & judicium. 1. Mac. 7.

Promisit Demetrius Jonathæ: quòd redderet ei arcem; sed cùm liberatus fuisset per Judæos, quos misit Jonathas, mentitus est Demetrius omnia; quæcunque dixit; & alienavit se à Jonatha. 1. Mac. 11

Misit Simon Tryphoni centum talenta auri, & duos filios Jonathæ, pro liberatione ipsius; quia promiserat Tryphon remittere Jonatham, si hoc fieret ei. Sed mentitus est Tryphon: quia argentum retinuit, & patrem cum filiis interfecit. 1. Mac. 13

Mentiti sunt contra Dominum JESUM Judæi, præcipuè Scribæ, & Pharisæi: qui magis invidebant ei, dicentes: eum esse potatorem, mendacem, voracem, & prohibentem tributa dari Cæsari, gentis subversorem, & turbarum seductorem, dæmoniacum, & blasphemum. Matth. 11. & 22. Luc. 23. Joan. 8. &c.

Nequissimum mendacium excogitaverunt Judæi, quando corruperunt custodes dominici sepulchri, ut dicerent: quòd discipuli de nocte furati fuerunt corpus Domini. Matth. 28

Ananias, & uxor ejus Saphira mentiti sunt Petro de pretio agri venditi. Quod mendacium fuit per Petrum gravissimè vindicatum. Act. 4.

Judæi statuerunt duos falsos testes contra beatum Stephanum, dicentes: Homo iste non cessat loqui verba adversùs sanctum locum, & legem. Act. 6.

Contra beatum Paulum multa fuerunt adinventa Act. 16.

men-

mendacia. Nam illi quæstuarii, qui habebant puellam Pythonissam in Philippis, à qua ipse spiritum Pythonem ejecit, dixerunt Magistratibus civitatis: Hi homines conturbant civitatem nostram, cùm sint Judæi, & annunciant morem, quem non licet suscipere.

Act. 17. Item apud Athenas dicebant quidam: Quid vult semiverbius hic dicere? Alii dicebant: Novorum dæmoniorum videtur annunciator esse.

Actor. 21. Rursus in Hierosolymis quidam Judæi injecerunt ei manus, clamantes: Viri Israëlitæ, adjuvate! hic est homo, qui adversùs populum, & legem, & locum hunc omnes ubique docet. Insuper, & gentiles induxit in templum, & violavit locum istum sanctum.

Actor. 24. Postea coram Felice Præside Tertullius, orator Judæorum, dixit: eum hominem pestiferum, & concitantem seditionem Judæis in universo orbe.

Actor. 28. Præterea in insula Melitæ videntes Barbari viperam in manu Pauli pendentem, dicebant ad invicem: utique homicida est homo hic: qui cùm evaserit de mari, ultio eum vivere non sinit.

Rom. 3. Testatur etiam Paulus de se ipso: Ajunt quidam nos dicere, quemadmodum de nobis malè loquuntur: Faciamus mala, ut eveniant bona.

2. Cor. 10 Et ad Corinthios: Epistolæ, inquit, quidam ajunt, graves sunt; at præsentia corporis infirma, & sermo contemptibilis.

TITULUS XCIX.

Miracula.

Greg. super Ez. homil. 1. CReatio rerum fuit ità mirabilis: quòd ejus notitia, nonnisi per revelationem venire potuit ad hominem. Nam, secundùm Gregorium, de præteritis Moyses prophetavit, dicens: In principio creavit DEUS Cœlum, & terram; non quia prædixit ventura, sed quia prodidit occulta.

Tem-

Tempore diluvii ſalvavit Dominus Noë cum uxore, & tribus filiis ſuis, & uxoribus eorum, tum etiam de cunctis animalibus maſculum, & fœminam fecit ſervari per arcam. Gen. 7.

Præſumptionem hominum, turrim uſque ad cœlum ædificare volentium, repreſſit Dominus, confundendo linguas eorum. Gen. 11.

Mirabiliter natus eſt Iſaac: idem mirabiliter liberatus: quando debuit immolari, ariete inter vepres hærente. Gen. 21. & 22.

Quàm multa fecerit Dominus miracula per Moyſen, cùm eduxit filios Iſraël de Ægypto, patet. Exod. 7. 8 9. & 10.

Grande miraculum fuit: quòd nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, populo exeunti de Ægypto ad terram promiſſionis. Exod. 13.

Memorandum, & terribile miraculum fuit in diviſione, & exſiccatione maris rubri: quando tranſierunt filii Iſraël ſicco pede; Ægyptii verò in mediis fluctibus obvoluti. Exod. 14.

Per lignum Moyſi oſtenſum dulcoratæ ſunt aquæ. Exod. 15.

Miſit Dominus murmuranti populo coturnices. Exod. 16.

Et poſtea pluit illis Manna ad manducandum: & eduxit aquam de petra in abundantia ad bibendum. Exod. 17.

Murmurantibus, & deſiderio carnium flagrantibus in deſerto filiis Iſraël, miſit DEUS carnes in abundantia. Num. 11.

Occaſione ſeditionis Core, & complicum ſuorum, multa miracula contigerunt. Num. 16. & 17.

Percuſſi filii Iſraël à ſerpentibus ignitis: & aſpicientes ſerpentem æneum curabantur. Num. 21.

Adduxit Dominus filios Iſraël per deſertum quadraginta annis; & non ſunt attrita veſtimenta eorum, nec calceamenta vetuſtate conſumpta. Deut. 29.

Veniens Balaam ad maledicendum populo DEI, redargutus fuit ab aſina, cui inſidebat. Num. 22.

Ingreſſis filiis Iſraël fluvium Jordanis, intume-

ſce- Joſue 3.

ſcebant aquæ ſuperiores ad inſtar montis: inferiores in mare mortuum deſcenderunt.

Joſue 6. Poſt ſeptem circuitus filiorum Iſraël muri Jericho corruerunt.

Joſue 10. Obedivit Dominus voto Joſue, dicenti: Sol contra Gabaon non movearis.

Judic. 7. Immiſit Dominus gladium in omnibus caſtris Madian, & mutua ſe cæde truncabant: ſícque per paucos multi debellati fuerunt.

1.Reg.5. Per Arcam Domini, à Philiſtæis captam, multa fuerunt facta miracula.

1.Reg. 14 Jonathas, & armiger ejus tot de Philiſtæis percuſſerunt, quod factum eſt miraculum, & turbata ſunt caſtra.

1.Reg.17. 18. & 19. Magnum fuit, & hoc: quòd David juvenis inexpertus, inermis, prævaluit adversùs Philiſtæum fortem, armatum Goliath.

3.Reg.17. Elias legitur feciſſe miracula, in petendo fieri ſiccitatem, ità quòd non pluerit ſuper terram annos tres, menſes ſex. Corvi quoque detulerunt ei panem, & carnes bis in die.

Conſequenter ſuſcitavit filium Matrisfamilias. Poſtea ignem, holocauſtum mirabiliter conſumentem, à Domino precibus impetravit. Demum poſt orationem ejus, facta eſt pluvia grandis.

4.Reg. 1. Dehinc Angelus Domini panem, & aquam ei oſtendit. Item ad preces ejus, duos quinquagenarios ignis de cœlo conſumpſit: quinquaginta viros ſimiliter cum unoquoque.

4.Reg. 2. Tandem diviſit palliô aquas Jordanis, & in curru igneo receptus eſt in cœlum.

4. Reg.4. Similia multa de Eliſæo quoque: Eliſæus mulieris viduæ debitis obligatæ oleum augmentavit.

Idem mulierem Sunamitidem filium habere fecit; deinde eundem mortuum ſuſcitavit.

Appoſitâ farinâ in olla, priùs amara olera dulcoravit, & panes multiplicavit filiis Prophetarum.

Sa-

Sanavit idem à lepra Naaman Syrum. 4.Reg. 5.

Fecit ſuper aquas natare ferrum.

Abſens tanquam præſens multa cognovit. Currus igneos Angelorum à puero ſuo videri fecit. 4. Reg. 6.

Exercitum regis Syriæ cœcitate percuſſit. 4.Reg.6.7 8.& 13.

Idem multoties futura prædixit.

Cadaver hominis mortui, tangens oſſa Eliſæi, vitæ reſtitutum fuit. 4.Reg.14.

Obſidente rege Sennacherib civitatem Lachis, percuſſi fuerunt una nocte 185000. tempore Ezechiæ. 4.Reg.19.

Congregati ſunt contra Joſaphat filii Ammon, & Moab, & de monte Seir, cùm canerent laudes DEO Levitæ in exercitu Joſaphat, adverſarii in ſemetipſos verſi, mutuis concidêre vulneribus. 2.Par. 20.

Mirabile fuit valde: quando ad petitionem Ezechiæ ſol retroceſſit per decem lineas in horologio Achaz. 4.Reg. 20

Tobias quatuor annis fuit cœcus, & deinde juxtà conſilium Angeli ad linitionem de felle piſcis lumen recepit. Tob. 11.

Memorandum fuit miraculum de tribus ſociis Danielis, de fornace ignis ardentis tam magnificè liberatis. Tum etiam: quòd Daniel ipſe cum leonibus ſeptem diebus remanſit illæſus. Dan. 3. Dan. 14.

Occaſione Jonæ, mare fuit commotum: quo projecto piſcis eum glutivit: & per triduum ibi vixit, & poſtea ſanus exivit. Joan. 1. & 2.

Expertus eſt Heliodorus divinam virtutem: quando voluit ſpoliare templum; fuítque à duobus juvenibus graviſſimè verberatus. 2.Mahc.3.

Adversùs Galatas in Babylonia 6000. hominum peremerunt 12000. hominum, propter auxilium illis è cœlo datum. 2.Mach.8.

Angelus Domini apparuit Zachariæ, nuncians ei ex parte DEI: quòd uxor ejus Eliſabeth ſterilis, & anus pareret ei filium: qui incredulus ad Luc. 1.

ver-

verbum Angeli, mutus effectus est, usque ad circumcisionem pueri; & tunc loquela restituta est ei.

Eodem. Mirum, dulce, & pium valde fuit: quando ad salutationem Beatæ MARIÆ, quæ noviter conceperat Salvatorem, Joannes in utero matris existens exultavit: beatáque Elisabeth, hoc cognoscens, exultavit dicens: Benedicta tu in mulieribus, &c.

Matth. 2. Item, & quod Magi venerunt ab Oriente, stella duce, Hierosolymam.

Joan. 2. Vocatus ad nuptias Dominus JESUS, initiô signorum, aquam in vinum vertit.

Luc. 4. Non fuit parvum Domini miraculum: quando illi de Nazareth irâ repleti duxerunt eum ad supercilium montis, ut præcipitarent eum: ipse autem transiens per medium illorum ibat.

Matth. 4. Luc. 4. 6. Circuibat JESUS: obtulerúntque ei omnes male habentes, & curavit eos.

Miracula Christi. Quantum ad miracula, quæ Salvator noster, cum hominibus conversatus, dignatus est operari, ex Evangelica colligitur historia. Quia ipse tres mortuuos suscitavit; videlicet: filiam Archi-Synagogi, Matth. nonô, & Marc. quintô: filium viduæ extra portam civitatis delatum, Lucæ octavô: tertium Lazarum Joan. undecimô.

Leprosi. Deinde leprosos undecim sanavit. De uno Matthæi octavô, Lucæ quintô. De alliis decem simul mundatis Luc. 17.

Cœci. Postea sex cœcos legitur illuminâsse. De duobus simul Matthæi nonô. De aliis duobus Matthæi vigesimô. De uno alio Marci octavô. Veniunt Bethsaida, &c. De cœco nato. Joan. 9.

Dæmoniaci. Dæmoniacos autem septem specialiter liberavit. De duobus Matthæi octavô; quorum unus erat famosior, & nomen sibi legionem esse dicebat: tangitur id Lucæ octavô. De uno alio, qui erat cœcus, & mutus, Matthæi duodecimô. De quodam

dam lunatico, qui non poterat liberari, nisi jejunio, & oratione. Matthæi decimô septimô, Marci nonô. Et de quodam spiritu immundo, ab homine in Synagoga Judæorum ejecto, tangitur Marci primô, Lucæ quartô. Et de filia mulieris Chananææ ad instantiam matris sanata, Matth. 15.

Tum, & secundùm litteram narratur, Lucæ octavô, ejeciſſe septem dæmonia de Maria. Et hoc ipsum dicitur Marci decimô sextô.

Cùm Socrus Simonis teneretur magnis febribus, imperavit JESUS febri: & continuò surgens, ministrabat eis. Marc. 1. Luc. 4.

Paralyticum per tegulas, & tectum demissum sanavit. Matth. 9.

Hydropicum quoque, dum Sabbatô in domo Pharisæi comederet: incurvatámque mulierem, nec sursùm respicere valentem, erexit. Luc. 14. Luc. 13.

Hominem manum aridam habentem, extendere fecit. Matth. 12.

Sanavit quoque verbô servum Centurionis: qui jacebat paralyticus. Matth. 8.

Item surdum fecit audire: & mutum loqui. Marc. 7.

Filium reguli de Capharnaum, incipientem mori, ad vitam reduxit. Joan. 4.

Fluxum sanguinis in muliere hæmorrhoiſſa ceſſare fecit tactu fimbriæ. Matth. 9. Marc. 5.

Tempestate valida in mari, ipso dormiente, commota, imperavit ventis: statímque venti, & mare obediunt ei. Matth. 8. Marc. 4.

Ambulavit discipulis admirantibus supra mare: & Petrum ambulare fecit super eodem: & incipientem mergi, manu extensa, salvavit. Matth. 14.

Pulchrum miraculum ostendit illis tribus discipulis in sua transfiguratione. Matt. 17. Marc. 9.

Item quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum satiavit: & sublati fuerunt duodecim cophini. Matth. 14. Marc. 6.

Marc. 8. Quatuor millia hominum alia vice refecti de septem panibus, & paucis piſciculis: ſuperfuerunt ſeptem ſportæ.

Matt. 21. Idem ficum habentem folia ſine fructu maledixit: & continuò aruit.

Luc. 22. Auriculam, per Petrum ſervo Principis amputatam, benignè reſtituit: & Petrum ſuper hoc increpavit.

Matt. 27. Cùm autem Salvator penderet in cruce, à ſexta hora diei, usque ad horam nonam, tenebræ factæ ſunt per univerſam terram, Luna exiſtente decimaquinta, & in parte cœli oppoſita: ità ut Sol per illam Lunam nullatenus potuerit eclypſari: & velum templi ſciſſum eſt: & monumenta aperta.

Matt. 28. Reſurgente Domino, terræmotus factus eſt magnus. Angelus Domini deſcendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem, &c. Præ timore autem exterriti ſunt cuſtodes.

Joan. 20. Deinde apparuit diſcipulis januis clauſis.

Joan. 21. Et ad mare Tyberiadis, ubi ad præceptum ejus mittentes rete in mare, impletum eſt magnis piſcibus centum quinquaginta tribus: & cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.

Luc. 24. Tandem quadraginta dies poſt reſurrectionem ſuam apparuit diſcipulis, eos increpans, & inAct. 1. ſtruens. Videntibus illis, atque admirantibus elevatus eſt in cœlum: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.

Prædicta miracula in ſpeciali tanguntur: alia verò plurima fuiſſe facta, in generali leguntur: ſicut apparet in diverſis locis, in Matth. Marc. Luc. &
Joan. 20. Joan. Unde Joan. Multa quidem alia ſigna fecit JESUS, quæ ſi ſcriberentur, totus mundus non caperet libros, &c.

Act. 2. Mirô modô fuit magnum miraculum de effuſione Spiritûs ſancti ſuper diſcipulos in die Pentecoſtes. Unde fuerunt ità roborati, conſolidati, & illuſtrati.

Vi-

Videns Petrus hominem claudum juxta portam speciosam templi: in Nomine JESU, dixit ei, surge, & ambula: & apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, & consolidatæ sunt bases ejus, & plantæ. Act. 3.

Princeps Sacerdotum, & qui cum illo erant, injecerunt manus in Apostolos, posuerúntque eos in custodia publica. Angelus autem Domini per noctem eduxit eos, & carcerem reclusit. Act. 5.

In plateis ponebant infirmos in lectis, & grabatis: ut veniente Petro, saltèm umbra illius obumbraret quemquam illorum. Concurrebat autem multitudo vicinarum civitatum, & sanabat omnes. Eodem.

Prædicante Philippo in Samaria, multi, qui habebant spiritus immundos, clamantes exibant. Multi etiam paralytici, & claudi curati sunt. Act. 8.

Æneam paralyticum ab annis septem jacentem in grabato Petrus sanavit, dicendo: Ænea, sanet te Dominus JESUS. Act. 9.

Ejectis omnibus foras, Petrus ponens genua oravit, & conversus ad corpus Thabitæ mortuum, dixit: Thabita surge. At illa aperuit oculos: & visô Petrô resedit. Eodem.

Mirabile, & amabile factum fuit: quòd Saulus, dum iret Damascum, ad capiendum Christi discipulos, cœlesti lumine circumdatus, in terram prostratus est: sed interius illustratus, quamvis extra occœcatus. Act. 9.

Petrum in carcerem, catenis duabus vinctum, & à sedecim militibus diligentissimè custoditum, Angelus Domini solutum eduxit: & porta ferrea ultro aperta est eis. Act. 12.

Elymam Magum, Pseudo-Prophetam Judæorum Paulus privavit lumine oculorum; eò quòd ipse Proconsulem Paulum à fide avertebat, & Apostolis Verbum DEI prædicantibus resistebat. Act. 13.

In civitate Lystris erat quidam vir claudus ex utero matris suæ, qui nunquam ambulaverat, Act. 14.

quem intuens Paulus dixit voce magna: Surge ſuper pedes tuos rectus. Et exilivit: & ambulavit.

Act. 16. Quædam puella, habens ſpiritum Pythonem, magnum quæſtum præſtabat dominis ſuis divinando. Hæc ſequebatur Paulum, & Silam, clamans, & dicens: Iſti homines ſervi DEI excelſi ſunt. Paulus autem dixit ſpiritui: Præcipio tibi in Nomine JESU exire ab ea. Et exivit eâdem horâ.

Eodem. Cùm eſſent Paulus, & Silas in carcere, laudantes Dominum: ſubitò terræmotus factus eſt magnus, ità ut moverentur fundamenta carceris: & ſtatim aperta ſunt oſtia omnia, & univerſorum vincula ſoluta ſunt.

Act. 19. Virtutes non modicas faciebat DEUS per manus Pauli: ità ut etiam ſuper languidos deferrentur à corpore ejus ſudaria, vel ſemicinctia: & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.

Eodem. Quidam Judæi tentaverunt, invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini JESU Chriſti, dicentes: Adjuro vos per JEſum, quem Paulus prædicat. Reſpondens ſpiritus dixit: JESUM novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis? Et inſiliens homo, in quo erat dæmonium, dominatus eſt eorum ità, ut nudi, & vulnerati effugerent.

Act. 20. Una Sabbati Paulus diſputans protraxit ſermonem usque ad mediam noctem. Sedens autem quidam adoleſcens ſuper feneſtram, cùm urgeretur ſomno gravi, cecidit de cœnaculo tertio deorſum, & ſublatus eſt mortuus. Ad quem cùm deſcendiſſet Paulus, incubuit ſuper eum. Adduxerunt autem puerum viventem, & conſolati ſunt nimis.

Act. 21. Tempore hyemali, cùm evaſiſſent Paulus, & ſocii ejus de confracta navi, & calefacerent ſe ad ignem,

ignem, vipera à calore procedens invasit manum Pauli, quam ille excutiens in ignem, nihil mali passus fuit: cùm tamen crederetur ab hominibus regionis illius illico moriturus.

Patrem Publii, febribus, & dysenteria laborantem, Paulus facta oratione, & manuum impositione sanavit. Quo facto omnes, qui in insula illa habebant infirmitates, accedebant, & curabantur. Eodem.

TITULUS C.

Misericordia DEI.

Misericors DEUS fuit erga Cain: dum posuit ei signum, ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum. Gen. 4. 15

Erga Noë: dum eum liberavit à diluvio, consequenter erga totum genus humanum, ut non funditus periret. Gen. 7.

Erga populum Israëliticum: dum eum liberavit à dura servitute Ægyptiaca. Exod. 14.

Erga eundem populum: dum eum è captivitate Babylonica eripuit, & in patriam suam reduxit. 1. Esd. 1.

Erga Loth: dum eum per Angelos de Sodomis, & flamma ignis eripuit.

Erga David: qui vix ex pœnitenti corde illam vocem pronuntiavit: Peccavi Domino; & mox à Propheta Nathan audivit: Dominus quoque transtulit peccatum tuum. Gen. 19.

Erga Manassen: cui post immania flagitia dedit gratiam; ut ageret pœnitentiam valde coram DEO patrum suorum. 2. Reg. 21.

Erga Ninivitas: quibus propter insignem pœnitentiam condonavit excidium à Propheta Jona prædictum. Reprehendit etiam Prophetam Jonam, quasi dolentem de ipsius erga Ninivitas misericordia. 2. Par. 33. 12. Jon. 4.

Matth. 9. 9 Misericors fuit Christus Dominus erga S. Matthæum: quem è telonio ad vitam Apostolicam vocavit.

Joan. 8. Erga fœminam adulteram: quam non tantùm eripuit è manibus scribarum, & Pharisæorum, qui illam in adulterio deprehensam volebant lapidare; sed etiam à suo Divino judicio, & condemnatione absolvit.

Luc. 19. Erga Zachæum publicanum: ad quem se ultro invitavit, & salutem in ejus domum intulit.

Luc. 7. Erga Magdalenam: cui, licèt esset in civitate peccatrix, non tantùm omnia peccata remisit; sed illam etiam ad magnam sanctitatem provexit.

Joan. 21. 15. Erga S. Petrum: quem post condonatam trinam negationem in gradum pristinum restituit.

Luc. 23. 42. Erga Latronem in cruce: cui plus concessit, quàm ille petierat.

Act. 9. Erga S. Paulum: ad quem de cœlo descendit, cùm actu persequeretur Ecclesiam; ut eum converteret, & ex persecutore magnum Apostolum faceret. Hanc misericordiam Paulus ipse deprædicat in Epistola ad Timotheum.

1. Tim. 1, v. 12, & seq.

Luc. 15. 2. Erga omnes peccatores: hinc communis de illo sermo: Hic peccatores recipit.

Erga totum humanum genus: pro quo non dubitavit crudelissima supplicia, & acerbissimam mortem pati; ut illud ab interitu liberaret.

Misericordiam suam per varias parabolas nobis proposuit, ut:

Luc. 15. Boni pastoris: qui errantem oviculam per desertum quærit, inventam humeris imponit, & ad ovile reportat.

Matt. 18. 23. Regis: qui servo suo decem millium talentorum debitori totum debitum dimisit, cùm hic in genua procidens illum rogâsset.

Luc. 10. Samaritani: qui cùm vidit hominem à latronibus vulneratum, misericordiâ motus alligavit vulnera ejus.

Filii prodigi: qui ad patrem reversus, benignissimè ab eo fuit exceptus. Luc 15.

Adeò fuit DEUS misericors erga Sodomitas, ut, si in eorum civitate decem tantùm justos invenisset, omnibus pepercisset. Gen. 18. 32.

David ex tribus pœnis à DEO sibi oblatis elegit pestem, dicens: Melius mihi est, ut incidam in manus Domini; quia multæ sunt miserationes ejus, quàm in manus hominum. 1. Par. 21. 13.

* TITULUS CI.

Morbi.

Job in morborum plurimorum doloribus patientissimus, exemplum patientiæ, quam omnes in suis morbis debent habere. Job. 2. 7.

Permisit DEUS: ut Tobias senior fieret cœcus; ut posteris daretur exemplum patientiæ, sicut, & sancti Job. Eidem affirmat Angelus: quia acceptus eras DEO, necesse fuit, ut tentatio probaret te. Tob. 2. 12. 12. 13.

In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, nempe post mirabilem victoriam de Assyriis relatam: ne miraculoso hoc triumpho nimium extolleretur. 4. Reg. 1.

Idem in hac infirmitate sua se convertit ad Dominum: ab eo petit sanitatem, & obtinet. 4. Reg. 2.

Ægrotavit Rex Asa dolore pedum vehementissimo: & in infirmitate sua non quæsivit Dominum; sed magis in medicorum arte confisus est: ideo mortuus. 2. Par. 16. 12.

Ochozias Rex, cùm ægrotaret, misit nuncios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron super infirmitate sua. Sed nunciis occurrens Elias imperat: ut Domino renuntiarent; nunquid non est DEUS in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub? Quam ob rem hæc dicit Dominus: de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. 4. Reg. 1. 2.

2.Mach.9. 11. Impius, & ſuperbus Antiochus per morbum, in quem incidit, cœpit in cognitionem DEI, & ſui ipſius venire: unde exclamavit: juſtum eſt, ſubditum eſſe DEO, & mortalem non paria DEO ſentire.

Matt. 9.2. Luc. 5.20. Chriſtus Dominus ſæpius infirmis remiſit peccata, antequam eos ſanaret; ut oſtenderet: tum originem morborum eſſe peccata: tum optimum contra morbos remedium eſſe pœnitentiam de peccatis.

Joan. 5.14 Idem hominem triginta, & octo annos habentem in infirmitate ſua, à ſe ſanatum monet: ecce ſanus factus es, jam noli peccare: ne deterius tibi aliquid contingat.

Matth. 9. Matt. 10. Luc. 18. Ferè omnes ægroti, quos Chriſtus Dominus ſanavit, priùs ab illo ſanitatem ſuis precibus poſtulârunt; per quod docentur ægri: ut ſanitatem à DEO petant; cùm ſit unicè ejus donum.

Joan. 11. Lazarus juſtus, & à Chriſto ſpecialiter dilectus tam gravi infirmitate affligitur: ut ex ea moriatur.

Luc. 17. 17. Indignatur Dominus: quòd novem leproſi ab eo ſanati nullas ipſi gratias agant pro accepta ſanitatis gratia.

TITULUS CII.

Mors in genere.

Gen. 2. QUia vera eſt ſententia DEI, quam dixit homini: In quacunque hora comederitis ex eo, morte moriemini, planum eſt: quòd ſtatim poſt peccatum homo moritur. Unde homo vivens quaſi continuè moritur, ſecundùm Auguſt. lib. 14. de civitate DEI.

Gen. 5. Cùm tot annis vixerint homines ante diluvium, ſignanter tamen dicit ſcriptura poſt tempus deſcriptionis vitæ eorum: Et mortuus eſt.

Gen. 19. Si antiqui patres mortem timebant, & longam vi-

vitam optabant, non erat mirum. Nam ipsi non poterant adhuc in cœlum ascendere: nec divina perfrui visione: donec Salvator advenit, qui aperuit januam paradysi. Unde sanctus Loth admonitus est ab Angelo: ut salvum se faceret in monte. Timuit ille ire: ne fortè apprehenderet eum malum, & ibi moreretur.

Etiam mali optabant bene mori: Moriatur anima mea morte justorum, dixit Balaam. Num. 23.

Quamvis Moyses obedire nollet imperio Domini, qui voluit eum transire Jordanem; tamen satis videtur: quia libenter plus vixisset, si Dominus voluisset. Unde ait: Iratus est Dominus contra me: Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem. Deut. 4.

Magna pars mercedis Mosaicæ legis, in longa vita consistere videbatur. Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis: quæ facientes longo perseveretis tempore in terra: ad quam ingredimini possidendam. Deut. 32.

Maluerunt Zebee, & Salmana occidi manu Gedeonis, strenui viri, quàm manu Jether juvenis filii sui. Judic. 8.

Noluit David flere pro filio mortuo, qui fleverat eo infirmo. 2. Reg. 12

Cùm sederet Elias subter unam juniperum, petivit animæ suæ, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine; tolle animam meam. 3. Reg. 19.

Ezechias rex Juda ambulavit coram Domino in veritate, & fuit bonus: tamen quando nunciatum fuit ei per Isaiam: quia mori deberet; oravit Domino fletu magno: ut adhuc ei vitam prolongaret. Isa. 38.

Tobias provocatus, audita responsione uxoris ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis, dicens: Justus est Domine: præcipe in pace recipi animam meam. Expedit enim mihi mori magis, quàm vivere. Sequitur 4. Capite: Cùm puta- Tob. 3.

ret orationem suam exaudiri, vocavit filium suum.

Eodem. Sara filia Raguelis, accepta ab una ancillarum gravi contumelia, oravit Dominum, dixítque inter cætera: Peto Domine, ut de vinculo hujus improperii absolvas, aut certe desuper terram eripias me.

Jerem. 38 Coram rege Sedecia prostravit Jeremias preces suas, ne interficeret eum, & juberet reduci eum in carcerem, in quo prius fuerat, ne moreretur.

Post mortem crucis, quam Salvator voluit sustinere, ostendit manifestè: quòd non solùm mori, sed, & quodcunque genus mortis ab homine justo, pro divina obedientia, promptè deberet sustineri.

Matth. 26. Ante adventum Spiritûs Sancti nimis timuerunt mortem Apostoli: qui, comprehensô Dominô, omnes eum reliquerunt: postquam verò fuerunt virtute ex alto roborati, ducti coram Principibus, & tyrannis, fiducialiter loquebantur.

Act. 21. Parùm timebat, imò non timebat mortem Paulus, qui dicebat: Non solùm alligari, sed, & mori paratus sum propter nomen Domini JESU.

Act. 25. Idem: Si nocui Judæis, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori.

Advertendum est autem: quia plerumque insidias devitans Judæorum, de civitate in civitatem fugiebat. Non timore mortis hoc faciebat: sed quia furori malorum cedens, pluribus se utilem reservabat.

TITULUS CIII.

Mors justorum.

Gen. 4. CUm essent in agro Cain, & Abel, consurrexit Cain adversùs Abel, & interfecit eum.

1. Joh. 3. Rationem tangit Joannes: Quoniam opera ipsius mala erant, fratris autem justa.

Am-

Ambulavit Henoch cum DEO: & non apparuit, quia tulit eum DEUS. Gen. 5.

Mortuus est Abraham in senectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum: congregatúsque est ad populum suum. Gen. 25.

Completi sunt dies Isaac 180. annorum, consumptúsque ætate mortuus est: & appositus populo suo senex, & plenus dierum. Gen. 35.

Jacob finitis mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectum suum, & obiit: & appositus est ad populum suum. Gen. 49.

Cùm adjurâsset Joseph fratres suos, atque dixisset: DEUS visitabit vos: asportate vobiscum ossa mea de loco isto, &c. mortuus est. Gen. 50.

Ascenderunt Moyses, & Aaron juxta mandatum Domini in montem Hor, coram omni multitudine. Cúmque Aaron expoliâsset se vestibus suis, induit eis Eleazarum, & mortuus est ibi Aaron. Num. 20.

Mortuus est Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino: & sepelivit eum Dominus; & non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem. Deut. 34.

David post institutionem filii sui Salomonis, & orationem, quam fecit ad Dominum pro eo, & pro toto populo, mortuus est in senectute bona, plenus dierum, & divitiis, & gloria. 1. Par. 29.

Cùm pergerent simul Elias, & Elisæus: ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque; & ascendit Elias per turbinem in cœlum. 4. Reg. 2.

Spiritus Domini induit Zachariam filium Jojadæ, & dixit populo: Quare transgredimini præceptum Domini? quod vobis non proderit. Qui congregati adversùs eum, miserunt lapides juxta regis imperium, & interfectus est. 2. Par. 24.

Tobias in hora mortis suæ vocavit Tobiam filium suum, & septem juvenes nepotes suos, & dixit eis: Prope est interitus meus. Et de filio Tob. 14.

ejus

to, ità quòd de sexcentis millibus hominum pugnatorum duo tantùm terram promissionis intraverunt.

Josue 7. Quoniam Achan tulit furtivè de anathemate Jericho, lapidavit eum omnis Israël, & cuncta, quæ ejus erant, igne consumpta sunt.

Judic.4. Tulit Jahel, uxor Haber Cinæi, clavum tabernaculi, & defixit in cerebrum Sisaræ; qui soporem morti socians defecit: & mortuus est.

Judic.8. Si Zebee, & Salmana servâssent fratres Gedeonis, pepercissent eis Gedeon; sed quia eos occiderunt, & ipsi à Gedeone occisi fuerunt.

Judic.1. Comprehenderunt filii Israël Adonibezech, cæsis summitatibus manuum ejus, ac pedum (& ità fecerat ipse septuaginta regibus) adduxerunt in Jerusalem: & ibi mortuus est.

Judic.9. Una mulier jaciens super caput Abimelech fragmen molæ, confregit cerebrum ejus, qui vocavit armigerum suum, & jussit se interfici: & reddit ei Dominus malum, quod fecerat, interficiens septuaginta fratres suos.

1.Reg.4. Cùm audissent Heli, Arcam Domini esse captam: cecidit de sella retrorsùm juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est.

1.Reg.17. Superbum Goliath, & blasphemum, David puer inermis, non habens usum armorum, gladiô illius propriô interfecit.

1.Reg.31. Saul, quadam iniqua invidia motus, persecutus fuerat David: Tandem arripuit gladium suum, irruens super eum, & mortuus est.

2.Reg.13. Primogenitus David oppressit sororem suam Thamar: & paulò pòst occisus est, jubente Absalon fratre suo, cùm comederet cum eo.

2.Reg.18. Libidine dominandi Absalon multùm afflixit patrem suum David: sed antequam assecutus esset propositum, suspensus fuit inter cœlum, & terram.

2.Reg.17. Videns Achitophel, quòd non fuisset acceptum con-

consilium suum, quod dederat contra David, abiit in domum suam, & suspendiò interiit.

Seba filius Bochri concitavit populum contra David, & fugiens in Abelem civitatem, ubi putabat habere refugium, & auxilium, decapitatus fuit ibidem. 2. Reg. 20.

Adolescens, qui dixit, se Saul occidisse, jubente David occisus est: cùm putabat prospera nunciare. 2. Reg. 1.

Simile accidit duobus latronibus, qui caput Isboseth filii Saul attulerunt. 2. Reg. 4.

Quamvis Joab fuisset miles strenuus, & fidelis, quia tamen occidit duos viros proditoriè, jussus est occidi monente Salomone. 3. Reg. 2.

Rege Israël pessimo Hela, rebellavit Zambri contra dominum suum, & occidit eum, qui post septem dies ingressus est regium thalamum, & succendit se cum ipsa domo regia. 3. Reg. 16.

Vulneratus in bello Achab mortuus est vesperi: & linxerunt sanguinem ejus canes in eodem loco, in quo linxerunt sanguinem Naboth, qui, dissimulante ipso Achab, cùm liberare eum deberet, & posset, lapidatus, & mortuus est. 3. Reg. 22.

Cùm ascenderet Elisæus in civitatem Bethel, quidam pueri malè eruditi illudebant ei, egressíque sunt duo ursi, & dilaceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 4. Reg. 2.

Unus de duobus, qui aderant cum rege Israël, noluit credere verbis Elisæi, futuram abundantiam prædicentis: in crastino verò conculcavit eum turba hominum, ad spolia concurrentium, & mortuus est. 4. Reg. 7.

Benadad rex Syriæ, qui multa mala intulit filiis Israël, fuit demum ab Asaël filio jugulatus. 4. Reg. 8.

Videns Jehu Jezabel impiam, quæ fuit causa malorum, jussit eam præcipitari deorsum: & fuit ità equorum ungulis conculcata, quæ, licèt esset filia regis, non fuit tradita sepulturæ. Tantùm enim calvaria capitis aderat. 4. Reg. 9.

Atha-

4.Reg.11. Athalia mater Ochoziæ interfecit omne semen regium, ut posset regnare super populum: & postmodum turpiter interfecta fuit, jussu Jojadæ Sacerdotis.

4.Reg.12. Rex Juda malus, & ingratus Joas, qui fecit Zachariam filium Jojadæ Sacerdotis crudeliter lapidari, postea interfectus est à servis suis.

4.Reg.19. Rex Assyriorum Sennacherib superbissimus, & in DEUM cœli blasphemus, postquam de terra Juda confusus aufugit, à filiis suis interfectus fuit.

4.Reg.ul. Sedecias rex Juda malus apud DEUM, & homines, comprehensus est fugiens. Ante cujus oculos rex Babylonis proprios filios fecit occidi: deinde exoculatus fuit, & ductus in Babylonem: & ibidem miserabiliter mortuus.

Judith.13 Multas terras cepit, & destruxit Holofernes: tandem dormiens inebriatus, per manum mulieris decapitatus fuit.

Esth. 7. Superbissimus Aman, qui faciebat se ab hominibus adorari, suspensus est in patibulo, quod ipse paraverat Mardochæo.

Dan. 4.5 Balthasar rex Babylonis non est correctus per exemplum Nabuchodonosoris patris sui, qui ante eum fuerat mutatus in bestiam. Et in convivio vidit scripturam in pariete: Mane, Thecel, Phares. Eadémque nocte interfectus est: & regnum ejus ad Medos, & Persas translatum.

Dan. 6. Accusatores Danielis, jubente Dario rege Persarum, missi sunt in lacum leonum, & à leonibus devorati. Simile accidit Cap. 14.

1.Mach.1 Postquam Alexander decidit in lectum, dicitur: quòd cognovit, quia moreretur: quasi antea mortis memoriam, seu notitiam non haberet.

1.Mach.9. Percussus fuit Alcimus proditor, & dissolutus est paralysi, nec ultra potuit loqui, & mandare de domo sua: & mortuus est cum tormento magno.

Con-

Contristatus rex Antiochus de hoc, quòd Andronicus injustè occiderat Oniam, summum Sacerdotem: occidi in eodem loco jussit Andronicum, in quo nimiam impietatem commiserat. 2.Mach.4

Multis sacrilegiis à Lysimacho commissis in templo, congregata est multitudo adversus eum: & ipsum secùs ærarium interfecerunt. Eodem.

Jason impius, qui fratrem proprium captivaverat, & multos de patria sua expulerat, peregre periit: & insepultus, & illamentatus abjectus fuit. 2.Mach.5.

Antiochus, qui multorum torserat viscera: passus durum dolorem viscerum, mirabili obitu in montibus vitâ defunctus est. 2.Mach.9.

Menelaus, qui malitiosè obtinuit modico tempore Principatum, de alta turri fuit præcipitatus in aggestum cineris. 2.Mac.13

Homo ille dives, cujus ager uberes fructus attulit, cùm cogitaret, destruere horrea sua, & facere majora, plus credebat habere de vita; ait autem illi Dominus: Stulte, hac nocte peribis. Luc. 12.

Terribile est valde illud exemplum de divite famoso, Epulone, qui mortuus est, & sepultus, atque in infernum delatus. Luc. 16.

Ananias, & uxor ejus Saphira, qui fraudaverunt de pretio agri venditi, ad increpationem Petri terribiliter expirârunt. Actor. 5.

Herodes sedens pro tribunali, & vestitus veste regali concionabatur ad populum. Populus autem acclamabat: DEI voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini: eò quòd non dedisset honorem DEO, & consumptus à vermibus expiravit. Act. 12.

* TITULUS CV.

Mortificatio.

MAgna opus fuit mortificatione, ut Abraham primò exiret de terra sua: deinde, ut im- Gen. 12. & 22.

molaret chariſſimum, quod in mundo habebat, nempe unigenitum ſuum filium.

Gen. 4. Dum Cain à paſſione invidiæ eſſet occupatus, ait Dominus ad eum: ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.

Num. 6. Nazaræi abſtinebant à vino, & omni eo, quod inebriare poteſt, per totam vitam.

2. Reg. 23 David vehementer ſitiens deſiderat aquam ex ciſterna Bethlehem. Sed poſtquam hæc fuit allata, effudit eam in terram, & libavit eam Domino.

Gen. 28. Jacob tulit de lapidibus, & ſupponens capiti ſuo dormivit. Sic ſe mortificans vidit myſterioſam illam ſcalam: & ipſum Dominum innixum ſcalæ.

Judith. 4. Omnis populus humiliaverunt animas ſuas in jejuniis, & orationibus, ipſi, & mulieres eorum. Et induerunt ſe Sacerdotes ciliciis: & erat cinis ſuper capita eorum.

Judit. 8. 6 Judith, licèt innocentis vitæ, habebat ſuper lumbos ſuos cilicium: & jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sabbata, & feſta domûs Iſraël.

Eſth. 4. Cùm promulgatum fuiſſet crudele edictum Aman contra Judæos: Mardochæus indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti: in omnibus quoque Provinciis, oppidis, ac locis planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, & fletus: ſaccô, & cinere multis pro ſtrato utentibus.

Pſ. 34. 13. Quàm auſteram vitam duxerit David, indicat his verbis: Ego autem induebar ciliciô, humiliabam in jejunio animam meam. Item: anticipaverunt vigilias oculi mei. Item: cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.

Pſ. 76. 5.

Pſ. 101. 10

Job. 42. 6. Job, licèt nullius gravis culpæ conſcius, de ſe teſtatur: ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.

Chriſtus Dominus continuam mortificationem in omnibus, paupertatem, rerum omnium penuriam,

riam, auſteram vitæ rationem pro ſe elegit: nunquam legitur riſiſſe, aut aliqua recreatione fruitus fuiſſe.

Innocentiſſimus Joannes Baptiſta, auſteriſſimam in deſerto vitam duxit usque ad trigeſimum ætatis annum: habebat veſtimentum de pilis camelorum: eſca autem ejus erat locuſtæ, & mel ſylveſtre. Matth. 3.

Quàm mortificatus fuerit Paulus, ex ejus teſtimonio colligitur; ait enim: caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne fortè, cùm aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar. Item: ſemper mortificationem JESU in corpore noſtro circumferentes, ut & vita JESU manifeſtetur in corporibus noſtris. Item: mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Teſtatur item: quòd fuerit in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate. 1. Cor. 9. 27. 2. Cor. 4. 10. Gal. 6. 14. 2. Cor. 11 27.

Dives Epulo, qui induebatur purpurâ, & byſſô, & epulabatur quotidie ſplendidè; conſequenter ab omni mortificatione alienam vitam duxerat, ſepultus eſt in inferno. Luc. 16.

TITULUS CVI.

Mulierum aviditas.

PRima mulier vidit lignum pulchrum, & delectabile, & ſtatim ſequitur: quòd ſinè deliberatione tulit de fructu illius, & comedit. Gen. 3.

Sara, licèt eſſe bona, tamen ità deſiderabat habere filios, quòd priùs voluit habere de ancilla filium, inquiens: Ingredere ad ancillam meam, &c. Gen. 16.

Interrogata Rebecca, an vellet ire cum famulo Abrahæ, continuò reſpondit: Vadam. Non dixit: volo ire, ſi placet vobis, vel hujusmodi. Gen. 24.

Filiæ Loth potiùs voluerunt de patre liberos ſuſcipere, quàm ſine liberis permanere. Gen. 19.

Gen. 30. Cernens Rachel, quòd infœcunda esset: invidit sorori, & ait marito suo: da mihi liberos, alioquin moriar.

Gen. 34. Dina cupiens videre mulieres regionis illius, visa fuit à quodam viro, Sichem videlicet: & tandem oppressa ab eo. Quid ergo de illis, quæ volunt videre viros, & videri ab eis? Non est mirum, &c.

Gen. 39. Domina, cui serviebat Joseph, non expectabat, quòd sollicitaretur ab eo: sed ipsum nimis procaciter requisivit.

Josue 15. Axa, filia Caleph, obtinuit à patre terram irriguam: quia scilicet eam instanter suspirando petivit.

Judic. 14. Tantùm institit uxor Samson apud eum, quòd ipse dixit ei propositionem obscuram, quam parentibus noluerat indicare. At illa statim revelavit amicis suis, quamquam esset in damnum viri sui.

Judic. 16. Dalila per importunitatem evicit: ut Samson diceret, in quo ejus fortitudo maxima consistebat.

1. Reg. 1. Anna mater Samuelis præ desiderio habendi liberos flebat: & non capiebat cibos.

3. Reg. 3. Multùm desiderabat habere filium illa, quæ rapuit alienum.

3. Reg. 21 Ità concupivit Jezabel vineam Naboth tradere viro suo: quòd producens falsos testes, procuravit, & fecit Naboth crudeliter lapidari.

4. Reg. 4 Cùm vellet ire Sunamitis ad Elisæum, & vir ejus non plenariè consentiret, respondit illa: Vadam. Statimque stravit illa asinam, & præcepit puero in via: Propera, ne mihi moram facias in eundo, & hoc age, quod præcipio tibi.

4. Reg. 11. Athalia mater Ozochiæ regis concupiscens regnare super terram, interfecit omne semen regium, exceptô Joas infantulô, qui furtim absconditus fuit.

Tob. 10. Anna uxor Tobiæ circumspiciebat quotidie, & cir-

circuibat vias, per quas ſpes redeundi videbatur, ut ſi poſſet procul videre filium venientem.

Eſther non fuit contenta ex eo, quòd rex dederat ei domum Aman: & quòd occiderat in ſola civitate Suſis quingentos viros: ſed etiam in craſtino fecit trecentos occidi. Eſth. 9.

Mulier Chananæa ſanitatem filiæ obtinuit precibus importunis. Matth. 15.

Mater filiorum Zebedæi non expectavit, quòd Dominus remuneraret filios ſecundùm excellentiam meritorum: ſed petiit ante tempus unum poni ad dexteram Domini in regno ſuo, & alium ad ſiniſtram. Matth. 20.

Puella nomine Rhode intelligens Petrum pulſare ad januam, præ gaudio non aperuit: ſed dimittens illum, foras cucurrit, & intro ſtantibus nuntiavit. Act. 12.

Herodias inſidiabatur Joanni Baptiſtæ, tantóque odio inſidiabatur ei: quòd magis elegit filiam petere caput ipſius, quàm dimidiam partem regni Herodis. Matth. 4.

Ponit Dominus exemplum viduæ, quæ ita fuit moleſta judici, DEUM etiam non timenti: ut tandem ipſam à ſuo adverſario vindicaverit. Luc. 19.

TITULUS CVII.

Mulierum fallacia.

OCcaſione Evæ deceptus eſt Adam, licèt non fuerit ſeductus in eo, in quo Eva fuit ſeducta: ſed cùm de ligno vetito, Eva ſuadente, comedit. Gen. 3.

Sara riſit, audita promiſſione de conceptione filii: Redargutâ autem à Domino ejus diffidentiâ, ſeipſam mendaciter excuſavit. Gen. 18.

Duæ filiæ Loth volentes ex patre ſuo concipere, cùm verbis eum fortaſſis ad hoc inducere non Gen. 19.

auderent, mediante vino propositum peregerunt. Bene ergo alium hominem decepissent: quando nec patri proprio pepercerunt.

Gen. 31. Rachel patrem proprium, quærentem idola sua, pulchra adinventione delusit.

Gen. 39. Domina Joseph ipsum apud virum suum nequiter accusavit: ut se ipsam mendaciter excusaret; & deinceps apud virum suum de ipso Joseph se impiissimè vindicavit.

Exod. 1. Obstetrices Hebræorum, licèt piam intentionem habuerint in reservatione puerorum: tamen Pharaonem regem Ægypti adinventione mendacii fefellerunt.

Num. 25. Mulieres Moabitæ filios Israël deceperunt, contra quos Balaam Arïolus cum omnibus magicis artibus suis nihil potuerat operari.

Josue 2. Rachab meretrix abscondit exploratores Josue, & eos, qui quærebant eos, fecit currere usque ad vada Jordanis, dicens: quòd exierint clausâ portâ.

Judic. 4. Egressa Jahel in occursum Siseræ, dixit ad eum: Intra ad me domine mi, ne timeas. Et postremò illum dormientem occidit.

Judic. 14. Uxor Samsonis fundens apud eum lachrymas, dicebat: Odisti me, idcirco problema non vis mihi exponere: tamen illi in damnum proprium revelavit.

Judic. 16. Dalila molesta fuit Samsoni jugiter per multos dies, spatium ad quietem non tribuens: & defecit anima ejus, ad mortem usque lassata est. Tunc victus fortissimus Samson stultè aperuit ei totum.

1. Reg. 19. Michol intelligens, quòd Saul pater suus quæreret David virum suum ad mortem, fecit eum fugere: & posuit simulacrum super lectum ejus.

2. Reg. 17 Viri, qui nunciare debebant David statum Absalon, fuerunt positi in puteo: & mulier quædam ponens velamen super os putei, quasi siccans ptisanas, ipsos recessisse mentita est. Fe-

Fefellit Holofernem Judith, à facie cujus terra tremere videbatur, quamvis optima intentione. Judit. 10.

Herodes metuebat Joannem Baptistam, sciens eum virum justum. Et tamen Herodias in tantum laboravit: quòd fecit eum in carcere decollari. Marc. 14.

Saphira uxor, & Ananias mentiti sunt Petro de agri pretio. Sed illud mendacium fuit per Petrum gravissimè punitum. Actor. 5.

TITULUS CVIII.

Mulierum fides.

COmmendat Apostolus fidem Rahab, quæ non periit cum eis, qui non obedierant, cùm excepisset hospitiò exploratores pacificè. Hebr. 11. Josue 2.

Ruth adhæsit socrui suæ Noëmi dicens: Populus tuus, & DEUS tuus meus. Unde Booz postea dixit ei: Reddat tibi Dominus plenam mercedem, ad quam venisti, & sub cujus confugisti alas. Ruth. 1. 2.

Mulier vidua Sareptana credidit verbis Eliæ Prophetæ, licèt rem satis difficilem illi faciendam juberet. 3. Reg. 17.

Mundi creationem, & corporum resurrectionem optimè confitebatur mirabilis illa mater: quæ septem fratres filios torqueri uno die vidit, & ipsos ad moriendum pro DEI legibus fortiter animavit. 2. Mac. 7.

Circa mysterium dominicæ incarnationis fuerunt mulieres ad credendum promptiores, quàm viri. Nam Zacharias pater Joannis Baptistæ incredulitatis fuit ab Angelo redargutus: pro eo, quòd non credidisti verbis meis, &c. Elisabeth autem non reprehensibilis, sed commendabilis legitur extitisse, quæ statim in adventu Beatæ Virginis exclamavit: Benedicta tu, &c. Luc. 1.

Similiter commendatur Beata Virgo, quæ credidit Angelo dicenti sibi: quòd conciperet de Spiritu Sancto. Eodem.

Luc. 2. Item Anna vidua Prophetissa loquebatur de puero nato omnibus: qui expectabant redemptionem Israël.

Luc. 7. Mariæ Magdalenæ dixit Dominus: Fides tua te salvam fecit, vade in pace.

Matth. 9. Luc. 8. Tantam fidem habebat ad Dominum mulier hæmorrhoissa: quòd sufficiebat ei, ut tantummodo tangeret fimbriam vestimenti ejus. Ideo meruit audire verbum dulce: Confide filia, fides tua te salvam fecit.

Matt. 15. Nec longa expectatione, nec dura responsione destitit clamare ad Dominum mulier Chananæa. Idcirco tandem audivit: O mulier! magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis.

Joan. 4. Mulier Samaritana plenè confessa est, dicens: Quia Messias venit, qui dicitur Christus. Et postea multi Samaritanorum crediderunt in Dominum, propter verbum mulieris illius.

Joan. 11. Confessio fidei Marthæ, quæ dixit: Ego credidi, quia tu es Christus filius DEI vivi, qui in hunc mundum venisti, satis similis fuit confessioni Petri.

Matth. 16. Marc. 16. Matt. 28. De resurrectione Domini legimus multos viros dubitâsse, & Dominum JESUM illorum incredulitatem, & cordis duritiam exprobrâsse, de mulieribus autem nihil tale legitur. Sed resurgens Dominus primò apparuit mulieri, scilicet Magdalenæ: & illa currens discipulis lugentibus nunciavit.

Act. 16. Quædam mulier, nomine Lydia purpuraria, audivit prædicationem Pauli, cujus Dominus aperuit cor, & baptizata est, & domus ejus.

TITULUS CIX.

Mulierum fortitudo.

Judic. 4. BArach filius Abinoam noluit ducere exercitum contra Sisaram, nisi Debora uxor Lapidoth iret

iret cum eo, quæ dixit: Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi: quia in manu fœminæ tradetur Siſara.

Dixit Booz ad Ruth, quæ reliquerat patriam, & Deos ſuos: Scit communis populus, qui habitat inter portas urbis, mulierem te eſſe virtutis. Ruth. 3.

Viriliter ſalvavit David virum ſuum Michol: cùm quæreretur ad mortem à Saule patre ſuo. 1.Reg. 19

Cùm vidiſſet Abigail, virum ſum Nabal durè reſpondiſſe nunciis David, feſtinavit, & tulit diverſa xenia, & David iratum placavit. 1.Reg. 25

Gravem contumeliam, ab ancilla prolatam, valde patienter tulit Sara filia Raguelis; nec ei quid reſpondit: ſed ad orationem ſe convertit. Tob. 3.

Eſther regina expoſuit ſe periculo moriendi pro liberatione populi ſui, quando non vocata ad regem ire præſumpſit. Eſther. 5.

Supra modum mater mirabilis, quæ pereuntes ſeptem filios ſub unius diei tempore conſpiciens, bonô animô ferebat; & fœmineæ cogitationi maſculinum animum inſerebat. 2.Mach. 7.

Fortiſſima fuit Beata Virgo MARIA in continendo gaudium, quod habuit de Filii Conceptione, Nativitate, Magorum adoratione, & ipſius educatione, prædicatione, miraculorum operatione, Reſurrectione. Rurſum ſuſtinendo dolorem, quem paſſa fuit in ipſius filii paſſione.

Valde fuit mirabilis audacia Mariæ Magdalenæ, quæ paſſioni Domini affuit, & toties ad ſepulchrum Domini venit: recedentibus etiam diſcipulis dilectiſſimis, non recedebat, ſed ſtans ibidem plorabat. Ipſam etiam nimis audacem faciebat amor, cùm dicebat: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi. Joan. 20.

TITULUS CX.

Mulierum pietas, & compassio.

Gen. 24. REbecca videns servum Abrahæ, hominem peregrinum, & bibere petentem, sine mora respondit: Bibe Domine mi, quin, & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.

Exod. 1. Timuerunt obstetrices DEUM: & non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares.

Exod. 2. Cernens filia Pharaonis vagientem puerum, misserta est ejus, & ait: De infantibus Hebræorum est hic: & faciens eum nutriri, in filium adoptavit.

Jos. 2. Rahab meretrix audiens, exploratores Josue ad mortem quæri, compassa est eis: & ipsos abscondens liberavit, & sanos remisit.

2. Reg. 17 Nuntii, euntes ad David, absconditi fuerunt in puteo, & salvati per mulierem, quæ posuit velamen super os putei, & eos, qui quærebant, delusit.

3. Reg. 3. Duarum mulierum, coram Salomone contendentium, illa pium cor habuit, quæ liti cedere voluit, cujus viscera super filium commota fuerunt.

3. Reg. 17. Vidua mulier Sareptana fuit hospita Eliæ Prophetæ, & hic apud illam sustentabatur.

4. Reg. 4. Mulier Sunamitis induxit virum suum ad hoc, ut fieret in domo sua Elisæo locus aptus ad manendum.

4. Reg. 11 Cùm occideret Athalia omne semen regium, Josaba filia regis Joram tulit Joas unum de filiis regis, & abscondens salvavit eum.

Esth. 5. Compatiens populo, morti addicto, Esther magno se exposuit periculo, & apud Assverum Judæorum liberationem, & sublimationem obtinuit.

Joan. 2. Pietas Beatæ Virginis MARIÆ multùm apparet in hoc: quòd ad pauperes nuptias ire voluit, & defi-

deficiente vino non requisita ab aliquo, sed sponte verecundorum paupertum advocata, dixit filio: Vinum non habent. Per hoc etiam potest innui largitas ejus magna, quia cùm à Magis aurum, thus, & myrrham, quæ obtulerant, recepisset, paulò pòst in Purificatione sua non potuit habere agnum, quem offerret. Supponendum ergo est: quòd illa munera pauperibus erogaverat. Matth. 2. Luc. 2.

Ambulans per mundum Salvator mundi in domo Marthæ, & Mariæ specialius hospitium legitur habuisse. Joan. 12.

Mulier illa Chananæa miseriam filiæ suæ propriam reputabat, dicens: Miserere mei Domine fili David, filia mea malè à dæmone vexatur. Matth. 15.

Mulieres ministraverunt Domino prædicanti, & per castella, & civitates eunti. Luc. 8.

Astiterunt patienti, & sequebantur, dum ad crucem duceretur, ab Apostolis derelictum. Luc. 23. Joan. 19.

Item studiosè obsequi voluerunt ei in sepulchro jacenti. Matth. 28. Luc. 23. & 24. Marc. 16. Joan. 20.

Prætulit Dominus duo æra minuta pauperculæ viduæ, quæ misit in Gazophylacium cum muneribus divitum. Quia scilicet illa de eo, quod deerat, ei dederat: & quia plus ponderat Dominus mentis pietatem, quàm muneris quantitatem. Luc. 21.

Blasphemantibus miracula Domini scribis, & Phariszis, mulier quædam devotè audiens verba ejus, extulit vocem, dicens: Beatus venter, qui te portavit. Luc. 11.

Uxor Pilati magis conata fuit impedire dominicam passionem, & injustam affectionem ipsius, quàm aliquis homo, de quo scriptura testatur. Matth. 27.

Innuit Apostolus Corinthiis, quòd aliqui Apostoli prætendebant mulieres sorores circumducere, eis scilicet necessaria ministrantes. 1. Cor. 9.

Propter opera pietatis, & eleemosynas, quas Thabita viduis faciebat, rogaverunt flentes Petrum, Act. 9.

ut

ut ad defunctam veniret. Et motus lachrymis eorum Petrus ponens genua, oravit: & eam ſuſcitavit.

Act. 12. Exiens de carcere Herodis Petrus, veniens ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatur Marcus, ubi erant multi congregati orantes. Per hoc patet: piam fuiſſe, & bonam mulierem, & hoſpitam diſcipulorum Domini.

Act. 16. Quædam mulier purpuraria, nomine Lydia, credens ad prædicationem Pauli, & baptizata cum domo ſua deprecata eſt, dicens: Si judicâſtis me fidelem Domino meo eſſe, intrate domum meam, & manete: & coëgit nos, ait Lucas. Ubi etiam ſatis innuit: quòd mulieres promptè & devotè audiunt Verbum DEI.

TITULUS CXI.

Mulierum ſapientia.

Gen. 21. SAra prudenter intellexit, ludum in Iſaac, & Iſmaële non eſſe bonum: & voluit Dominus, ut Abraham acquieſceret illius voluntati.

Gen. 27. Rebecca fuit valde argumentoſa ad procurandum: quòd Jacob benedictionem à patre, quæ debebatur Primogenito, obtineret: & poſtea fecit eum cautè iram Eſau declinare.

Joſue 2. Rahab meretrix diſcretè exploratores abſcondit: & per hoc ſe, & totam domum ſuam integraliter liberavit.

Judic. 4. Debora, uxor Lapidoth, judicavit populum, & docuit Barach filium Abinoam, quid facturus eſſet, ut populum DEI de manu Siſaræ liberaret.

Ruth. 2. Sollicita fuit Noëmi, & aſtuta ad modum inveniendum, quo Ruth alienigena nurus ſua nubere poſſet Booz inclyto, & potenti.

1. Reg. 1. Mater Samuelis Anna diſcretè ſe excuſavit ab eo, quod Heli Sacerdos ei impoſuit: quando filium à Domino poſtulavit.

Per

Per sapientiam, & eloquentiam suam, & liberalitatem satis modicam Abigail viro suo Nabal vitam servavit: & David ab homicidio impedivit. 1.Reg.25.

Sapiens mulier Thecuitis induxit David ad hoc: quòd filium suum Absalon exulem revocaret. 2.Reg. 14

Obsidente Joab civitatem Abelam, mulier sapiens taliter locuta est ei, & populo civitatis: quòd ille cum totius patriæ utilitate ab obsidione recessit. 2.Reg. 20

Bethsabea mater Salomonis sapienter verbum proposuit coram rege David: ut filius Salomon post illum regnare deberet. 3.Reg.1.

Duarum mulierum coram Salomone contendentium illa prudenter, & piè respondit, quæ dixit: Obsecro te Domine, date illi infantem vivum. 3.Reg.3.

Magna sapientia fuit in regina Saba: quòd ipsa venit audire sapientiam Salomonis. 3.Reg.10.

Mulier Sunamitis hospita Elisæi prudenter adhæsit ei: nec voluit eum dimittere propter Giezi, donec ejus filium suscitâsset. 4.Reg.4.

Holda Prophetes, Uxor Sellum, Josiam regem confortavit, & populo mala ventura propter eorum peccata prædixit. 4.Reg.22.

Sara filia Raguelis discretè, & devotè oravit Dominum, ut liberaret eam de improperio, quod audierat ab ancilla. Tob. 3.

Miram prudentiam, & constantiam ostendit Judith alloquendo populum, & decipiendo Holofernem tam potentem tyrannum. Judit. ab 8. usq; ad fin.

Esther cum magna cautela fecit petitionem suam: postquam regem ad prandium invitaverat, & ille vinô incaluerat. Esth. 7.

Elizabeth mater Joannis Baptistæ discretè cognovit adventum Beatæ Virginis: & ipsam matrem Domini nominavit. Luc. 1.

Tam tacendo, quàm loquendo patet: Beatam Virginem MARIAM mirabiliter fuisse prudentem. Tacendo quidem, quia pauca verba dixisse inveni- Eodem.

venitur. Locuta est cum Angelo; discretè quærendo, & discretius acquiescendo. Quomodo fiet istud. Item: Ecce Ancilla Domini. Item cum Sancta Elisabeth ipsam salutando. Et nota: quòd post laudes magnas, quas Elisabeth illi dixit, nihil ei directè respondit: sed ad laudandum Dominum se convertit, dicens: Magnificat anima mea Dominum, &c.

Luc. 2. Joan. 2. Item locuta fuit cum filio, ipsum dulciter interrogando: Fili, quid fecisti nobis sic? &c. Et pro verecundis pauperibus: Vinum non habent, ait.

Luc. 7. Joan. 11. Maria Magdalena valde prudenter agebat in eo: quòd ad pedes Domini se ponebat. Ad pedes enim Domini impetravit veniam pro se: vitam pro fratre: audiebat divinam sapientiam. Luc. 10.

Matth. 27. Et exhibuit Christo devotam reverentiam.

Matth. 27. Uxor Pilati, dum locuta est ei, & si Pilatus credidisset, prudenter egisset.

TITULUS CXII.

Mulierum stultiloquium.

Gen. 3. EVa priùs legitur locuta fuisse cum serpente, quàm cum DEO adorando: vel cum viro suo ad aliquam eruditionem percipiendam.

Gen. 18. Promittente Domino, quòd Sara esset filium paritura, & primò illa risisset præ diffidentia, negavit postea se risisse.

Gen. 30. Cernens Rachel, quòd infœcunda esset, ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar. Quasi esset in ipsius Jacob potestate, de sterili fœcundam facere.

Judic. 14. Uxor Samsonis, statim ut scivit propositionem obscuram viri sui, indicavit civibus suis in damnum mariti sui.

Judic. 16. Cùm vidisset Dalila, quòd Samson confessus esset ei omnem animum suum, quodammodo forti-

tu-

tudinem amittere posset, inimicos illius vocavit: & statim eis revelavit.

Quia David præ magna devotione saltaverat coram arca Domini, Michol filia Saul ironicè dixit ei: O quàm glorioſus fuit hodie rex Iſraël! 2. Reg. 6.

Cùm dixisset Tobias de hœdo: Videte ne furtivus sit, Anna uxor ejus irata respondit: Manifestè vana facta est spes tua. Tob. 2.

Sara filia Raguelis increpantem ancillam justè, illa impatienter, & injuriosè respondit: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram. Tob. 3.

Cùm contenderent duæ mulieres meretrices coram Salomone, illa stultè, & nequiter locuta est, quæ dixit de infante: Nec mihi, nec tibi, sed dividatur. 3. Reg. 2.

Uxor Aman audiens querimoniam, quam vir faciebat de Mardochæo, respondit: Jube parari excelsam trabem, ut appendatur in ea. Esth. 5.

Sedente Job in sterquilinio, & saniem defluentem testâ radente, dixit ei uxor sua: Benedic Domino, & morere. Sed ille bene, & discretè respondit: Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Job. 2.

Petitio matris filiorum Zebedæi non fuit à Domino approbata, quando dixit: Dic, ut hi duo sedeant, unus à dextris, alter à sinistris. Matth. 20.

Ad vocem unius ancillæ, negavit Petrus Dominum. Matth. 26.

Multa verba, & simplicia dixit Domino mulier Samaritana: antequam impingeret in veritatem. Joan. 4.

TITULUS CXIII.

Munerum acceptatio.

ABraham noluit accipere munera, quæ obtulit ei rex Sodomorum: licèt ipse optimè meruisset; quando reversus fuit Abraham à cæde quatuor regum. Gen. 14

Mu-

Gen. 32. Munera misit Jacob offerri Esau fratri suo: ut compesceret iram ejus.

Exod. 36. Munera obtulerunt filii Israël ad opus tabernaculi Domini in tanta quantitate, quòd jussit Moyses clamari: ut nullus aliquid ulterius offerret.

Num. 22. Mercedem iniquitatis amavit Balaam, & ivit cum nunciis Balaac, qui divinationis pretium habebant in manibus.

Judic. 3. Aod obtulit munera Eglon regi Moab: & postea secreto loquens cum eo, percussit eum graviter, & occidit.

Judic. 16. Inimici Samson pecuniam Dalilæ promiserunt: & eam, ut illum deciperet, induxerunt.

1. Reg. 8. De filiis Samuel dicitur: Declinaverunt post avaritiam, acceperunt munera. Et statim sequitur: Perverterunt judicium.

1. Reg. 12 Non fuit impositum Samueli, qui viginti annis populum Israël judicaverat, quòd unquam munera ab aliquo accepisset.

2. Reg. 16. Xenia, quæ obtulit Siba puer Miphiboseth David, à facie Absalon fugienti, videntur inclinâsse animum ipsius David ad hoc, quòd contra absentem iniquum tulit judicium.

3. Reg. 10. Regina Saba dedit regi Salomoni centum viginti talenta auri, aromata multa, & gemmas pretiosas. Rex autem Salomon dedit ei omnia, quæ voluit, & quæ petivit ab illo; exceptis his, quæ ultro obtulerat ei munere regio.

2. Reg. ul. Arauna voluit offerre David aream, & omnia ad sacrificium necessaria: sed ille noluit gratis accipere, nec sacrificium de alieno offerre.

3. Reg. 15 Rex Syriæ Benadad fœdus habebat cum Baasa rege Israël: Sed propter munera, quæ misit ei Aza rex Juda, rupto fœdere cum Baasa graviter impugnavit eum.

4. Reg. 5. Naaman Syrus fuit animô gratô ab Elisæo curatus. Et tamen Giezi, quia ab eo accepit munera, fuit gravi plaga percussus.

Misit

Misit rex Babylonis litteras, & munera ad Ezechiam, & sequitur: Lætatus est autem Ezechias in adventu eorum. Sed nota ibi: quomodo displicuerit Domino. 4.Reg.20.

Achaz rex Juda, spoliata domo Domini, & domo regum, & principum, dedit regi Assyriorum munera: & tamen nihil ei profuit. 2.Par.28.

Statuerunt Judæi, in memoriam lætitiæ, quam habuerunt interfecto Aman, pessimo Judæorum inimico: ut pauperibus munuscula largirentur. Esth. 9.

Conquerendo loquitur Dominus per Isaiam dicens: Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Isa. 1.

Dedit magister militiæ regis Babylonis cibaria Jeremiæ, & munuscula: & dimisit eum. Jerem.40.

Postquam exposuerat regi Nabuchodonosor Daniel visionem: rex in sublime illum extulit, & munera magna, & multa dedit ei. Dan. 2.

Balthasar Babylonis rex promiserat magna donaria Danieli: qui respondens ait: Munera tua sint tibi, & doua domûs tuæ alteri da. Dan. 5.

Abiit Jonathas Ptolemaidam, & dedit Alexandro, & Ptolomæo regibus argentum multum, & aurum, & dona: & invenit gratiam in conspectu eorum. 1.Mac.10.

Videns Tryphon, Jonatham venisse ad eum cum exercitu multo, timuit eum, & cum honore accepit, & munera ei dedit: & hac occasione decepit eum. Nam remissis militibus, ipsum cum paucis retinuit, & occidit. 1.Mac.12.

Propter munera, quæ dedit, & promisit ambitiosus Jason regi Antiocho, obtinuit summum Sacerdotium. Cùm autem misisset pecuniam regi per Menelaum, ille supplantavit eum, & obtinuit principatum; quia suppossuit Jason talenta argenti trecenta. 2.Mach.4

Menelaus frater Lysimachi per pecuniam, quam promisit Antiocho, obtinuit summum Sacerdo- Ibidem.

tium. Deinde donavit Andronico quædam vasa aurea, de templo furtim accepta: & fecit Oniam occidi. Postmodum cùm accusaretur apud Ptolomæum regem, per pecunias, quas ei dare promisit, accusatores suos procuravit morte damnari.

2.Mac.14. Cupiens obtinere summum Sacerdotium Alcimus, Proditor impius, & detestator, obtulit Demetrio regi coronam auream, & quædam alia.

Matth.2. Obtulerunt Magi Domino pauperi aurum, thus, & myrrham.

Matth.28. Milites illi, qui debuerant custodire sepulchrum Domini, acceptâ à Judæis pecuniâ copiosâ, dixerunt: quòd discipuli ejus furati fuerant, illis dormientibus.

Luc. 2. Pauperculæ donum viduæ, quæ duo æra minuta misit in Gazophylacium, præfertur à Domino muneribus divitum.

Act. 8. Cùm vidisset Simon: quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus; obtulit eis pecuniam dicens: Date, & mihi hanc potestatem.

Act. 24. Felix Præses, qui tenebat Paulum vinctum à Judæis nequiter accusatum: sperabat, quòd pecunia daretur ei à Paulo. Propter quod frequenter eum accersens, loquebatur cum eo. Et quia verisimile est: eum non obtinuisse intentum, Paulum reliquit vinctum.

TITULUS CXIV.

Obedientia, & inobedientia.

Gen. 2. & 3. HOminem DEUS volens sub obedientia vivere, etiam in statu innocentiæ: statim ut conditus est, ipsum præceptis astrinxit: & eum contra obedientiam viventem severè punivit.

Gen. 7. Promptè obedivit Noë Domino in omnibus, quæ ei facienda præcepit tempore instantis diluvii.

Præ-

Præceptum DEI de circumcisione, quamvis esset grave, & insolitum: non distulit Abraham implere usque in crastinum. Gen. 17.

Præceptum Abraham de immolatione filii sinè mora exequi voluit. Ecce considera mirabilem ejus obedientiam. Gen. 22.

Promptè obedivit Joseph patri ad fratres eum mittenti: quamvis prius eos accusâsset, ob quod meritò timere debuerat. Gen. 37.

Obedivit Moyses Domino imponenti ducatum populi. Sed attende cum quanta difficultate; quinquies enim excusat se. Exod. 3. 4.

Magnam obedientiam promiserunt filii Israël dicentes: Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Sed pòst operibus contrarium fecerunt. Exod. 24.

Filii Israël per desertum ambulantes, ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium ejus deponebant. Num. 9.

Item filii Israël ad terram promissionis juxtà mandatum Domini timuerunt ascendere: sed postea Domino prohibente ascendere conati sunt; sed malè successit eis. Num. 14.

Euntes ad bellum contra mandatum Domini, & Moysis, multi victi à paucis. Cùm autem ex obedientia pugnaverunt, pauci vicerunt. Num. 14. & 31.

Quia transgressus est Achan mandatum Josue, populus in prælio fuit superatus: & ipse postea à populo lapidatus. Josue 7.

Saul offerens holocaustum contra mandatum Samuelis, reprobatus est. Similiter quia pepercit Agag regi Amalech, & gregibus ovium, & cæteris rebus pretiosis. Et tunc dixit ei Samuel: Melior est obedientia, quàm victimæ. 1. Reg. 13. 1. Reg. 15.

David licet per Samuelem esset unctus in regem, tamen obediebat patri mittenti eum, ut portaret victualia fratribus, quibus tunc fuerat præelectus. 1. Reg. 17.

Prædixit Dominus Salomoni: quòd si faceret omnia, 3. Reg. 9.

mnia, quæ præceperat ei, poneret thronum regni ejus in Jerusalem in sempiternum: si autem
2. Par. 7. averteretur, & non custodiret ejus mandata: auferret Israël de superficie terræ.
3. Reg. 20. Obedientia etiam interdum commendatur in iis, quæ videntur sinè ratione mandari. Unde percussus est à leone ille, qui noluit percutere quendam de filiis Prophetarum.
3. Reg. 13. Vir DEI, qui prædixit Jeroboam destructionem altaris sui, à leone occisus fuit: quia contra præceptum Domini in domo alterius Prophetæ comedit.
4. Reg. 5. Cùm ad mandatum Elisæi Naaman indignatus abiret, dixerunt ei servi sui: Pater, etiamsi rem grandem dixisset Propheta, certè facere debueras.
Tob. 5. Tobias junior, auditis exhortationibus patris, respondit, & dixit: Omnia, quæcunque præcepisti mihi, faciam pater.
Esth. 2. Quicquid præcipiebat Mardochæus, observabat Esther: & ità cuncta faciebat, ùt eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat.
Jerem. 35 Commendantur à Domino Rechabitæ pro eo, quòd noluerunt vinum bibere, præcepto patris obedientes, dicentis: Non bibetis vinum.
Jonæ 1. & 3. Jonas insipienter refugiebat obedire Domino præcipienti: ut iret ad prædicandum in Ninive; sed refugiendo devenit, quo Dominus miserat.
1. Mach. 2. Matathias dixit nuntio regis Antiochi: Etsi omnes obediunt regi, ego, & filii mei obediemus legi patrum nostrorum.
2. Mach. 7. Dixit unus illorum septem fratrum: Parati sumus mori magis, quàm patrias DEI leges prævaricari.
Luc. 2. Descendebat puer JESUS cum MARIA, & Joseph in Jerusalem, & erat subditus illis.
Matth. 4. Citò, & perfectè obedierunt illi Apostoli, qui à Domino vocati, continuò relictis omnibus secuti
Luc. 5. sunt eum. Similiter & Matthæus relictis omnibus secutus est eum

De

De obedientibus verbô, & non factô, seu factô plus quàm verbô, proponit Dominus exemplum duorum filiorum, quorum unus dixit: se iturum in vineam patris, & operaturum, & non ivit; alius negavit, & ivit. Matt. 21.

Etiam malis Prælatis obediendum esse, præcepit Dominus: Super cathedram Moysi sederunt &c. omnia, quæcunque jusserint facere, facite. Matt. 23.

Salvator noster, legis Dominus, legi voluit obedire in circumcisione, & oblatione facta in templo, & etiam in esu agni Paschalis. Luc. 2. & 22.

Exemplum obedientiæ proponit nobis Apostolus in Salvatore nostro, dicens: Factus est obediens usque ad mortem. Ubi etiam insinuat obedientiæ fructum; sequitur enim: Propter quod exaltavit DEUS illum, &c. Philip. 2.

Principes Sacerdotum comminati sunt Petro, & Joanni: ne ultra loquerentur in nomine JESU. Qui responderunt eis: Si justum est, vos potius audire, quàm Dominum, judicate. Non enim possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui. Act. 4.

Deinde: cùm arguerentur Apostoli à Principibus Sacerdotum: quia non servâssent eorum mandatum: responderunt Petrus, & alii Apostoli: Obedire oportet DEO magis, quàm hominibus. Act. 5.

Saulus in terram prostratus, audiens verba JESU Nazareni, promptè ait: Domine, quid me vis facere? Act. 9.

Cornelius dixit beato Petro: Omnes nos in conspectu tuo adsumus parati audire omnia, quæcunque tibi præcepta sunt à Domino. Act. 10.

Paulus, electo sibi Sila in socium, perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, & præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum. Actor. 15.

TITULUS CXV.

Obſtinatio, & duritia cordis.

Gen. 4. CAin poſt increpationem, quam fecit Dominus, pejor fuit: & fratricidium perpetravit.

Ex. 5 usq; ad 10. c. Cor Pharaonis non blandimenta, quæ primò dixit Moyſes ex parte Domini, nec per dura flagella potuit emolliri.

Exod. 32. Filii Iſraël dicuntur à Domino populus duræ cervicis: ùt patet etiam Levit. pluribus locis.

1. Reg. 2. Heli ſermonibus ſuis filios corripuit: ſed nihil eis profuit.

1. Reg. 8. Samuel prædixit populo conditiones regis eorum valde graves, & quòd hoc diſplicebat Domino: & tamen noluerunt deſiſtere ab incepto.

1. Reg. 18. Non per verba Jonathæ, nec per beneficia à David recepta, cor Saul ad diligendum ipſum David potuit provocari.

1. Reg. 25. De Nadab dicitur: quòd erat durus, peſſimus, & malitioſus.

2. Reg. 2. Obſtinatè nimis Aſahel perſequebatur Abner.

2. Par. 24. Mittebat Dominus viris Juda Prophetas, ut reverterentur ad eum, quòd illi audire nolebant. Imò, & Zachariam filium Jojadæ, increpantem eos, crudeliter occiderunt.

2. Par. 30. Ezechias rex Juda miſit nuncios in univerſum Iſraël, dicentes: Nolite indurare cervices, ſicut patres veſtri, &c. Sequitur: quòd illi irridebant, & ſubſannabant eos.

Luc. 22. Joan. 18. Duriſſima fuerunt corda illorum, qui venerunt ad comprehendendum Dominum: quos cùm ad terram proſtraviſſet ſolo verbo, & auriculam unius ſanâſſet, non fuerunt moti ad miſericordiam vel ex miraculi manifeſtatione, vel ex beneficii pietate.

Act. 6. Beatus Stephanus, Judæos ardenter increpans, ait: Dura cervice, & incircumciſi corde, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.

TITU-

TITULUS CXVI.

Oculorum custodia.

PRima mulier, viso ligni vetiti fructu pulchro, tulit de illo, & comedit. Gen. 3.

Pulchritudo visa mulierum fuit occasio multorum malorum; videntes enim filii DEI filias hominum, quòd essent pulchræ, &c. Gen. 6.

Ex eo quòd Cham filius Noë vidit verenda patris: & ipsum nudatum esse, fratribus nunciavit, maledictionem patris incurrit. Gen. 9.

Abraham dixit uxori suæ Sarai: Novi, quòd pulchra sis mulier, & cùm viderent te Ægyptii, interficient me, & te reservabunt. Gen. 12.

Volens videre regionis mulieres Dina, ipsa visa, & corrupta fuit. Gen. 34.

Judas vidit Thamar in bivio, & cum ea peccavit. Gen. 38.

Domina, cui serviebat Joseph, oculos in eum injecit. Gen. 39.

Dixit Dominus ad Moysen: Contestare populum, ne forte velint transcendere terminos ad videndum Dominum, &c. Exod. 19.

Vidit David de solario suo mulierem lavantem se ex adverso, & tulit eam: & pòst virum illius dolosè fecit occidi. 2. Reg. 11

Cùm intrâsset Judith ante faciem Holofernis, captus est ille in oculis suis. Unde dicitur ejusdem cap. 16. Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus: pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus. Judit. 10.

Videbant duo senes Susannam quotidie ingredientem, & deambulantem: & exarserunt in concupiscentiam ejus. Dan. 13.

Quia filia Herodiadis saltando placuit Herodi, ipse ei stultè promisit, quod crudeliter implevit. Matt. 14. Marc. 6.

TITULUS CXVII.

Operatio bona.

Gen. 2. POsuit DEUS hominem in Paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum. In sudore vultûs tui vescéris pane tuo. Et pòst: emisit eum Dominus DEUS de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua natus est. Cap. 3. Et sic nota: quòd DEUS hominem voluit operari in statu innocentiæ, & post peccatum.

2.Reg.11. Tempore, quo solent reges ad bella procedere, David in domo sua remansit: & in illo otio adulterium cum proditione commisit.

3.Reg.6.7 Salomon ædificat domum DEI, & domum suam. Sed nota: quòd prius domum DEI, & licèt opus esset majus, tamen in minori tempore compleverit omnia.

2.Par. 24. Egerunt hi, qui operabantur, industriè, & suscitaverunt domum DEI in statum pristinum, & firmiter eam stare fecerunt.

2.Par. 31. Ezechias rex Juda operatus est bonum, & rectum, & verum coram Domino, volens requirere Dominum in toto corde suo. Fecítque, & prosperatus est.

1. Esd. 5. Annô secundô reditûs filiorum Juda de Babylone, cœperunt fundare templum: Josue verò filius Josedec, & fratres ejus instabant super eos, qui faciebant opus.

1. Esd. 6. Præcepit rex Darius: ut ædificaretur domus Domini in Jerusalem; & darentur sumptus de arca regis, ne impediretur opus.

1.Esd.& 2 per tot. Nota: quòd opera, quæ fecerunt filii transmigrationis in fundatione templi, & in ædificatione muri civitatis, multos habuerunt impeditores.

Jonæ 3. Vidit DEUS opera Ninivitarum: & misertus est eorum.

Matt. 20. Otiosi arguuntur, si operarii ad mercedem vocantur.

Ser-

Servus, qui accepit quinque talenta, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque, commendatus est à Domino. Similiter, & qui duo acceperat, & lucratus est alia duo. Alius autem, qui unum accepit, & non multiplicavit, & inutiliter reservavit, reprobatus fuit. Matt. 25.

Illi duo discipuli, qui secum manere Dominum coëgerunt, quamdiu fuerunt cum eo, in verbis non cognoverunt eum: sed in opere hospitalitatis, & fractione panis. Luc. 24.

Opus Mariæ Magdalenæ, quando unxit Dominum recumbentem, frementibus discipulis, ab ipso Domino approbatum est. Marc. 14.

Laudabilia opera patrum à filiis imitanda esse ostendit, dicens: Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Joan. 8.

Opera bona comparat Apostolus semini, de quo satis modicum jacit, & multum metit. Qui parcè seminat, parcè & metet. 2. Cor. 9.

Graviter reprehendit Paulus Thessalonicenses otiosos, licèt ipsos aliàs commendaret. Qui non vult operari, non manducet. 2. Thess. 3.

Tabitha erat Christi discipula, plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat. Ideo ipsâ mortuâ, multi fuerunt moti ad rogandum Petrum pro ea, qui suscitavit eam. Actor. 9.

In omni gente, qui timet Dominum, & operatur justitiam, acceptus est illi. Act. 10.

Apud Corinthios manebat Paulus cum Aquila, & Priscilla: quia ejusdem artis erat, & operabatur. Actor. 18.

TITULUS CXVIII.

Oppressio bonorum per malos.

CAin nequam, & invidus prævaluit adversùs Abel justum, & occidit eum. Gen. 4.

Sodomitæ animam Loth multipliciter afflixerunt. Gen. 19.

Gen. 27. 28. Oderat semper Esau Jacob, dixitque in corde suo: Venient dies luctûs patris mei, & occidam fratrem meum. Unde, & compulsus est Jacob fugere ad Laban, avunculum suum.

Exod. 1. Oderant filios Israël Ægyptii, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum.

Judic. 9. Abimelech ambiens Principatum, vel regnum, occidit 70. fratres suos.

1. Reg. 18. Saul diu persecutus est David: qui tamen fideliter, & utiliter serviebat.

2. Reg. 15 Absalon in tantum commovit populum adversùs David, quòd compulsus est exire Jerusalem, licèt citò fuerit revocatus.

3. Reg. 19 Impiissima Jezabel minata, & conata est: quòd occideret hominem DEI Eliam, ità quòd ille timens abiit, quocunque eum ferebat voluntas.

4. Reg. 6. Rex Israël Joram pessimus, audiens, quòd maxima fames esset in civitate, misit virum ad amputandum caput Elisæi.

2. Par. 24. Ad imperium Joas regis Juda, lapidatus est Zacharias filius Jojadæ, pro eo, quòd arguebat regem, & populum, sculptilibus servientes.

Judit. 2. Nabuchodonosor præcepit Holoferni: ut omnes DEOS terræ exterminaret; videlicet: ut ipse solus DEUS diceretur: & propter hoc multa regna destruxit, & populum DEI, qui nuper redierat de captivitate Babylonis, afflixit.

Esth. 3. 4. Aman superbus, crudelis, & impius ità potens fuit: quòd pro nihilo habuit procurare necem omnium Judæorum, sed divina providentia ejus conatibus obviavit.

Jer. 20. Percussit Phassur Jeremiam Prophetam, & misit eum in nervum.

Jer. 28. Ananias prophetavit planè contra illud, quòd dicebat Jeremias: & tulit catenam ligneam de collo Jeremiæ, & confregit eam, & abiit Jeremias in domum suam, quasi confusus ab illo mendace Propheta.

Na-

Nabuchodonosor rex Babylonis Azariam, & socios ejus in fornacem mitti jussit: eò quòd illi adorare noluerunt statuam, quam ipse idololatra iniquus erexit. Et Daniel bis fuit missus in lacum leonum, procurantibus pessimis hominibus. Dan. 3. 13 & 14.

Antiochus ascendit Hierosolymam in multitudine gravi cum superbia: & fecit ibi terribilem hominum cædem. 1. Mach. 1

Bacchides, & Alcimus proditor, missi à rege Demetrio, tantum exercitum produxerunt contra Judam Machabæum: quòd ipse Judas cecidit in bello, & cæteri commilitones sui fugerunt. 1. Mac. 9.

Proditor, & dolosus Tryphon, qui Dominum suum regem Antiochum adolescentem dolô occidit, Jonatham, & duos ejus filios nequiter interfecit. 1. Mac. 13

Joannem Baptistam, totius exemplar sanctitatis, ad petitionem unius meretricis Herodes, adulter vilissimus, decollavit. Matt. 14. Marc. 6.

Salvator mundi, Dominus JESUS fuit percussus, & delusus ab Anna, Caipha, & Herode Tetrarcha: & tandem à Præside Pilato judicatus, & crucifixus; imò ab ipsis latronibus blasphematus. Matt. 26. Joan. 19. Luc. 23.

Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica; & postea fuerunt cæsi, & denunciatum est eis: ne ampliùs loquerentur in Nomine JESU. Act. 5.

Quidam Judæi commoverunt plebem, & Seniores, & Scribas, & rapuerunt Stephanum: & statuentes duos falsos testes contra eum, lapidaverunt ipsum. Act. 6. 7.

Misit Herodes Agrippa rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladiô: & insuper incarceravit Petrum. Act. 12.

Judæi concitaverunt religiosas mulieres, & primos civitatis, & excitaverunt persecutionem in Paulum, Act. 13.

lum, & Barnabam, & ejecerunt eos de finibus suis.

Actor. 14. Cùm Paulus, & Barnabas essent Lystris civitate ità honorati, quòd illi homines ipsis quasi diis sacrificare voluerunt, supervenerunt quidam Judæi, & persuasis turbis lapidantes Paulum, extraxerunt extra civitatem, existimantes: eum mortuum esse.

Actor. 16. Quidam quæstuarii ducentes unam mulierem Pythonissam, à qua dæmonium Paulus ejecerat, ità concitaverunt Principes, & Magistratus de civitate Philippis: quòd Paulus, & Sylas socius ejus jussi sunt cædi, & in carcerem mitti, & pedes eorum ligno astringi.

TITULUS CXIX.

Oratio.

Gen. 18. HUmiliter, & discretè, constanter, & piè oravit Abraham Dominum, ut parceret Sodomitis.

Gen. 25. Pro rebus, quas etiam Dominus destinavit facere, interdum debemus DEUM orare. Unde Isaac deprecatus est Dominum pro uxore sua sterili, quam parituram fore dispposuerat Dominus.

Gen. 32. Pensandum valde est, quàm gratus, quàm humilis, etiam importunus in oratione fuit Jacob, dicens: Domine minor sum cunctis miserationibus tuis. Postea quomodo ipse se ab uxoribus, & tota familia sequestravit, & solus de nocte remansit ibidem.

Exod. 7. 8 9. & 10. Oravit multoties Dominum Moyses, ut amoveret plagas de Ægypto, & exaudiebatur: licèt illi mali essent.

Exod. 14. Oratio mentalis clamat in aures DEI, sicut apparet, quando dixit Moysi nihil loquenti: quid clamas ad me?

Exod. 17. In bello, quod habuerunt filii Israël contra Amalech,

lech, plus fecit Moyses orando, quàm Josue pugnando.

Post adorationem vituli, videbatur velle Dominus populum delere: sed Moyses per orationis instantiam obtinuit ei veniam: Et nota ibi modum orandi: Aut, inquit: dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ. Exod. 32.

Per orationem Moysis absorptus est ignis, qui devoravit castra murmurantium, & dolentium pro labore. Num. 11.

Petiit populus carnes in deserto, & Dominus iratus concessit eis. Per quòd liquet: quòd non semper exauditio orationis signum est divinæ dilectionis. Eodem

Curata est Maria à lepra per orationem Moysis. Num. 12.

Afflictus populus ab ignitis serpentibus dixit ad Moysen: Ora pro nobis; & oravit Moyses pro populo. Num. 21.

Cùm esset Anna amarô animô, oravit Dominum, flens largiter, & votum vovit; loquebatur autem in corde suo: & vox penitus non audiebatur. 1. Reg. 1.

Pugnaturi filii Israël contra Philistæos, dixerunt Samueli: Necesse est pro nobis clamare ad Dominum, ut salvet nos de manu Philistinorum. 1. Reg. 7.

Non placuit Domino, quòd filii Israël petierunt super se regem; & tamen Dominus dixit Samueli: Audi vocem populi tui in omnibus, quæ loquuntur tibi. 1. Reg. 8.

Dixit Samuel ad populum: absit à me hoc peccatum, ut cessem orare pro vobis. 1 Reg. 12

David dixit: se invenisse cor suum, ut oraret Dominum. 2. Reg. 7.

Deprecatus est Dominum David pro populo, & jejunavit, & ingressus seorsum, jacuit super terram. Bonus fuit modus orandi: sed tunc David non fuit dignus exaudiri. 2. Reg. 12

Orans Elias pro pluvia, dixit puero suo, ut prospi- 3. Reg. 18

ſpiceret contra mare, unde ſperabat nubem conſurgere pluvioſam: ſed usque ad ſeptem vices nihil penitus apparebat; in quo orationis diuturnitas, & inſtantia commendantur.

2.Par. 20. Joſaphat rex Juda timore perterritus, totum ſe contulit ad rogandum Dominum; audierat enim quòd maxima multitudo gentium venerat contra eum.

4.Reg.16. Bonô uſus eſt conſiliô Ezechias, auditis nunciis regis Aſſyriorum, quando miſit ad Iſaiam Prophetam dicens: Fac orationem pro reliquiis, quæ repertæ ſunt, & ipſemet ad orandum Dominum ſe convertit. Et nota ibi: quàm fideliter, quàm prudenter oravit.

4.Reg.20. Convertit Ezechias faciem ſuam ad orandum dicens: Obſecro Domine, memento quæſo, &c. Flevit itaque Ezechias fletu magno.

2.Par.33. Mirô modô fuit humilis, devota, efficáxque oratio Manaſſæ regis Juda, ſicut patet intuenti in fine libri.

1. Eſd. 8. Jejunavimus, & oravimus Dominum pro recto itinere, & ſecuro, & evenit nobis proſperè: ajebat Eſdras.

2. Eſd. 1. & 2. Nehemias, dum daret regi bibere, orat DEUM cœli. Cùm debuit ad interrogata reſpondere: oraverat valde humiliter.

Tob.3. Tobias, auditis duris ſermonibus uxoris, cœpit orare cum lachrymis.

Ibidem. Sara filia Raguelis, audita ab ancilla ſua grandi contumelia, perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ, & tribus diebus in oratione perſiſtens, cum lachrymis deprecabatur ad Dominum: ut ab illo improperio liberaret eam.

Tob.6. Raphaël Angelus monuit Tobiam juniorem, ne dæmonium haberet poteſtatem in eum; ut cùm accepiſſet Saram uxorem, ingreſſus cubiculum; per tres noctes contineret ſe ab ea, & nihil aliud faceret, niſi quòd orationibus ambo vacarent.

Au-

Audientes filii Israël potentiam Holofernis clamaverunt ad Dominum. Eliachim verò summus Sacerdos commemorabat eis: quomodo Moyses confidentem in virtute sua Amalec, non ferrô pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit. Judith. 4.

Multum confidebat Judith in orationibus aliorum: unde proponens ire ad Holofernem, dixit Presbyteris: Orate, ut firmum faciat consilium meum DEUS. Sequitur: Nihil aliud fiat pro me, nisi oratio ad Dominum. Judith. 9.

Similiter: quando debuit amputare caput Holofernis, oravit cum lachrymis ad lectum. Judith. 13

Esther locutura ad regem Assuerum, dixit Mardochæo: Congrega omnes Judæos, quos reperies, & orate pro me. Quàm verò devotè, & humiliter oraverit, postea habetur capite 14. De oratione Mardochæi: quando deprecatus est Dominum pro se, & pro populo, c. 14. Esth. 4.

Magnæ reputationis apud DEUM erat oratio Jeremiæ: quando dicebat ei Dominus: Noli orare pro populo hoc. Jer. 11.

Azarias stans in medio fornacis, oravit sic: Benedictus es Domine DEUS patrum nostrorum. Dan. 3.

Non omisit Daniel, propter impii Darii regis decretum, quin oraret ter in die DEUM suum, genibus flexis, sicut ante facere consueverat. Ecce quàm pretiosum, & utile reputabat orare Dominum. Dan. 6.

Intelligens Daniel, tempus captivitatis esse completum, instantius oravit pro populo, in captivitate detento. Et nota: quàm humiliter, & ferventer oraverit. Dan. 9.

Videns Susanna, omne humanum sibi deesse consilium, recurrit ad orationis suffragium: & oratio ejus fuit exaudita. Dan. 13.

Oravit Jonas ad Dominum de utero piscis, & dixit: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me. Jonæ 2.

Con-

1.Mach.3. Congregatus est conventus, ut essent parati in prælium, & ut orarent, & peterent misericordiam, & miserationes.

1.Mac. 4. Judas Machabæus commissurus prælium contra Gorgiam, oravit, & dixit: Benedictus es Salvator Israël. In duobus autem præcipuis bellis non legitur orâsse; uno scilicet contra regem Antiochum, & tunc non vicit, sed divertit: altero contra Bacchidem, & Alcimum, & tunc in bello cecidit.

1.Mach.6. & 9.

1.Mac.11. Videns Jonathas, quòd omnes (exceptis paucis) derelinquebant eum pugnantem contra alienigenas, scidit vestimenta sua, & oravit: & postea victoriam obtinuit.

2.Mac.3. Judæi in tribulatione positi, quæ supervenit eis, oraverunt Dominum. Sacerdotes verò ante altare, cum stolis Sacerdotalibus, jactaverunt se, & invocabant de cœlo eum, qui de depositis legem posuit, ut iis, qui deposuerunt, ea salva custodiret. Universæ etiam mulieres, protensis manibus in cœlum, deprecabantur.

Eodem. Onias summus Pontifex oravit pro Heliodoro, divina virtute graviter flagellato: eò quòd voluerat spoliare templum. Dominus autem illi vitam donavit.

2.Mac. 8. Judas Machabæus, & qui cum eo erant, simul deprecabantur Dominum, ut eriperet eos ab impio Nicanore, &c. Etsi non propter eos, sed propter testamentum, quod erat ad patres eorum: & propter invocationem sancti, & magnifici nominis ejus super ipsos.

2.Mac.9. Orabat sceleſtus Antiochus Dominum: à quo non esset misericordiam consecuturus.

2. Mach. ult. Nicanor, & qui cum eo erant, cum tubis, & canticis admovebant: Judas verò cum suis, invocato DEO per orationes, congressi sunt. Manu quidem pugnantes, sed cordibus Dominum orantes, prostraverunt non minus triginta quinque

que millia hominum, præsentiâ DEI magnificè delectati.

Brevem, utilem, & humilem modum orandi habuit leprosus ille, qui genu flexo adoravit Dominum JESUM, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. — Matth. 8. Luc. 5. Marc. 1.

Similem modum orandi, per modum insinuationis, habuit Centurio, cùm dixit: Domine, puer meus jacet paralyticus. — Matth. 8.

Item Martha, & Maria pro Lazaro jam sepulto. — Jon. 11.

Etiam de eo, quòd Dominus facere proposuit, vult per nos ipse quandóque rogari: Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Statim sequitur: Convocatis, &c. — Marc. 9.

Dimissâ turbâ, ascendit Dominus in montem solus orare. In quo docemur: quòd dum orare volumus, turbam debemus fugere, ne turbemur. — Matt. 14.

Dominus, & Salvator noster in Evangeliis nos orare docuit verbo. Sic ergo orabitis: Pater noster, &c. Oportet semper orare, & nunquam deficere. — Matth. 6. Luc. 18.

Item animavit promissione. Luc. 6. Petite, & accipietis. Item: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, faciam. — Joan. 14.

Informavit exemplo. Ipse enim, qui poterat imperare, volebat orare. — Matt. 14. Marc. 1.

Specialiter autem, instante persecutione passionis suæ, oravit, & orare monuit: Vigilate, & orate, ajebat. — Luc. 22. Matt. 26.

Quando Maria Magdalena veniam obtinuit à Domino dicente: Remittuntur tibi peccata, nihil vocaliter orâsse dicitur, sed flevisse. Ubi appareret efficacia mentalis desiderii, etiam sinè oratione vocali. — Luc. 7.

Ad instantiam orationis Dominus nos inducit exemplô amici ad amicum media nocte euntis. — Luc. 11.

Et exemplô viduæ, quæ ab iniquo judice, cum importunitate multa, sese vindicari petebat. — Luc. 18.

Ibidem. Ad humiliter orandum, & jactantiam contemnendam, inducit Dominus exemplum de ſuperbo Phariſæo, & humili Publicano.

Act. 1. Poſt Aſcenſionem Domini in cœlum, reverſi ſunt diſcipuli in Jeruſalem, & erant omnes perſeverantes in oratione unanimiter, cum mulieribus, & MARIA.

Ibidem. Apoſtoli volentes unum de diſcipulis eligere in Apoſtolum loco Judæ, ſtatuerunt duos, Joſeph, & Mathiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui nôſti omnium corda, oſtende, quem elegeris.

Act. 2. Omnes fideles in primitiva Eccleſia perſeverantes erant in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.

Act. 3. Item Petrus, & Joannes aſcenderunt in templum ad horam orationis nonam.

Act. 4. Cùm orâſſent diſcipuli unanimiter una voce, motus eſt locus, in quo erant congregati; & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto: & loquebantur verbum DEI in fiducia.

Act. 7. Lapidabant Stephanum Judæi, invocantem, & dicentem: Domine JESU, accipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus, clamavit voce magna, dicens: Domine! ne ſtatuas illis hoc peccatum.

Act. 8. Petrus, & Joannes oraverunt pro illis de Samaria, ut acciperent Spiritum Sanctum. Tunc imponebant manus ſuper illos: & accipiebant Spiritum Sanctum.

Act. 9. Saulus ad terram proſtratus, & ſalubriter excœcatus poſtea ſurrexit. Et in Damaſcum veniens, orare cœpit: & fuit tribus diebus non manducans.

Act. 10. Cornelius Centurio erat vir religioſus, & timens DEUM cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas, & deprecans Dominum ſemper. Et per hoc diſpoſuit ſe ad fidem. Unde ſequitur: Orationes tuæ, & eleemoſynæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu DEI.

Pe-

Petrus servabatur in carcere Herodis: oratio autem fiebat sinè intermissione ab Ecclesia ad DEUM pro eo. Act. 12.

Cùm dixisset Spiritus Sanctus: Segregate mihi Barnabam, & Paulum ad opus, ad quod assumpsi eos, sequitur: Tunc jejunantes, & orantes, eisque manus imponentes, dimiserunt illos. Et sequitur: Fecerunt mirabilem fructum. Actor. 13 & sequ.

Ascendit Petrus in superiora domûs, ut oraret circa horam sextam; ut sc. posset orare devotius, à familia inferiùs existente remotus. Act. 10.

Cùm iret Paulus ad orationem, obviavit puellæ, quæ spiritum pythonicum habebat; quem Paulus expulit, præcipiens ei in Nomine JESU. Act. 16.

Recedens Paulus à fratribus de Achaja, post paucos sermones, & pia verba, positis genibus, cum omnibus illis oravit. Magnus autem fletus factus est omnium. Act. 20.

Cùm orâsset in templo Paulus: factus est in stuporem mentis, & vidit Dominum JESUM, dicentem: Festina, & exi velociter de Jerusalem. Act. 22.

Patre Publii febribus, & dysenteriâ laborante, cùm orâsset Paulus, & imposuisset ei manus, sanavit eum. Act. 28.

Apostolus Paulus orandum esse sinè intermissione, monebat: hoc ipsúmque sollicitus faciebat Rom. 1. Sinè intetmissione memoriam facio vestri semper in orationibus meis. 1. Thes. 5. Rom. 1.

Adeo grande, & arduum opus est orare, quòd ipse Paulus ad id agendum dicebat: se sufficientem non esse. Rom. 8.

Quòd oremus, sicut oportet, nescimus: propter quod ipse orationes aliorum frequenter, & humiliter flagitabat: Fratres, orate pro nobis. 2. Thes 3.

Petebat etiam Paulus orationes fieri pro malis amovendis, & pro bonis obtinendis. De primo: Obsecro vos fratres, ut adjuvetis me, in orationibus vestris ad DEUM: ut liberer ab infidelibus, Rom. 15.

bus. Quòd autem aliorum se orationibus juvari
2. Cor. 4. crederet, dicit: De tantis periculis eripuit nos DEUS, adjuvantibus vobis in oratione pro nobis. De secundo, quòd bona obtinere per alio-
Colos. 4. rum orationes optabat, ait: Orantes pro nobis, ut DEUS aperiat nobis ostium sermonis, ad lo-
2. Thes. 3. quendum Mysterium Christi. Et alio loco: Fratres orate pro nobis, ut sermo DEI currat, & clarificetur.

Orabat Paulus pro aliis, ut eos videre, & in eis
Rom. 1. fructificare possit. Memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans: si quando prosperum iter habeam, in voluntate DEI, veniendi ad vos.

Tim. 1. Et ad Titum: Sinè intermissione habeo tui memoriam in orationibus meis, nocte, ac die, desiderans te videre.

2. Thes. 1. Item pro Thessalonicensibus: ut DEUS eos ad viam salutis vocaret; Oramus semper pro vobis: ut vos dignos habeat ista vocatione Dominus DEUS noster.

Phil. 1. Et pro Philipensibus: ut ipsi de bono in melius proficerent. Hoc oro: ut charitas vestra magìs, ac magìs abundet.

Colos. 1. Item: ut plenitudinem divinæ cogitationis haberent. Non cessamus, pro vobis orantes, & postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus.

Jacob 5. Apostolus Jacobus orationem dicit valere pro obtinenda corporali salute: Oratio fidei salvabit infirmum. Item: & pro æterna, quæ est salus simpliciter vera: Orate pro invicem, ut salvemini; multùm enim valet deprecatio justi.

TITULUS CXX.

Ornatus superfluus.

Gen. 38. THamar nurus Judæ filii Jacob volens socerum allicere, ut ex illo conciperet, depositis vidui-

viduitatis vestibus ornavit se, & assumpsit teristrum.

Audito adventu Jehu, qui occiderat Joram regem Israël, Jezabel depinxit oculos suos stibiô, & ornavit caput suum. 4. Reg. 9.

Testatur Judith: quòd ornamenta, quæ assumpsit, deceperunt Holofernem. Induit enim se vestimentô lætitiæ, unxit faciem suam unguentô, colligavit cincinnos suos mitrâ, ad decipiendum ipsum. Judith. 16

De Esther legitur: quòd, quando debuit intrare ad regem, non quæsivit muliebrem cultum, sicut faciebant aliæ mulieres. Esth. 2.

Comminando dicitur Isaiæ 3. Auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas, & torques, monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia: & multa alia ponit ibi. Isai. 3.

Reprehensibilem habitum malæ mulieris describit Salomon: Considera vecordem juvenem. Occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens. Prov. 7.

Non sinè causa monet Sapiens, quando ait: Averte faciem tuam à muliere compta. Mulier enim composita, & ornata magìs incitat ad peccatum. Eccl. 9.

Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut vestium cultus, &c. 1. Pet. 3.

* TITULUS CXXI.

Otium.

ADam jussus fuit à DEO operari in Paradiso: sed quia otiosus fuit, peccavit, non peccaturus, si sedulò laborâsset. S. Chrysostomus Hom. in Gen. Gen. 2.

Otium fuit origo iniquitatis, & excidii Sodomæ, teste Ezechiele: Hæc fuit iniquitas Sodomæ: superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus. Ezech. 16 & 49.

Judic. 16. Samſon otio vaçat per multos dies apud Dalilam: ſed perdit fortitudinem, libertatem, vitam.

Judic. 18. 27. Sexcenti viri ex tribu Dan venerunt in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum: & percuſſerunt eos in ore gladii, urbémque incendio tradiderunt.

2.Reg.11. David eo tempore, quo ſolent reges ad bella procedere, domi vacat otio: & labitur in adulterium, & ſubſequens homicidium.

Salomon, dum fuit occupatus labore ædificationis templi, vitam duxit innocentem; poſtquam à labore ceſſavit, & vitam deſidem ac mollem duxit; captus amore mulierum in idololatriam eſt lapſus.

Exod. 32. Populus Iſraëliticus, quamdiu fuit occupatus labore in Ægypto, nunquam legitur aliquid mali egiſſe. Sed cùm cœpit manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere, factus eſt idololatra.

Jonæ 1. Jonas, dum omnes eſſent occupati in navi, vel labore ad evitandum naufragium, vel oratione ad DEUM, ſolus dormit. Inde projicitur in mare: & fit præda piſcis.

Matth. 20 Paterfamilias increpat otioſos in foro ſtantes, eósque ad laborem mittit.

Matth. 25 Servus piger, & inutilis, qui cum commiſſo ſibi talento noluit operari, ejicitur in tenebras exteriores.

Matth. 12 44. Spiritus immundus veniens, invenit domum vacantem, tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe: & intrantes habitabant ibi.

1.Tim. 5. 13. Paulus præcipit vitare illas viduas, quæ otioſæ diſcunt circuire domos.

TITULUS CXXII.

Parentes honorandi.

P

Sem, & Japhet benedictionem Patris meruerunt: quia nudato obsequium præbuerunt. Cham verò filius suus maledictus fuit: quia Patris nuditatem derisit. Gen. 9.

Magnæ existimationis erat apud antiquos benedictio Patris, ùt patet in Jacob, & Esau; quia ipsam sollicitè quæsierunt. Gen. 27.

Licèt Esau esset homo malus, reprobatus à Deo, & odio haberet fratrem suum Jacob: nolebat tamen ipsum occidere vivente Patre suo Isaac. Unde dicebat: Venient dies luctûs Patris mei. In hoc deferens patri honorem: & timens offensam ejus. Ibidem.

Ad magnam pœnam obligabat se Judas, cùm dixit Patri: Nisi Benjamin reduxero, & tradidero eum tibi, ero peccati reus in omni tempore. Et notandum: quòd priusquam dixerat Ruben: duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi; tamen Pater non acquievit illi: acquievit autem Judæ dicenti prædicta verba. Gen. 42. & 43.

Idem Judas postea supplicans Joseph, ut Benjamin ad Patrem remitteret, inter cætera repetiit prædicta verba, quibus se obligaverat Patri, & subjunxit: Non possum redire ad Patrem absente puero; ne calamitatis, quæ oppressura est Patrem meum, testis assistam. Gen. 44.

Jacob benedicens filios, dixit contra Ruben: Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile Patris tui, & maculâsti stratum ejus. Gen. 49.

Præcepit Dominus per Moysen: Si genuerit homo filium contumacem, & protervum. Sequitur: Lapidibus eum obruet populus civitatis. Deut. 12.

Reddidit DEUS malum, quòd fecerat Abimelech contra Patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis. Judic. 9.

1. Reg. 2. & 4. Non audierunt filii Heli Patrem, ipsos corripientem. Et ideo divinam ultionem experti sunt.

1. Reg. 14. Quia Jonathas gustaverat paululum mellis contra inhibitionem Patris, morti adjudicatus est à Patre: tamen à populo liberatus est.

1. Reg. 22. David à facie Saul fugiens, & in magna necessitate existens, habuit curam Parentum suorum, & recommendavit eos diligenter apud Moab regem.

2. Reg. 15. Absalon David Patrem suum de regno expellere laborabat: sed pessimè ei succesit.

3. Reg. 2. Venienti Betsabeæ matri Salomonis assurrexit rex, adoravitque eam: & positus est thronus matri regis.

4. Reg. 19. Filii duo Sennacherib occiderunt eum: sed tamen neuter eorum regnavit post eum.

Tob. 4. Tobias senior instruens filium suum, inter cætera dixit: Cùm acceperit DEUS animam meam, corpus meum sepelietur, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ.

Joan. 2. Ejiciens Dominus de templo cum flagello vendentes, & ementes boves, & numularios, dixit: Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. In hoc, & aliis multoties honorem Patris quærens.

Luc. 2. De puero JESU dicitur: Descendit cum illis (scilicet MARIA, & Joseph) & venit in Nazareth, & erat subditus illis.

Joan. 8. Ipse etiam dicit alibi: Honorifico Patrem meum.

Joan. 9. Et pendens in cruce Matrem suam dilecto discipulo commendavit. In quo apparet, quam sollicitudinem gesserit de ipsa, qui nec in mortis articulo hujus oblitus fuit.

* TITULUS CXXIII.

Parentum officium erga liberos.

Gen. 18. 19. QUòd DEUS tam benevolus, & familiaris erga Abraham fuerit, ut ei celare non potuc-

tuerit, quæ gesturus esset, reddit ipse rationem his verbis: Scio enim, quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se; ut custodiant viam Domini: & faciant judicium, & justitiam.

Abraham ità dilexit filium suum unigenitum Isaac, ut multò plus amaret DEUM; nam cùm à DEO justus fuisset, hunc sibi filium immolare; non dubitavit hoc mandatum promptissimè exequi. Fuit idcirco à DEO benedictus. Gen. 22.

Sara adeò fuit sollicita pro filio suo Isaac bene educando, ut, cùm vidisset Ismaëlem filium Agar ancillæ suæ ludere cum filio suo (utique indecenter) dixerit ad Abraham maritum suum: ejice ancillam hanc, & filium ejus. Gen. 21. 9

Occurrit Dominus Moysi in itinere: & voluit occidere eum; eò quòd filium suum non circumcidisset juxta legem Domini. Exo. 4. 24

Factum est grande miraculum: ut, Core pereunte, filii ejus non perirent. Nam peccante patre, ipsi non peccaverunt, quod inter miracula numeratur. Num. 26. 11.

Heli summus Pontifex, eò, quòd peccantes filios suos non corripuisset, horrendum à DEO fuit punitus. Nam ambo filii in prælio occubuerunt: triginta millia peditum de populo in eodem cæsa sunt: arca DEI ab hostibus fuit capta: Heli ipse cecidit de sella retrorsum: & fractis cervicibus mortuus est. 1. Reg. 3. & 4.

Magna fuit Elcanæ, & Annæ circa filii sui educationem pietas: dum eum totum DEO consecrârunt; ut cunctis diebus vitæ suæ ei serviret. 1. Reg. 1.

Jacob Patriarcha, quòd plus dilexisset filium suum Joseph, quàm reliquos suos filios, causa fuit invidiæ, & odii, quod isti adversùs Joseph conceperunt. Gen. 37. 4

Israëlitæ narraverunt filiis suis beneficia toti populo à DEO præstita, teste Gedeone, qui ait: Narraverunt patres nostri, atque dixerunt: de Ægypto eduxit nos Dominus. Jud. 6. 13

Cùm audisset David incestum, quem patravit filius 2. Reg. 13. 21.

lius ejus Amnon, cum non corripuit; noluit enim contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei. Sed in hoc malè egit.

3.Reg. 2. Optimè tamen egit David: cùm filium Salomonem magna sollicitudine Nathan Prophetæ tradidit instituendum: eíque moriturus bonam regui administrationem, & cultûs Divini curam commendavit.

Job. 1.5. Quantam pro filiorum suorum salute curam gesserit S. Job, ex eo patet: quòd quotidie pro illis DEUM sit deprecatus, & sacrificia obtulerit.

Tob. 4. Tobias senior optimè educatus à suis parentibus, quippe qui ut puerulus omnia secundùm legem DEI observabat; optimè quoque filium suum educavit: & saluberrima præcepta ad vitam piè instituendam illi dedit.

Tob. 10. 13. Raguel, & Anna filiam suam Saram piè, & pudicè educatam dimittentes, monent eam: ut honoraret soceros: diligeret maritum: regeret familiam: gubernaret domum; & seipsam irreprehensibilem exhiberet.

Dan. 13. Parentes Susannæ, cùm essent justi, erudierunt filiam suam secundùm legem Moysi. Hinc tam piè, & castè vixit: ut mori maluerit, quàm fœdari.

1. Mach. 2 49. Matathias filios suos optimè educatos hortatur: ne à veritate, ejúsque propagatione deficiant; quibus monitis illi sedulò sunt obsecuti.

2.Mahc.7. Septem fratres Machabæi propter bonam educationem, & constantem adhortationem matris immania tormenta invictô, & forti animô perferunt.

Luc. 1. Zacharias, & Elisabeth, quia erant justi ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini, habuerunt etiam filium sanctissimum Joannem.

Matt. 15. 22. Chananæa, cùm haberet filiam malè à dæmonio vexa-

vexatam, accedit ad Christum, rogat salutem filiæ: & licèt primò non exaudita, non tamen cessat, dum impetret petitam gratiam.

Cùm pater quidam adduxisset filium suum, habentem spiritum mutum, ad Christum, interrogavit eum Christus: quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? at ille ait: ab infantia. S. Chrysostomus ser. 51. putat: ideo hoc illi accidisse ab infantia; quia malè fuit à parentibus educatus: & fortè etiam dæmoni traditus. Mar. 9. 16

Filia Herodis à parentibus ad levitatem, & saltus fuit educata. Hinc fuit tam perversa: ut non sit verita petere mortem Joannis. Mar. 6. 22

S. Stephanus increpat Judæos: vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri, ità & vos. Nempe: sicut parentes, ità filii. Act. 7. 51.

TITULUS CXXIV.

Patientia in adversis.

Mansuetè ferebat Isaac: cùm pater suus eum immolare vellet. Gen. 22.

Joseph facinus, quod in eum commiserant fratres sui, & patienter tulit, & clementer indulsit. Gen. 37. & 45.

Speciale mandatum dedit fratribus suis Joseph dicens: Ne irascamini in via. Eodem.

Citò oravit Moyses pro Maria, quæ contra eum tam iniquè locuta fuerat: & per orationem ejus sanata fuit. Num. 12.

Murmurabat populus contra Moysen, & Aaron dicens: Vos interfeciſtis populum Domini; & cùm iratus esset Dominus, ut percuteret populum, dixit Moyses ad Aaron: Perge citò ad populum, ut roges pro eis, & sequitur: quòd plaga cessaverit. Num. 16.

Filii Ephraim jurgantes fortiter contra Gedeonem, sedati fuerunt propter ejus mansuetam respon- Judic. 8.

reſponſionem: Quid enim tale facere potui, quale vos feciſtis?

1. Reg. 11 Noluit ſuſtinere Saul: quòd occiderentur viri, qui detraxerant ei.

1. Reg. 24. Potuit David pluries, & noluit occidere Saul, ipſum acriter perſequentem; quando abſcidit oram chlamydis ejus: quando invenit eum dormientem.

1. Reg. 15. & 16. Fugiens David à facie Abſalom, patienter dixit ad Sadoch: Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Et ad Semei maledicentem ſibi, &c.

2. Reg. 19 Miphiboſeth patienter ſuſtinuit iniquam ſententiam contra ſe latam.

2. Par. 10. Dixerunt ſeniores, dantes conſilium Roboam: Si placueris populo huic, & lenieris eos verbis clementibus, omni tempore ſervient tibi.

4. Reg. 6. Homines, qui venerant ad capiendum Eliſæum, non permiſit ipſe illos aliquid mali habere: ſed præcepit eis menſam apponi, & refectos abire permiſit.

Tob. 2. 3. Excœcatus Tobias, miram patientiam oſtendit erga divinum flagellum, & irriſionem amicorum & uxoris.

Job 1. 2. Job fuit patiens perdendo ſua, & ſuos, & quaſi ſeipſum. Et notandum: quòd ſemel amiſit bona ſua, & liberos; & ſic vehementior fuit tentationis impetus. Item illi, qui remanſerunt de amicis ſuis, plus ei deſolationis attulerunt. Ut patet in uxore, & in illis amicis: qui fuerunt ei conſolatores oneroſi.

Dan. 3. Alacrem patientiam exhibuerunt ſocii Danielis, miſſi juſſu regis in fornacem ignis ardentis: Et tantum, vel amplius fuit laudatus DEUS ex eorum patientia, quàm ex Danielis ſapientia.

Tob. 3. Filia Raguelis Sara, gravem contumeliam ab ancilla prolatam, patienter tulit, nihil reſpondens, ſed ſtatim ad orationem ſe convertens.

Cùm

Cùm plagis puniretur Eleazarus, dixit: Domine, tu scis, quia, cùm à morte possem liberari, duros cordis sustineo dolores: secundùm animam verò propter timorem tuum, libenter hæc patior. 2.Mach.6.

Septem illi fratres cum matre sua alacri animô passi sunt horrenda tormenta. 2.Mac.7.

Cùm interrogâsset Petrus Dominum: quoties peccabit in me frater meus, dimittam ei usque septies? Audivit: Non dico usque septies, sed usque septuagesies septies. Matth. 18

Ad remittendum fratribus ex corde, induxit Dominus parabolam servi nequam, cui mille talenta à Domino liberaliter fuerunt dimissa. Eodem.

Cùm audissent Jacobus, & Joannes: quòd Samaritani non receperant nuncios Domini, quos præmiserat, dixerunt: Vis, dicamus: ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos, & Dominus increpavit illos, & dixit: Nescitis; cujus spiritûs estis. Luc. 9.

Mulier in adulterio deprehensa, & coram Domino accusata, nihil omnino accusatoribus respondebat: Dominus autem pro ea verbum assumpsit: & eam benignè absolvit. Joan. 8.

Cedendum est quandoque furori persequentium; unde Dominus, qui pati, & occidi venerat, non ut timidus, sed ut providus, & horam passionis competentem expectans, rabiem Judæorum pluries devitavit. Et Joannis 8. JESUS autem transiens per medium illorum ibat. Et capite duodecimo: abscondit se, & exivit de templo. Luc. 4.

De seipso Dominus ait: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Matth. 11

Dominus noster patienter tulit injurias illatas verbis, & factis. Verbis quidem detractoriis, contradictoriis, derisoriis, & contumeliosis. Detraxerunt enim ei occultè, & manifestè: Occultè, intra se loquendo, & ipsum temerè, & nequiter judicando. Hic si esset Propheta, sciret, qualis hæc esset mu- Patientia Passionis Christi.

mulier. Item Matthæi 9. Lucæ quintô: Hic blasphemat. Manifestè: quando dicebant discipulis ejus Pharisæi: Quare cum Publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit Magister vester? Item: quando ejus miracula depravabant dicentes: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Matth. 12. Luc. 11. Item: Non est hic homo à DEO, qui Sabbatum non custodit; & ibidem, scilicet Joan. 7. 9. Nos scimus, quia hic homo peccator est.

Item: dicebant eum habere dæmonium.

Contradictoria verò verba sustinuit, Joannis octavô: Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Et ibidem: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?

Matth. 9. Luc. 8. Et verba derisoria, cùm dixisset: Non est mortua puella, sed dormit, deridebant eum.

Joan. 7. 8. Item verba contumeliosa: Nonne bene diximus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Et Lucæ quintô: Quis est hic, qui loquitur blasphemias?

Matth. 26. & 27. Specialiter autem in tempore passionis ante crucem, in domo Annæ, & Caiphæ, coram Pilato, Herode, &c. Ac demum: dum penderet in cruce, hujusmodi verba multa audivit contra se.

Luc. 14. Joan. 8. In factis item graves injurias passus fuit. Nam ipso prædicante, repleti sunt omnes in synagoga irâ: & ejicientes eum extra civitatem, voluerunt eum præcipitare de supercilio montis.

Matt. 20. Et iterum: ad lapidandum ipsum, lapides sustulerunt.

Luc. 9. Item: cùm exiret de Jerusalem, & vellet transire Samariam, Samaritani nuncios, quos præmisit, recipere noluerunt.

Joan. 8. Præterea ipso prædicante, & Judæos de eorum malitia increpante, illi ad lapidandum eum lapides sustulerunt. Luc. 2. 3. Hoc totum parùm fuit, respe-

ſpectu eorum, quæ in paſſione ſuſtinuit: Circa quæ notare poteris: quòd ſecundùm ea, quæ prædixerat, fuit deluſus, & flagellatus, & crucifixus; deluſus in domo Caiphæ. Viri (inquit textus) qui tenebant eum, illudebant ei dicentes: Ave rex Judæorum, &c. Similia in prætorio Pilati Præſidis agebant: genu flexo illudebant ei, &c. Matt. 27.

Similiter illuſus fuit in domo Herodis: ſprevit illum cum exercitu ſuo, & illuſit ei.

Item illuſus fuit Dominus JESUS in patibulo crucis pendens: & hìc à militibus, & Sacerdotibus; & communiter à prætereuntibus, & latronibus. Siquidem de militibus dicitur: Illudebant ei milites accedentes, & acetum offerentes. De Sacerdotibus autem: Principes Sacerdotum cum ſcribis, & ſenioribus illudebant ei, dicentes: Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere, &c. Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita ſua, &c. Latrones, qui crucifixi erant, improperabant ei. Luc. 23. Matth. 27.

Ulteriùs nota: quòd fuit illuſus nutibus, & ſignis: quando movebant capita ſua, & flectebant genua. Verbis: quando dicebant ſalutantes: Ave rex Judæorum. Factis: quando fuit ſpinis coronatus, & arundo loco ſceptri poſita in manu ejus, ſputis deturpatus. Nunc veſte purpureâ, nunc albâ veſtitus. Luc. 23.

Salvator noſter in ſua paſſione manſuetudinem exhibuit ad proditorem: quem vocavit amicum: ad lictorem: cujus aurem ſanavit. Eodem. Matt. 26.

Ad Annam, ad Caipham, ad Pilatum, coram quibus fuit falſiſſimè accuſatus, manſuetiſſimè reſpondit, &c. Joan. 18. 19.

Item ad crucifixores: pro quibus oravit; & ad latronem: cui tam benignè reſpondit, &c. Luc. 23.

De flagellatione penſandum eſt: Quia ipſe Dominus primò flagellatus fuit in capite: Percutie- Luc. 22. Joan. 19.

Matth. 27. tiebant caput ejus arundine. Item in facie: Et apud Joannem capite 19. Unus miniſtrorum aſſiſtens Pontifici, dedit ei alapam. Item in collo: colaphis eum cædebant: & in toto corpore: Tradidit illis Pilatus JESUM flagellis cæſum, ut crucifigeretur. Circa quod notari poteſt: quòd flagellari ſolent in capite inſcii: qui erudiuntur. In collo ſervi: qui de domo ejiciuntur. In facie rei: qui nuncupantur; in toto corpore ſcelerati: qui puniuntur.

Item conſiderari debet ab anima fideli: quòd ipſe fuit flagellatus, linguis blasphemantium, improperantium, ac clamantium: Crucifige eum. Palmis percutientium, ùt in Matthæo vigeſimô ſextô. Alii palmas in faciem dederunt. In arundine, & flagellis, ſicuti viſum eſt in Matthæo, & Marco.

Joan. 18. Ad omnis verò injuriæ cumulum multum facit: quòd Dominus dominantium, qui ſolvit compeditos, & illuminat cœcos, ipſe fuit tanquam latro captus, & ligatus. Miniſtri Judæorum, ait Joannes: comprehenderunt JESUM, & ligaverunt eum.

Joan. 18. Item fuit latroni poſtpoſitus: quia petierunt Judæi Barrabam ſibi dimitti; & Dominum crucifigi, teſtantibus Evangeliſtis. Et tamen ille erat latro: & in ſeditione fecerat homicidium. Unde ille Barrabas erat homicida, ſeditioſus, latro inſignis, in malitia diffamis.

Luc. 23.

Matt. 27.

Joan. 19. Fuit inſuper in medio latronum poſitus, quaſi eſſet magiſter eorum, & ſceletatior omnibus. Unde Joannis 19. Medium autem JEſum, &c.

Præterea penſandum eſt: quòd ipſe fuit in omnibus membris corporis afflictus, ſeu & ſenſibus. Oculi namque ejus videbant illos tortores ſuos, rabidos, & crudeles: Item piam matrem ſuam, pariter in anima crucifixam: & dilectum diſcipulum, & mulieres devotas compatientes. Aures

autem

autem verba blasphemiæ, insultationis, derisionis, & improperii audiebant. Nares etiam ratione loci Calvariæ, in quo crucifixus est, ubi decalvabantur, & decapitabantur malefici, poterant fœtore gravari. Gustus ejus fuit afflictus in hoc: quòd fuit potatus vinô myrrhatô, vel acetô cum felle mixtô. In quibus datur intelligi: potum fuisse amarissimum.

Sensus autem tactus, per totum corpus diffusus, ubi dolorem sensit in membris, videlicet flagellatis, in manibus, & pedibus clavis atrociter perforatis.

Poterit etiam considerari: quòd ipse Dominus JESUS sustinuit damnum in rebus, quas secundùm hominem habuit: Quia fuit vestimentis nudatus, ab amicis derelictus. Unde discipuli relicto eo, omnes fugerunt; afflictus in toto corpore, ùt dictum est, per acerbissimam passionem. Joan. 19. Matth. 26 Marc. 14.

Item passus est in corde, vel in mente: quia compatiebatur, ibi amicis astantibus, & inimicis eum ignoranter crucifigentibus.

Tum etiam passus est quodammodo, & læsus in fama, seu opinione: quia dicebant, eum populi fuisse seductorem. Domine, dixerunt ad Pilatum Principes Sacerdotum: recordati sumus, quòd seductor ille, &c.

Advertendum est etiam circa salutiferam passionem Domini nostri JESU Christi: quòd fuit turpis, imò turpissima, & ignominiosa ratione loci. Quia in Jerusalem, ubi notus, vocatus, & honoratus fuerat, & multa miracula fecerat, &c.

Item ratione temporis, vel diei: Quia in die solenni Paschæ, quando convenerat ad diem festum, maxima multitudo hominum: & horâ quasi sextâ fuit ductus ad crucem; ut ab omnibus posset sciri.

Item, & ratione generis ipsius mortis: quia mor- Joan. 19.

te crucis, morte debita maledicis, malefactoribus, & iniquis. Tum, & ratione modi, ad ipsum tormentum eundi. Exit enim JESUS bajulans sibi crucem: quod certè non legitur de aliis duobus nequam, qui ducebantur cum eo.

Item & ratione consortii: nam fuit crucifixus in medio duorum latronum, quasi esset unus ex eis, vel maximus, aut Magister.

Adhuc aggravatur illius benedicta passionis acerbitas ex naturali dominici corporis complexione. Certum est enim: illud sacrum corpus fuisse complexionis optimæ, & mirabiliter delicatæ, utpote organizatum Spiritûs Sancti opere, sinè aliquo naturæ vitio, vel errore; unde caro sua Sancta, nullam habuit rebellionem, vel pugnam contra Spiritum. Et idcirco Spiritus meritò magis diligebat ipsam, quàm alterius spiritus, vel anima debeat diligere corpus suum.

Item & ex diuturnitate, passionis acerbitas aggravatur: nam multi Martyres igne cremati, vel aqua submersi, aut capite truncati, martyrium suum celeriter compleverunt. Passio verò dominica duravit, quasi ab instanti conceptionis suæ, usque ad horam mortis. Certissimè namque præscivit: quicquid sua humanitas passura fuit; specialiter tamen, & continuè duravit ab illa hora post cœnam, usque ad sextæ feriæ horam nonam.

Item & ex qualitate membrorum, in quibus passus fuit, videlicet in pedibus, & manibus, quæ sunt membra nervosa, & doloris maximè perceptiva.

Luc. 22. Signum autem, quòd passio Domini acerbissima, & gravissima fuerit, ex hoc præcipuè potest haberi: quòd narrante Luca, in oratione post cœnam, ex vehementi imaginatione futuræ angustiæ factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Eam-

Eandem verò dominicam passionem reddit inæstimabilirer gratiosam; quòd ad illam sponte se obtulit: Surgite, ajebat, ecce appropinquat, qui me tradet. Et apud Joan. 18. Ivit obviam ministris quærentibus JESUM Nazarenum. Et cùm audissent Dominum dicentem: Ego sum, cecidérunt in terram. Matth. 26.

Item captus, vinctus, ignominiosè ductus, mendaciter accusatus, colaphizatus, sputis illinitus, flagellis cæsus, spinis derisoriè coronatus, nullum verbum, aut signum impatientiæ, seu turbationis ostendit. Quinimo multiplex beneficium illis, à quibus ità premebatur, ostendit. Nam aurem amputatam servo sacerdotis sanavit: multa pia, & utilia verba illis dixit: & pro crucifixoribus suis clementer oravit, Patrem suum dulciter invocans, & eos benignè excusans: Pater, inquit: dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt. Luc. 23.

Denique hæc omnia passus est, non propter se, sed propter nos. Nam propter peccata tollenda, quia quæ non rapuit, tunc exsolvit. Unde propter necessitatem, & ut litatem nostram, non propter suam, animam posuit pro omnibus amicis suis; pro quibus quippe liberandis voluit comprehendi: pro nobis redimendis voluit vendi: pro nobis honorandis voluit confundi: & in cruce suspendi; vinculatus est: ut absolveremur; flagellatus est: ne flagellaremur; mortuus est: ne æternaliter moreremur. Hinc Paulus ait: In fide vivo filii DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Et alibi: Christus mortuus est pro peccatis. Item Petrus ait: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum. Et Isaias ait: Vulneratus est propter iniquitates, attritus propter scelera nostra, ejus livore sanati sumus. Et apud Joan. Animam meam (inquit) pro ovibus meis pono. Gal. 2. 1. Cor. 15. 1. Pet. 2. Isa. 53. Joan. 10.

Act. 5. De Apostolis cæsis dicitur: Ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliâ affici.

Actor. 7. Stephanus ad lapidatores fuit ità patiens, & benignus: quòd diligentius pro illis, quàm pro seipso orâsse videtur. Nam positis genibus clamavit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Orans autem pro se, non legitur flexisse, nec clamâsse.

Act. 16. Paulus, & Silas positi in duro carcere, media nocte orabant Dominum, & laudabant.

TITULUS CXXV.

Paupertas.

Gen. 28. PAtriarcha Jacob recedens à parentibus suis, & pergens ad Laban fratrem suæ matris, nec animal, nec famulum legitur habuisse, sed in baculo suo transiit Jordanem. Et quadam vice volens requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco.

Exod. 3. Moyses pascebat oves Jethro soceri sui Sacerdotis Madian. Per quod videtur: quòd proprias non habebat, qui pascebat alienas.

Ruth. 2. Ruth Moabitis non magnis divitiis abundabat, quando ibat ad colligendum spicas, quæ metentium manus fugerant, quæ ad manus pauperum pertinebant.

1. Reg. 9. Uno puero contentus Saul, ivit satis longè ad quærendum asinas patris sui. Unde ipse Saul dixit postea Samueli: quòd cognatio sua erat minima inter omnes familias tribûs Benjamin.

1. Reg. 16. & 17. Minimus erat David inter filios patris sui, ità quòd, quando Samuel venit ad inungendum unum ex filiis Isai, David erat in pascuis, nec in principio vocatus fuit, quasi nullius esset reputationis. Deinde: cùm fratres ejus essent in exer-

exercitu, misit eum pater suus onustum victualibus, ad deferendum illis.

Magnam penuriam patiebatur Elias, quando petiit à vidua Sareptana: ut daret ei paululum aquæ, & buccellam panis. 3. Reg. 17.

Filii Prophetarum sub Elisæo in magna paupertate vivebant; qui parum de pane, & insipidum pulmentum habebant. 4. Reg. 4.

Anna uxor Tobiæ ibat ad textrinum opus quotidie. Per quod videtur: illos pauperes fuisse; qui nec ipsum instrumentum ad texendum possent in domo sua tenere. Unde Tobias filio suo dixit: Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, &c. Tob. 2. 4.

Filii Rechabitarum domos non ædificabant: semen non serebant: vineas non habebant: vinum non bibebant: sed in tabernaculis habitabant. Jerem. 35.

De plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan in terra Juda. Pauperibus ergo pepercit: divites, & potentes occidit: vel captivos in Babylonem duxit. Jer. 39.

Exemplum paupertatis amandæ habemus in Domino Salvatore; qui fuit de paupere matre natus: & à paupere fabro nutritus: decenter pastus; fuit pannis non pellibus involutus: & in præsepio inclinatus: & post, in purificatione Virginis gloriosæ, oblationem pauperum parentes pro eo in templo obtulerunt. Luc. 2.

Item citò pòst, Joseph cum puero, & matre ejus fugit in Ægyptum. Matth. 2.

Cùm factus esset puer JESUS annorum duodecim, remansit in Jerusalem, ignorante MARIA, & Joseph. Per quod apparet, quòd magnam familiam non habebant ad associandum puerum, vel ad ei serviendum. Luc. 2.

Circuiens JESUS civitates, & castella, non habebat, ubi caput reclinaret; unde ait: Vulpes foveas habent, &c. Filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Matth. 8.

Joan. 19. Et in fine, nudus appensus est in cruce.

Matth. 4. Discipuli pro majori parte de statu paupertatis fuerunt assumpti: Jacobus, & Joannes reficiebant retia. Et Luc. 5. Lavabant retia.

Luc. 6. In sermone Domini in monte primum ponitur
Matth. 5. commendatio paupertatis: quasi ipsa esset totius spiritualis ædificii fundamentum.

Matth. 11. Inter cætera Christi miracula ponitur unum: quòd pauperes evangelizabantur; eò quòd antè adventum ejus ità fieri non solebat.

Matt. 19. Adolescenti de ingressu ad vitam quærenti dixit Dominus: Si vis esse perfectus, vade, & vende universa, quæ habes, & da pauperibus.

Ibidem. Miram remunerationem promittit Dominus omnia derelinquentibus propter nomen ipsius.

Luc. 16. De illo famoso paupere Lazaro, in sinum Abrahæ ab Angelis deportato, nullum aliud justitiæ opus, vel causam gloriæ scriptura allegare videtur; nisi quòd ipse receperat mala in hac vita mortali. Et ideo DEUS voluit eum consolari in alia.

Luc. 14. Pauperes, & debiles ad cœnam illam Domini magnam fuerunt inducti: imò, & quidam de viis, & sepibus leguntur ibi fuisse compulsi.

Actor. 2. Omnes qui credebant in primitiva Ecclesia, erant pariter, & habebant omnia communia: possessiones, & substantias vendebant: & distribuebant omnibus, prout cuique opus erat.

Act. 3. Petrus dixit claudo pauperi eleemosynam petenti: Argentum, & aurum non est mihi, &c.

Act. 20. Valedicens Paulus fidelibus de Achaja dixit inter cætera: Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi, ipsi scitis. Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.

1. Cor. 4. Esurimus, & sitimus, & nudi sumus. Item: in
2. Cor. 11. fame, & siti, & frigore, &c.

TITU-

TITULUS CXXVI.

Pax, & concordia.

ALia animalia in principio fecit DEUS duplicia, scilicet masculum, & fœminam: Hominem autem fecit unum; & ex illo sunt omnes: & singuli procreati; ut scilicet unitatem pacis, & concordiæ commendaret in homine. Gen. 1.

Divitiæ, & copia rerum temporalium sunt plerumque materia, occasio jurgiorum, sicut apparet de pastoribus Abraham, & Loth, & de Isaac, & pastoribus Geraræ. Gen. 13. & 16.

Gratanter faciunt homines pacem, & ineunt fœdus cum potentibus, & magnis hominibus. Hinc est: quòd Abimelech venit ad Isaac; quando vidit eum prosperari. Gen. 26.

Cedendum est interdum furori majorum: sicut fecit Jacob, recedens à fratre Esau; donec requiesceret furor ejus. Gen. 28.

Audientes Gabaonitæ, quæ fecerat Josue in Jericho, & Hai, venerunt ad eum: & servi ipsius beneplacitam pacem fecerunt. Josue 9.

Phinees, & cæteri legati ad filios Ruben missi, audientes excusationem eorum placati sunt: & verba eorum libentissimè susceperunt. Josue 22.

Quamvis Absalon nimis nequiter contra patrem egisset; tamen David magis volebat pacem, quàm mortem; nam dixit: Estne pax puero Absalon? 2. Reg. 18.

Cùm esset David sanctus, & placens DEO; noluit tamen Dominus, ut ædificaret ei domum, sed filius ejus pacificus isto fuit privilegio honoratus. 3. Reg. 5.

Multùm laudandus est DEUS, quando dat populo statum pacificum, & quietum, sicut fuit tempore Salomonis. Dixit Salomon: Requiem dedit mihi Dominus per circuitum; non est Sathan, nec occursus malus. Sequitur: Benedictus Dominus. Eodem.

3.Reg.14. Boni homines habent pacem ad invicem: ſed mali pugnant contra bonos, contráque malos alios. Unde inter Roboam, & Jeroboam fuit bellum cunctis diebus.

3.Reg.19. Oſtenſum fuit Eliæ: Dominum non eſſe in grandi vento, nec in commotione, nec in igne, ſed in ſibilo auræ tenuis, hoc eſt, in pace.

2.Eſd.11. Benedixit populus omnibus viris, qui ſe ſponte obtulerant; ut habitarent in Jeruſalem.

1.Mach.5. Miſit Jonathas legatos ad Bacchidem, componere pacem cum eo: & tamen ipſe Bacchides fuerat dux exercitûs; in quo occubuit Judas Machabæus frater Jonathæ.

1.Mac.10. Rex Demetrius miſit epiſtolam ad Jonatham, verbis pacificis: ut magnificaret eum; dixit enim: Anticipemus pacem facere cum eo, priusquam fiat cum Alexandro adverſum nos. Recordabitur enim omnium malorum, quæ fecimus in eum.

2.Mac.3. Cauſa pacis, quæ fuit tempore Oniæ, pulchrè deſcribitur: videlicet idoneitas Prælati prudentis, & pii, & bonitas ſubditorum.

2.Mac.11. Poſtquam debellatus fuit Lyſias à Juda Machabæo, libenter fecit pacem cum eo: intelligens enim invictos eſſe Hebræos, DEI omnipotentis auxilio nitentes; miſit ad eos: promiſítque conſentire omnibus, quæ juſta ſunt: & regem compulſurum amicum fieri.

Matth.18. Tantam pacem, & concordiam vult Dominus erga proximos nos habere, ut dixerit Petro: peccanti fratri non eſſe remittendum ſepties, ſed usque ſeptuageſies ſepties.

Luc.2. Pacem annunciaverunt Angeli in nativitate Domini.

Marc.9. Item: diſcipulos Dominus pacem inter ſe habere præcepit.

Luc.10. Pacem juſſit per diſcipulos nunciari.

Joan.14. Luc.24. Pacem eis ante paſſionem reliquit: poſt reſurrectionem eis obtulit.

Qui

Qui desiderat servare pacem, & quietem mentis: abstinere debet à discursibus, etiam interdum valde licitis, & honestis. Unde Martha, ùt audivit: quòd JESUS venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat, nec inde se movit, donec fuit vocata ab ipso Domino per sororem: licèt fortassis non ignoraverit ipsa Maria adventum Domini, quando Martha præscivit. Joan. 11.

Quantum sit pacis bonum, perpendi potest per discretum æstimatorem Beatum Paulum; qui illud tam sollicitè in omnibus Epistolis suis illis, quibus scribebat, optabat; exceptâ illâ ad Heb. in qua nec nomen suum ex certa causa, nec aliquam salutationem præmittit. Nota tamen: quòd dicturus, Pax vobis: præponit gratiam, dicens: Gratia vobis. Pax vobis. Per quod manifestè datur intelligi, quòd sinè gratia DEI pax vera nunquam potest haberi. Unde Isaiæ 47: Non est pax impiis, dicit Dominus.

TITULUS CXXVII.

Peccatum, & ejus pœna.

QUòd peccatum causet in homine erubescentiam, patet per hoc: quòd in statu innocentiæ erant primi parentes nudi, & non erubescebant; post peccatum verò sibi statim operimenta fecerunt. Gen. 2. 3.

Peccatum infamat peccatorem. Unde Adam post peccatum credebat se abscondere à facie Domini. Gen. 3.

Peccatum etiam facit hominem timidum. Unde Adam postquam peccavit, dixit: Timui, eò quòd nudus essem; & abscondi me. Eodem.

Enormitas sceleris clamat pro vindicta ad aures DEI. Ut Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui, &c. Et alibi: Clamor Sodomorum, &c. In pœna temporali punit Dominus peccatum quandoque, ùt patet in Adam, & Eva Gen. 3. In Cain Gen. 4. Gen. 4. & 19.

In Sodomis Cap. 19. Et in filiis Israël multoties. Tum, & Joan. 5. Noli jam peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Exod. 10. Pharao propter peccatum recognoscebat se à Domino flagellatum, dicens: Peccavi in Dominum, & in vos.

Judic. 2. Fecerunt filii Israël malum in conspectu Domini: iratúsque Dominus tradidit eos in manibus diripientium; qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus.

2.Reg. 24 Peccatum ipsum peccantem quiescere non permittit; unde percussit cor David, priusquam numeratus est populus.

3.Reg. 11 Salomonem sapientissimum peccatum infatuavit:
Eccl.47. ipsius etiam famam maculavit. Dedisti maculam in gloria tua, &c.

4.Reg. 8. Postquam Joram rex Juda cœpit ambulare per vias regum Israël pessimas, recessit Edom de eo, & noluit ei tributum solvere consuetum.

4.Reg. 17 Dereliquerunt filii Israël Domini præceptum, & fecerunt sibi conflatiles, servierúntque Baal, &c. Sequitur: Translatus est Israël de terra sua.

4.Reg. 24 Factum est Verbum Domini contra Judam: ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse, quæ fecit propter sanguinem innoxium, quem effudit.

Jerem. 44 Deserta est Jerusalem, & omnes urbes Juda, & non est habitator in eis, propter malitiam, quam fecerunt; ut me ad iracundiam provocarent. Consuetudine, non causaliter allegari debet.

Eodem. Tanta est gravitas peccati: quòd dicitur Jer. Non poterat Dominus ultra portare propter malitiam studiorum vestrorum.

Then 1. Propter peccatum debilitatur homo. Peccavit
3.Reg.11 Jerusalem, propterea instabilis facta est. Unde Jeroboam servus Salomonis ausus est insurgere in Dominum suum, post ipsius peccatum.

Joan. 5. Cùm sanâsset Dominus JESUS hominem languidum,

dum, in grabato jacentem, invenit eum in tem-
p[illegible], & dixit: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.

Mulieri in adulterio deprehensæ, & à Judæis coram Domino accusatæ; dixit Salvator noster: Vade, & amplius noli peccare. Joan. 8.

*TITULUS CXXVIII.

Peccata aliena.

PHarao rex legem tulit: ut Hebræorum infantes statim, ubi nati essent, occiderentur. Mors ergo omnium infantium illi imputatur, licèt eos propriis manibus non occiderit. Exod. 1.

David dedit litteras Uriæ ferendas ad Joab militiæ suæ supremum ducem; quibus imperabat Joab: ut Uriam poneret ex adverso belli, ubi fortissimum esset prælium; & ibi percussus interiret. Quod & factum est. Reprehenditur deinde David: quòd Uriam occiderit; licèt ipse manus non admoverit. 2.Reg.11. 2.Reg. 12 9.

Herodes alienis manibus infantes Bethlemiticos à bimatu, & infra occidi præcepit. Matt. 2.

Caiphas consiliô suô Senatum Judaicum permovit: ut necem Christi decernerent. Joan. 11. 50.

Pilatus propriis manibus Christum non interfecit: reus tamen est ejus mortis; quia illam non impedivit, cùm ratione officii, & auctoritate sua eam impedire potuisset, & debuisset.

Judæi rei sunt mortis Christi: licèt propriis manibus eum non crucifixerint; quia ejus mortem postulârunt, & consenserunt ejus neci. Hinc meritò S. Petrus illis exprobrat: auctorem vitæ interfeciſtis. Act. 3.15.

Cùm lapidaretur Stephanus, Saulus erat consentiens neci ejus: & ideo reus hujus necis, licèt propriis manibus eum non lapidaverit. Act. 7.59.

Peccavit uxor Job, patientissimo viro petulanter insul- Job. 2.9.

insultans; nam, quantum in se erat, eum provocavit: ut in impatientiam erumperet, & Deo malediceret; quòd in miseriis ab eo derelictus esset.

Tob. 2. Eodem modo peccavit uxor Tobiæ, viro objiciens: quòd propter eleemosynas suas, & alia pia opera ad paupertatem, & angustias magnas domûs essent redacti.

Marc. 6. Herodias rea est necis Joannis Baptistæ; nam illius consiliô saltatrix filia innocentissimi viri caput petiit: & nefariè impetravit.

TITULUS CXXIX.

Permissio contra voluntatem.

Gen. 43. JAcob permisit abduci Benjamin filium suum tenerè dilectum non libenter, propter necessitatem victualium, ad instantiam filiorum.

Deut. 24. Moyses permisit dari libellum repudii odiosis uxoribus Judæorum: quia timebat in eis uxoricidium.

2. Reg. 18. Considerato David populo suo, constituit super eum Tribunos, & Centuriones, dixítque rex ad populum: Egrediar, & ego vobiscum. Et respondit populus: Non exibis, quia tu unus pro decem millibus computaris. Melius est ergo; ut sis nobis in urbe præsidio. Ad quos rex ait: Quod vobis videtur, hoc faciam.

1. Mac. 13 Cognovit Simon: quòd Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Jonathæ, & centum talenta argenti; jussit dari tamen argentum, & pueros: ne fortè adversum se inimicitiam populi concitaret.

TITULUS CXXX.

Perseverantia, & constantia in propositis.

NOn est respiciendum retro post egressum de societate malorum; sicut fecit uxor Loth: quæ versa est in statuam, Gen. 19.

Singulis diebus molesta erat Joseph Domina ejus. Et tamen ille perseveranter resistebat operi nefario. Gen. 39.

Nunquam potuit Moyses irasci, aut vinci; quòd vel in Ægypto immolaturus Domino remaneret: vel parvulos, aut jumenta populi dimitteret Pharaoni. Exod. 8. 9 & 10.

Durè reprehensus David à fratre suo majore, & etiam dissuasus à Saule, non destitit ab incepto: sed viriliter pugnavit, & Goliam vicit. 1. Reg. 17

Perseveranter egit Joab in obsidione Rabbath, donec capta fuit civitas. 2. Reg. 12.

Item in prælio contra Absalon. 2. Reg. 18.

Et contra Sebam filium Bochri, in obsidione civitatis Abela. 2. Reg 20.

Quamvis Nehemias in ædificando multa passus fuit impedimenta: non tamen cessavit ab opere; donec murus fuit totaliter constitutus. 2. Esd. 4. 6.

Cùm Tobias semper ab infantia sua timuerit DEUM: non est contristatus contra Dominum; quòd plaga cœcitatis evenerit ei: sed immobilis in DEI timore permansit. Tob. 2.

Eliachim Sacerdos magnus allocutus est omnem Israël, dicens: Scitote, quoniam exaudivit Dominus preces nostras: si manentes permanseritis in jejuniis, & orationibus in conspectu DEI, &c. Judith. 4.

Scire cupiebant famuli regis Assueri, utrum Mardochæus perseveraret in sententia de non adorando Aman? qui ità constanter perstitit in proposito; ut non solùm adorare noluerit, sed nec ei assurgere transeunti. Esth. 4. 5.

So-

Dan. 3. Socii Danielis constanter dixerunt regi Babylonis: Notum sit tibi rex, quòd Deos tuos non colimus, & statuam tuam non adoramus.

Dan. 6. Non dimisit Daniel propter crudele decretum Darii, quin oraret in die, sicut ante consueverat, Dominum suum.

Dan. 13. Constanter restitit Susanna duobus Presbyteris senibus: qui eam tam vehementi pulsatione tentabant.

1. Mach. 1. Multi de populo Israël diffinierunt apud se: ut non manducarent immunda; & elegerunt magis mori, quàm coinquinari immundis.

2. Mac. 6. Miram constantiam, & perseverantiam habuit Eleazarus in tormentis; & magis elegit gravissima morte puniri, quàm contra legem carnes edere porcinas, vel simulare se comedisse.

2. Mach. 7 Septem illi fratres cum pia matre sua bene perseveraverunt usque in finem: nec poterant ad prævaricationem legis adduci blanditiis, aut tormentis.

Luc. 1. Firmissimum virginitatis propositum habuit Beata MARIA Virgo: quæ noluit consentire in conceptione filii, donec intellexit: quòd hoc fieret non opere viri, sed virtute Spiritûs Sancti.

Luc. 14. Ponit Dominus exemplum de illo homine ab aliis illudendo: qui incepit turrim ædificare, nec potuit consummare.

Joan. 9. Cæcus natus, à Domino illuminatus, constanter perseveravit contra Pharisæos veritatem confitens, & defendens.

Actor. 1. Omnes discipuli Domini erant perseverantes in oratione unanimiter cum mulieribus, & MARIA matre JESU.

Act. 4. Principes Judæorum videntes Petri constantiam, & Joannis, comperto quòd homines essent sinè litteris, & idiotæ, admirabantur.

Act. 11. Videns Barnabas, quòd multi Antiocheni erant ad fidem conversi, hortabatur omnes, in proposito cordis permanere in Domino. Pau-

Paulus, & Barnabas suaserunt fratribus: ut permanerent in gratia DEI. Act. 13.

Spiritus Sanctus per omnes civitates protestatur Paulo: quoniam vincula, & tribulationes in Jerusalem sustinere debeat. Sed nihil horum (inquit) vereor; nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me. Act. 20.

TITULUS CXXXI.

Perversitas.

PRima mulier ordinem naturæ pervertit: quando de fructu vetito viro dedit, & ille comedit. Cùm ipse vir eam debuisset docere; quid illa deberet comedere, vel vitare. Gen. 3.

Dominus de spoliis Ægyptiorum ditavit Hebræos: licèt sint multi, qui ditant Ægyptios de spoliis Hebræorum, scilicet usurarii, &c. Exod. 12.

Filii Israël in deserto penuriam patientes dicebant: se super ollas carnium in Ægypto sedisse; sed non faciebant mentionem de gravissima servitute, aut severitate, quâ vexabantur. Exod. 16.

Dicebat populus in deserto: Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis. Cùm tamen tunc servitute gravissima premerentur: nunc liberi in deserto pane Angelorum, cibô sapidissimô sinè labore datô, cœlitus alerentur. Num. 11.

Narrantibus exploratoribus conditiones terræ promissionis, voluit populus contra voluntatem DEI in Ægyptum redire, & nequaquam ultra procedere. Citò verò pòst voluit contra voluntatem Domini nimium festinare. Num. 15.

Vocati Dathan, & Abyron à Moyse, responderunt: non veniemus; Nunquid parùm est tibi, quòd eduxisti nos de terra, quæ lacte, & melle manabat? Num. 16.

Petiit Moyses à rege Edom dicens: Obsecramus, ut nobis transire liceat per terram tuam, Num. 20.

non

non ibimus per agros, sed viâ publicâ gradiemur. Respondit tamen ille: Non transibis per terram, alioquin armatus occurram tibi.

Num. 21. Simile accidit de Seon rege Amorrhæorum: sed quia noluit concedere pauca, amisit multa.

Num. 24. Noluit Balaam maledicere populo, quem credebat benedictionem habere à DEO; sed sunt multi, qui plura mala dicunt de bonis, quàm de malis. Et mirum fuit: quòd qui noluit eos maledicere, voluit eis malefacere. Nam licèt ostendisset ei Dominus, quòd populus Israël erat benedictus; tamen finaliter dedit malum consilium, per quod à mulieribus est seductus.

Judic. 2. Filii Israël audientes mandata Domini, omnia fecêre contraria.

Judic. 12. Viri Ephraim rogati à Jephthe, ut secum veniret ad prælium, noluerunt. Quo post victoriam redeunte, quasi eos non vocâsset, contra eum jurgari cœperunt.

1. Reg. 18. & 19. David psallebat coram Saule à dæmone vexato: & ipsi utiliter serviebat. Et tamen ipse Saul voluit configere eum parieti cum lancea, quam tenebat.

1. Reg. 20. Saul voluit occidere filium suum Jonathan: quia excusabat David innocentem.

1. Reg. 22. Dicebat Saul: servos suos coujurâsse adversum eum, & David insidiari ei, quem etiam ad mortem quærebat; & invenire, vel capere non poterat, &c.

2. Reg. 10. Rex filiorum Amnon videns, quòd injuriam fecisset David, voluit impugnare eum; cùm magis debuisset laborare ad placandum eum.

2. Reg. 13. Amnon filius David Thamar sororem suam violenter oppressam, à se expelli fecit.

2. Reg. 15. Absalon filius David contra patrem malitiosè se movit: & ad concubinas illius videntibus cunctis intravit: ipsum patrem suum vitâ, & regnô privare voluit.

Subli-

Sublimatus à Domino Jeroboam super decem Tribus Israël, statim avertit populum à cultu DEI: & monitus per Prophetam præcepit, eum capi. 3.Reg.13.

Achab rex Juda altare Domini transtulit, & fecit fieri altare ad similitudinem illius, quod viderat in Damasco: & super illud offerri holocausta præcepit. 3.Reg.16.

Idololatria, sortilegia, homicidia, & diversa scelera, quæ commisit Manasses rex Juda, satis narrantur 4. Reg. 21. 2.Par. 33.

Cùm debellâsset Amasias Idumæos, & filios Seir, & tulisset Deos eorum, adoravit eos, & illis adolevit incensum. Propter quod Dominus eum arguit per Prophetam dicentem sibi: Cur adorâsti Deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tuâ? 2.Par. 25.

Achaz rex Juda immolavit victimas diis Damasci percussoribus suis, & dixit: Dii regum Syriæ auxiliantur eis. Quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi. Cùm econtra ipsi fuerint ruina ei, & universo Israël. 2.Par. 28.

Quia unus solus Mardochæus non adorabat Aman superbissimum: ipse Aman procurabat apud regem Assyriorum, omnes Judæos debere interfici. Esth. 3.

Arguente Jeremia Propheta populum pro eo, quòd sacrificabat diis alienis, responderunt: ex eo, quòd cessavimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus: & gladiô, & fame consumpti sumus. Jerem. 44

Principes, & Satrapæ Darii regis Persarum accusaverunt Danielem: quòd tribus temporibus per diem orabat Dominum suum. Dan. 6.

Duo senes Presbyteri, qui viderunt Susannam esse constantissimæ castitatis, debuerant valde eam diligere, & laudare. Ipsi verò econtra detraxerunt ei, & conati sunt, eam condemnare morti: sed Dominus eam mirabiliter per abstinentem puerum liberavit. Dan. 13.

1.Mach. 7 Alcimus impius de gente Judæorum, qui debebat diligere Judam, & fratres ejus: ivit ad regem Demetrium, & quidam alii iniqui ex Israël, dicentes: Perdidit Judas, & fratres ejus amicos tuos: & nos dispersérunt de terra nostra.

2.Mac. 9. Cùm vellet Antiochus civitatem Pentapolim spoliare, fugatus est multitudine ad arma concurrente. Quam injuriam in Judæos voluit retorquere.

2.Mac. 12 Joppitæ crudele flagitium perpetraverunt; rogaverunt enim ducentes Judæos, ut ascenderent naves: qui cùm essent in alto mari, submersérunt eos.

Matth. 11. Nec austerus victus Joannis, nec condecens manducatio Salvatoris placuit Judæis.

Luc. 11. Pharisæi videntes Dominum, dæmonia ejicientem turbis stupentibus, blasphemabant dicentes:

Matt. 12. Hic non ejicit, nisi in Beelzebub Principe dæmoniorum.

Matt. 26. Nimia fuit perversitas in Juda, qui pro 30. argenteis tradidit Salvatorem.

TITULUS CXXXII.

Pœnæ Divinæ.

Gen. 3. GRaviter punivit DEUS peccatum primorum parentum: quòd ipsi credebant veniale, nec ità dure puniendum fore.

Gen. 7. Originali mundo DEUS non pepercit, sed ipsum pene totum diluvii inundatione delevit.

Gen. 19. Quinque civitates propter peccatum Sodomiticum fœtente ignis conflagratione consumptæ sunt per Angelos à DEO missos.

Exod. 14, 15. Ægyptii, persequentes filios Israël, submersi sunt, jubente DEO, quasi plumbum in aquis vehementibus.

Exod. 17. Quia populus Amalech voluit impedire filios Israël euntes in terram promissionis, dixit Dominus

ad

ad Moysen: delebo memoriam Amalech de sub cœlo.

Propter vitulum, quem adoraverunt populi, ce- Exod. 32.
ciderunt una die 23000. hominum.

Egressus est ignis à Domino, & devoravit Na- Levit. 10.
dab, & Abihu filios Aaron: quia arreptis thuri-
bulis ignem alienum, & incensum desuper po-
suerunt: & coram Domino obtulerunt.

Jussit Dominus puerum blasphemum extra castra Levit. 24.
educi: & ab universo populo lapidari.

Carnibus, quas miserat Dominus videntibus filiis Num. 11.
Israël, adhuc existentibus in dentibus eorum,
percussit Dominus populum plagâ magnâ nimis.

Percussit Dominus Mariam leprâ: quia locuta est Num. 12.
contra Moysen.

De sexcentis millibus virorum, qui numerati sunt, Num. 14.
nullus intravit terram promissionis propter eo-
rum peccata, præter Caleb, & Josue: sicut
minatus est Dominus.

Ligna colligens in sabbato, fuit præceptô Domini, Num. 15.
lapidatus.

Terribili morte occidit Dominus Core, & com- Num. 16.
plices ejus.

Hæsitantem ad aquas contradictionis Moysen Do- Num. 20.
minus durè punivit: cùm tamen usque tunc tam
sanctè, & fideliter se gessisset; supple: tam ad
DEUM, quàm ad populum.

Misit Dominus serpentes ignitos in populum: quia Num. 21.
tæduerat eos itineris, & laboris, & dixerunt:
cur eduxisti nos de Ægypto, &c.

Achan filius Charmi cum tota supellectili sua pe- Josue 7.
riit: quia abstulerat de anathemate Jericho.

Pro peccato in uxore Levitæ commisso, tota Judic. 20.
Tribus Benjamin, exceptis sexcentis hominibus,
fuit, Domino jubente, deleta.

Heli peccantes filios corripuit sed leviter: propter 1. Reg. 2.
quod ipse in eis, & cum eis punitus fuit. Quid ergo
de illis, qui filios suos non corripiunt, sed incitant
ad malum verbis, & exemplis?

1.Reg.13. Quia Saul obtulit holocaustum contra mandatum
1.Reg.15. Samuelis, reprobatus fuit. Et quia regem Agag, Amalech, & greges ovium reservaverat.

2.Reg.21. Propter peccatum Saul, puniti sunt illi de domo sua, etiam post mortem ejus: & propter eos facta est fames in terra.

2.Reg.6. Adduccente David arcam Domini super plaustrum, Oza tenuit eam; ne caderet: quia bos lasciviens inclinaverat eam, & percussit eum Dominus super temeritate: & mortuus est ibi.

2.Reg.24. Septuaginta duo millia hominum mortui sunt propter elationem David, quando fecit populum numerari.

3.Reg.13 Vir DEI, qui venit de Juda, & nuntiavit Jeroboam successionem officiorum sacerdotum ejus, occisus fuit à leone; eò quòd contra imperium Domini comedit panem in domo cujusdam Prophetæ.

4.Reg.2. Quadraginta duo pueri, à duobus ursis fuerunt lacerati, pro eo: quòd illuserant Elisæo, dicentes: Ascende calve.

4.Reg.5. Si tam graviter punitum fuit Giezi peccatum, qui accepit munera à Naaman, satis ei voluntariè data: quid erit de illis, qui accipiunt multa fraudulenter exacta, vel violenter extorta?

2.Par.26. Ozias rex Juda cepit thuribulum, & more Sacerdotum voluit adolere incensum: statimque est orta lepra in fronte.

4.Reg.20 Quia Ezechias ostendit thesauros suos nunciis regis Babylonis, amisit eos; cùm tamen illi de terra longinqua veniissent; & videbatur, quòd lætanter recipi debuissent.

4.Reg.25. Populum peculiarem, & dilectum tradidit Dominus in manus Nabuchodonosor, qui totam gentem crudeliter captivavit: sanctam civitatem combussit: & templum destruxit.

Isa. 3. Pro eo, quòd elevatæ sunt filiæ Sion, &c. erit pro suavi odore fœtor: pulcherrimi quoque viri tui gladiò cadent: & fortes tui in prælio. Re-

Reges Babylonis filios Israël crudeliter tractaverunt: postea etiam ipsi cum inclyta civitate sua fuerunt destructi; sicut minabatur Dominus. Isai 14. Jerem. 30. & 51.

Heliodorus fuit graviter flagellatus; eò quòd viduarum, & pupillorum depositа voluit asportare. 2. Mac. 3.

Antiochus rex fuit tam gravi plaga percussus; ut de corpore impii vermes scaturirent: odore etiam illius, ac fœtore exercitus gravaretur. 2. Mac. 9.

Servum nequam, qui noluit dimittere conservo centum denarios, Dominus iratus tradidit tortoribus, quoad usque redderet universum debitum. Matth. 18

Inutilem servum, qui traditum sibi non studuit multiplicare talentum, præcepit Dominus: illo, quod habuerat, spoliari, & in tenebras exteriores ejici. Matth. 25.

Fraus illa, quam commisit Ananias, conscia Saphira uxore sua, gravi fuit ultione punita. Act. 5.

Herodes vestitus veste regali sedit pro tribunali; populus autem acclamabat: DEI voces, & non hominis. Confestim ergo percussit eum Angelus: eò quòd non dedisset honorem DEO; & consumptus à vermibus expiravit. Act. 12.

TITULUS CXXXIII.

Pœnitentia.

QUamdiu mansit Maria extra castra, non processerunt filii Israël. Non enim est bonum ire per desertum hujus vitæ sinè amaritudine pœnitentiæ. Num. 12.

Audiens populus filiorum Israël, Dominum esse iratum, propter murmurationes eorum; luxit nimis: & in mane plus voluerunt facere, quàm Dominus præciperet eis. Num. 14.

Ad vocem Angeli improperantis populo peccanti beneficia DEI, elevaverunt vocem suam: & flevetunt. Judic. 2.

Judic.10. Dixerunt filii Israël ad Dominum: Peccavimus, tu redde nobis, quicquid tibi placet. Et omnia idola projecerunt; Sequitur: Qui doluit super miseriis eorum.

2.Reg.12. Citò pœnituit David, quando Nathan ipsum de crimine reprehendit.

3. Reg.21 Achab rex Israël sceleratissimus cooperuit carnem suam ciliciô: jejunavitque, & dormivit in sacco: & ambulavit demisso capite: & immorata est pœna, dignè illi pro criminibus infligenda.

2.Par. 33. Manasses rex Juda vinctus catenis, & in Babylonem ductus, egit pœnitentiam valde coram Domino. Et reduxit eum Dominus in Jerusalem regnum suum.

1.Esd.10 Lamentante Esdra pro populi peccatis, dictum est ei: Si est pœnitentia in Israël super hoc, percutiam fœdus cum Domino DEO nostro.

Judit.4. Audita terribili potentia Holofernis, sacerdotes induerunt se ciliciis, & ex toto corde omnes orabant Dominum: ut visitaret populum suum.

Judit. 8. Et in laudem Judith dicitur: Quòd habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata, & Neomenias, & festa domûs Israël.

Job. 42. Quamvis Job esset vir simplex, & rectus, timens DEUM, & recedens à malo, tamen dicebat: Ego ago pœnitentiam in favilla, & cinere.

Isa. 22. Instante captivitate Jerusalem dicebat Isaias: Vocavit Dominus in die illa ad fletum, & planctum, & ad calvitium, & ad cingulum sacci.

Jonæ 3. Ninivitæ crediderunt Domino ad prædicationem Jonæ: & prædicaverunt jejunium. Et vestiti sunt saccô, à minore usque ad majorem.

2.Mac.10 Appropinquante exercitu Timothei, Machabæus, & qui cum illo erant, deprecabantur Dominum; caput terra aspergentes: lumbósque ciliciis præcincti: ad altaris crepidinem provoluti; ut eis esset propitius, & inimicus eorum inimicis.

Joan-

Joannes Baptista sanctificatus, antequam ex utero matris natus, à sanctis parentibus educatus, fugit in desertum. Ubi tam austeram vitam duxit, quod dicebatur: Nec comedens, nec bibens, adde, nec se vestiens; quia pili camelorum non sunt vestes humanæ. Matt. 11.

Quàm libenter receperit Dominus peccatores ad pœnitentiam, ex his apparet: quòd prædicationem suam à pœnitentia legitur incepisse. Matth. 4.

Item: ad hoc asserit se venisse, Luc. 5. Et hoc ipsum per opera demonstrabat; exemplô de Maria, Luc. 7. & Matth. ejusdem cap. 9. De Zachæo, Luc. 19. Et de Petro, Matthæi 26.

Item: & per similitudines, quas ponebat de ove, quæ periit in deserto. De drachma, quam mulier perdidit in domo. De filio prodigo, quem pater reputabat mortuum, & postea suscitatum. Luc. 15.

Maria Magdalena exemplar pœnitentiæ, non jussa ad Dominum venit: convivantes non erubuit: retro secus pedes Domini stetit: inter epulas lachrymas obtulit. Luc. 7.

Ut induceret homines ad faciendam pœnitentiam, posuit exemplum de quibusdam, super quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos. Et subdit: Si non pœnitentiam egeritis, omnes peribitis. Luc. 13.

Ad exemplum ovis, quæ periit, vel drachmæ, quam mulier perdidit, sed postea inventa fuerunt, dicit Dominus: gaudium magnum esse in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente. Luc. 15.

Levem, & brevem pœnitentiam injunxit Dominus mulieri in adulterio deprehensæ, dicens: Vade, & ampliùs noli peccare. Joan. 8.

Videns Judas quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. Verum quidem dixit: sed quia desperabat, veniam non meruit. Matt. 27.

Petrus peccavit negando Dominum in atrio Principis Sacerdotum: sed quando flere, & pœnite- Matt. 26. Marc. 14. Joan. 18.

Luc. 22. re voluit, foras exivit. Et nota: quod Lucæ 22. additum est: Conversus Dominus respexit Petrum.

Act. 2. Quæstionibus quibusdam Judæis corde compunctis: Quid facimus viri fratres? ait illis Petrus: Pœnitentiam agite, & unusquisque vestrûm baptizetur.

Act. 11. Auditis rationibus Petri, quare venerat ad Cornelium, & eum baptizaverat; tacuerunt fratres, & glorificaverunt Dominum, dicentes: Ergo & gentibus DEUS pœnitentiam ad vitam dedit.

* TITULUS CXXXIV.

Pœnitentia dilata.

Gen. 25. 34. 27. & Heb 12. 17 ESau abivit parvi pendens, quòd primogenita vendidisset: sed ut demum vidit, quòd benedictio primogeniti data esset fratri suo Jacob; eum pœnituit: irruguit clamore magno; sed serò nimis.

Exod. 8. & seq. Pharao, licèt decem horrendis plagis afflictus, & admonitus, semper tamen in crastinum distulit, & promisit dimissionem populi, sed nunquam, nisi post ultimam plagam, dimisit.

Judic. 1. Adonibezec nunquam pœnituit: quòd septuaginta reges, amputatis manuum, ac pedum summitatibus, sub mensa sua ciborum reliquias colligere coëgisset, nisi postquam ipsi hæc pœna fuit irrogata.

2. Reg. 11. & 12. David, postquam peccavit, novem mensibus impœnitens permansit: & neque tunc cogitâsset de pœnitentia, nisi Nathan Propheta per similitudinem gravitatem peccati sui proposuisset.

1. Mach. 6. Antiochus nullâ unquam pœnitentiâ fuit ductus: quòd tot mala intulerit Judæis, nisi primùm in morte; tunc enim primùm exclamavit: nunc reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem, &c. Sed vana fuit hæc pœnitentia.

Pe-

Petrus Simonem hortatur, ut pœnitentiam agat, & DEUM veniam roget. Sed Simon nil aliud agit, & respondet, quàm hoc: precamini vos pro me ad Dominum. Act. 8.22.

Magdalena statim, ut cognovit, quòd JESUS accubuit in domo Pharisæi; nihil morata, perruptis omnibus difficultatibus, ad eum accurrit: & peccata sua deflet. Luc. 7.

Paulus, quamprimum illi in terram prostrato apparet Christus, statim se convertit ad Dominum, dicens: Domine quid me vis facere? Act. 9.

Ninivitæ ad prædicationem Jonæ, statim agunt pœnitentiam, quam si distulissent, non effugissent intentatam pœnam. Jonæ 3.

* TITULUS CXXXV.

Pœnitentia falsa.

ESau pœnituit de peccato venditæ primogenituræ, sed malè; nam lachrymæ ejus non erant pœnitentiæ, sed animi violenti, & indignationis internæ. Gen. 27.

Pharao, plagis DEI in ipsum sævientibus, dolet, & mira pollicetur: sed ubi Divina manus sit remissior, mutatâ sententiâ relabitur, & denuo divinitus punitur. Exod. 8. & 10.

Pœnituit Adonibezec: quòd septuaginta regibus amputavit summitates manuum, ac pedum. Sed pœnitentia hæc fuit tantùm naturalis, expressa à præsenti calamitate. Jud. 1.7.

Saul, postquam contra præceptum Domini pepercit Agag regi Amalec, & melioribus armentis, dolet, & dicit: Peccavi. Sed, quòd non vera sit pœnitentia, ostendit mox adjunctis, & ad Samuelem prolatis verbis: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël. 1.Reg.15. 30.

Idem flet, & dolet: quòd tanta mala intulerit 1.Reg.24.

David. Sed vanum fuisse dolorem, ostendit subsequens Davidis persecutio pejor priore.

2. Mac. 9. Antiochus rex sceleratissimus, cùm sub vitæ finem gravissimas pœnas lueret ob afflictam à se Judæorum gentem, templum sacrilegè spoliatum, & cœlestis Numinis contemptum; admissa quidem agnovit, deflevit, ac restituere promisit: misericordiam tamen non est consecutus; quia tantùm propter dolores, quibus torquebatur, pœnitentiam egit.

Matt. 27. 3. Judas proditor pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos dicens: Peccavi tradens sanguinem justum. Sed mox abiit; & laqueò se suspendit; quòd evidens erat argumentum falsæ pœnitentiæ.

Act. 8. 18. Simon Magus ostendit quidem, se dolere de attentata Simonia, quando rogavit Petrum, ut DEUM pro peccati sui venia deprecaretur: sed vana fuit pœnitentia, orta ex timore pœnarum temporalium, quas Petrus ipsi est minitatus.

* TITULUS CXXXVI.

Pœnitentium felicitas.

Num. 20. PEccavit Aaron: quia non credidit Domino; dum simul cum fratre suo Moyse jussus est

Exod. 28. è petra aquam elicere. Sed post pœnitentiam à DEO eligitur in summum Sacerdotem.

Num. 12. Maria soror Moysis, pœnitentiam agens de murmuratione contra fratrem, liberatur à lepra: & priori donò Prophetiæ decoratur.

Num. 21. 6 Israëlitæ, pœnitentiam agentes, contra ignitos serpentes remedium consequuntur in serpente æneo: quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.

4. Reg. 6. & 7. Urbs Samaria à Syris obsessa, & ingenti fame oppressa, ob regis cilicio se induentis, & totius populi pœnitentiam mirabiliter liberatur.

2. Reg. 12. David, cùm de peccato suo pœnitentiam egisset,

ex

ex ipsa Betsabea, cum qua prius peccaverat, jam uxore genuit filium sapientissimum, & potentissimum Salomonem.

Achab, cùm ob cædem innocentis Naboth ei exterminium totius suæ domûs ab Elia denunciatum fuisset; egit pœnitentiam: operuit cilicio carnem suam: jejunavítque, & dormivit in sacco: & ambulavit demisso capite. Dixit ergo Dominus ad Eliam: Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus. 3. Reg. 21.

Machabæus, & qui cum ipso erant, appropinquante hostili exercitu, caput terra aspergentes, lumbósque ciliciis præcincti, deprecabantur Dominum, ut sibi propitius esset. Ob hanc pœnitentiam insigni victoriâ contra hostes potiti sunt. 2. Mac. 13. 25.

Vidit DEUS pœnitentiam Ninivitarum, & misertus est super malitiam: quam locutus fuerat, ut faceret eis; & non fecit. Jon. 3. 10.

Matthæus publicanus pœnitens fit Apostolus, & Evangelista. Matt. 9. 9.

Zachæus itidem Publicanus, & pœnitens meretur Christum Dominum hospitiô excipere. Luc. 19.

Magdalenam pœnitentem Christus facit suam discipulam: ad ejus preces Lazarum à mortuis resuscitat: illam prima sui apparitione post resurrectionem suam, multísque aliis gratiis dignatur. Joan. 11. 3 Joan. 20. 11.

Latroni pœnitenti in cruce paradisus à Christo promittitur. Luc. 23. 43.

Petrus, post trinam negationem pœnitens, Princeps Apostolorum, & caput Ecclesiæ constituitur. Joan. 21. 15.

Filius prodigus per pœnitentiam reversus ad patrem, osculô, & conviviô ab eodem excipitur. Luc. 15.

Affirmat Christus Dominus: quòd majus gaudium sit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam Luc. 15. 7.

tiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ.

TITULUS CXXXVII.

Præcepta DEI, & eorum obſervatio.

Gen. 2. PRæceptum leve adimplendum dedit Dominus primo parenti, dicens: Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas. Malè tamen cuſtodivit: & gravem pœnam incurrit.

Ibidem. Mandata DEI, licèt videantur interdum eſſe de re parva, non tamen parvâ diligentiâ ſervanda ſunt: quia puniuntur graviter transgreſſores; unde dixit Adamo: Quacunque horâ comederis de ligno ſcientiæ boni, & mali, morte morieris.

Gen. 7. Fecit Noë omnia, quæ mandaverat ei Dominus.

Num. 15. Recepturi filii Iſraël mandata DEI, juſſi ſunt ſanctificari. Vade ad populum, & ſanctifica eos

Ibidem. hodie, & cras. Unde præcepit filiis Iſraël: ut ponerent vittas hyacinthinas per angulos palliorum, quatenus continuam haberent memoriam cœleſtium mandatorum.

Joſue 1. Specialem monitionem fecit Dominus Joſue de meditatione, & obſervatione legis; quando conſtituit eum Principem ſuper populum.

Num. 23. Balaam Ariolus dixit Balach regi: Nónne dixi tibi, quandocunque mihi DEUS imperaret, hoc facerem: Ecce quantam reverentiam habebat homo malus ad imperium DEI!

Joſue 11. Non prætermiſit Joſue de univerſis mandatis Domini, ne verbum unum.

1. Reg. 15 Saul ſignanter electus, propter transgreſſionem divini mandati, irrevocabiliter eſt rejectus.

1. Par. 22. Rex David inſtruens Salomonem filium ſuum poſt ſe regnaturum, dicebat: Tunc proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata, quæ præcepit Dominus Moyſi. Or-

Ordinante Jojada Pontifice, eduxerunt filium regis, & imposuerunt ei diadema, dederúntque in manu ejus tenendam legem, & constituerunt eum regem. 2. Par. 23.

Cyrus rex Persarum gentilis, Monarcha totius mundi, non verecundabatur dicere: Præcepit mihi DEUS cœli, & terræ, ut ædificarem ei domum in Jerusalem. 1. Esd. 1.

Conquerendo dicit Dominus: Prævaluerunt sermones Jonadab, filii Rechab, quos præcepit filiis suis: ut non biberent vinum; qui obedierunt præcepto patris sui. Ego autem locutus sum ad vos: & non obedistis mihi. Jer. 35.

Meliùs judicavit Susanna, incidere in manus hominum, quàm derelinquere legem Domini: exponens periculo vitam, & famam. Dan. 13.

Duæ mulieres delatæ sunt: natos circumcidisse; quas, infantibus ad ubera suspensis, cùm publicè per civitatem perduxissent, per muros præcipitaverunt. 2. Mac. 6.

Eleazarus vir ætate provectus, duros corporis dolores sustinuit: & tandem occisus fuit; quia carnes porcinas noluit manducare contra legem: nec etiam simulare, se nullatenus manducâsse. Eodem.

Propter legem DEI septem fratres cum matre sua gravia tormenta passi sunt sub Antiocho. 2. Mac. 7.

Parentes Joannis Baptistæ erant incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sinè querela. Luc. 1.

Adolescenti quærenti à Salvatore, quid boni faceret, ut vitam æternam haberet, responsum est ei à Domino: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth. 19.

Ad observandum præcepta Domini, inducant nos aliæ creaturæ, quæ obediunt ei. De bonis Angelis non est dubium: qui sunt ministri ejus facientes voluntatem, & verbum illius; ùt videre licet Psalmo 102. 2. Reg. ult.

De

Luc. 8. De Angelis verò malis: præcipiebat spiritui immundo, ut exiret ab homine.

Job. 9. Item præcepit Soli: & non oritur. Præcepit cor-
3.Reg.17. vis: ut pascerent Eliam; & fecerunt.

Psal. 148. Generaliter dicit Psalmus: Præceptum posuit, & non præteribit. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.

* TITULUS CXXXVIII.

Præsentia DEI.

Gen.4. 8. CAin ad patrandum fratricidium locum solitarium quærit; quasi DEUS ubique præsens ibi eum non videret. Sed malò suò expertus est, scelus suum à DEO visum fuisse.

Gen.5. 22 Henoch fuit tam sanctus, & placuit DEO: quia ambulavit cum DEO.

Gen.6.9. Noë vir justus, atque perfectus cum DEO ambulavit.

Heb. 11. 27. De Moyse testatur S. Paulus: invisibilem tanquam videns sustinuit. Hoc est: ità DEUM sibi semper habuit præsentem, ac si oculis eum videret. Inde ejus sanctitas.

Gen. 17.1 Abraham vitam duxit tam sanctam: quia obsecutus est illi DEI imperio: ambula coram me, & esto perfectus.

3.Reg.17. 1. Elias de se affirmat: quòd semper in præsentia DEI versetur; ait enim: vivit Dominus DEUS Israël, in cujus conspectu sto.

Ps. 15. 8. David de se testatur: Providebam Dominum in conspectu meo semper. Hinc vixit tam sanctè.

Ps. 53. 5. Idem injustas persecutiones suorum hostium adscribit oblivioni præsentiæ DEI, dum ait: non proposuerunt DEUM ante conspectum suum.

Dan. 13. Duo senes Susannam ad flagitium sollicitant: quia DEI præsentiam è memoria excluserunt; declinaverunt enim oculos suos, ut non viderent cœlum; & dicunt ad Susannam: Ecce nemo nos videt.

Con-

Contra Susanna gravissimam tentationem vicit memoriâ præsentiæ DEI roborata; respondit enim senibus: meliùs est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Ibidem.

Judas Machabæus, & qui cum eo erant, invocato DEO, per orationes congressi sunt cum hoste; manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes: prostraverunt non minus triginta quinque millia, præsentiâ DEI magnificè delectati. 2. Mac. 15. 26.

Petrus præsente Christo sibi timens, increpatur: modicæ fidei quare dubitâsti? Matth. 14. 31.

Christus Dominus ante suam ascensionem in cœlum, ut discipulis suis solatium simul, & robur ad sustinendos Apostolicos labores relinqueret; ait ad illos: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth. 28. 20.

S. Stephanus ex præsentia Christi Domini, quem in tormentis vidit gloriosum in cœlo, mirificè ad sustinendum martyrium fuit confortatus. Act. 7. 55.

TITULUS CXXXIX.

Principes, & Superiores boni.

BOnus Prælatus Moyses multoties intravit ad Pharaonem pro causâ populi, ut eum liberaret de Ægyptiaca servitute. Exod. 6. 7 & sequ.

Populum timentem Moyses confortabat dicens: Nolite timere; Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Ore quidem verba dicebat: sed corde Dominum exorabat, sicut apparet ibi. Exod. 14.

Clamabat pro populo ad Dominum Moyses: quando murmurabat populus contra eum. Exod. 15.

Omnia debet retorquere ad Dominum bonus Prælatus. Unde dicebat Moyses: Nec est contra nos murmur vestrum, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus? Exod. 16.

Cùm

Exod. 17. Cùm pugnaret Ismaël contra Amalech, non ivit Moyses ad prælium, sed tantum Josue misit famulum suum; & tamen erat ex parte ipsius justissimum bellum: ipse verò stans in vertice collium, ad orandum Dominum se convertit.

Exod. 24. Recessurus à populo Moyses, & iturus ad montem, bonos vicarios reliquit: videlicet Aaron, & Hur.

Exod. 32. Videbatur velle Dominus confundere, & delere populum peccatorem: & promittebat Moysi magnum statum, & honorem. Et tamen Moyses pro populo suo instanter orabat. Et nota: quanta severitate populum punivit, pro quo DEUM tamen instanter orabat.

Num. 7. Moyses distribuit Levitis duodecim boves, & septem plaustra, quos obtulerant Principes Tribuum filiorum Israël; sed nihil dederat filiis Caath, licèt essent magis propinqui; quia propriis humeris omnia portare debebant.

Num. 11. Desiderabat Moyses: quòd omnes de populo prophetarent: licèt honor suus minui videretur.

Num. 14. Post reditum exploratorum dixit Dominus ad Moysen: Quousque detrahet mihi populus iste? Feriam ergo eos pestilentiâ: te quoque faciam Principem super gentem magnam, & fortiorem, quàm hic est. Sed noluit Moyses ad majorem transferri prælationem.

Num. 16. Pereunte populo pro murmure, & tumultu, quem faciebant contra Moysen, & Aaron: dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum: pergens citò ad populum, ut roges pro eis.

Num. 27. Moriturus Moyses sollicitè rogavit Dominum: ut populo de duce idoneo provideret. Nullum verò in speciali voluit nominare.

Josue 24. Servierunt Israël Domino cunctis diebus Josue &c. Bonus enim Prælatus multum confert ad populum in via Domini dirigendum.

Sa-

Samuel judicabat Isrël: & ibat circumiens Bethel, & Galgala, & Masphat; ut homines, qui eo indigebant, facilius possent ad ipsum habere accessum. 1. Reg. 7.

Dixit Samuel ad populum: Absit à me hoc peccatum: ut cessem orare pro vobis, & docebo vos viam rectam, & bonam. 1. Reg. 12.

Videns David Angelum percutientem populum, obtulit se pro eo percutiendum. Vertatur, inquit, obsecro, manus tua contra me, &c. 2. Reg. 24.

Audivit omnis Israël judicium: quòd judicâsset rex Salomon de duabus mulieribus: & timuerunt Regem, videntes sapientiam DEI esse in eo. 3. Reg. 3.

Signum est: quòd Dominus diligit populum, quando dat ei bonum Prælatum. Unde regina Saba dixit: Quia diligit DEUS Israël: idcirco posuit te regem supra eum; ut facias judicium, atque justitiam. 2. Par. 9.

Volens Dominus tradere regem Syriæ in manum regis Israël, mandavit ei per Prophetam: quòd ipse rex debebat incipere præliari. 3. Reg. 20.

Quamdiu vixit Jojada Pontifex: Joas rex Juda fuit bonus; quo mortuo, multa mala fecit. 4. Reg. 12.

Ezechias rex Juda fecit serpentem æneum confringi: eò quòd esset populo idololatrandi occasio. 2. Par. 24.

Josaphat rex Juda constituit judices super populum: & eos valde fideliter, & prudenter instruxit. Videte, inquit: quid facitis. 4. Reg. 18. 2. Par. 19.

Perrexerunt cursores cum epistolis, ex regis imperio Ezechiæ, & Principum ejus, in universum Israël, & Judam, prædicantes: Revertimini ad Dominum, &c. 2. Par. 30.

Orante Esdra, & flente pro transgressione populi, collectus est ad eum cœtus magnus virorum, ac mulierum: & flevit populus multo fletu ad exemplum ejus. 1. Esd. 10.

Auditâ Holofernis potentiâ, Eliachim magnus Judith. 4.

Sacerdos circumivit omnem Israël, allocutus eos, dicens: Scitote, quoniam exaudivit Dominus preces nostras: sicque populum bonis exhortationibus confortabat.

Isa. 22. Bonus Prælatus debet esse quasi bonus pater populi sibi commissi. Nam de Eliachim, quem constituit Dominus loco Sobnæ Præpositi, dicitur apud Isa. Erit quasi pater habitantium in Jerusalem.

1. Mac. 9. Mortuo Juda Machabæo, emerserunt iniqui in omnibus finibus Israël, & exhortati sunt omnes, qui operabantur iniquitatem: In diebus aliis facta est fames, &c.

1. Mac. 12 Cùm crederetur occisus Jonathas à Tryphone: quæsierunt omnes gentes, quæ erant in circuitu Judæorum, conterere eos. Dixerunt enim: Non habet Principem adjutorem; nunc ergo expugnemus eos: & tollamus de hominibus memoriam eorum.

2. Mach. 3 Causa pacis, & boni status sanctæ civitatis, pulchrè dicitur fuisse prudentia, & pietas Oniæ, summi Sacerdotis, & bonitas subditorum.

Ibidem. Bene restitit Onias Heliodoro, volenti spoliare templum, & depositа viduarum, & pupillorum auferre.

Joan. 10. Salvator noster Dominus JESUS, ubi se bonum Pastorem dicit, statim causam subjungit, dicens: Bonus pastor animam suam dat pro ovibus. Et post pauca: Animam meam pro ovibus meis pono. In quo dat intelligere: quid exigatur ad hoc, quòd aliquis bonus pastor vocari mereatur.

Joan. 21. Quando Salvator noster post Resurrectionem suam voluit gregem Ecclesiæ Petro committere, primò probavit eum, dicens: Simon diligis me plus his? Et nota: quòd examinavit eum de dilectione, non de cognitione. De practica verò, non de Theorica: de facto verò, non de jure. Item: non solùm interrogavit simpliciter; an eum dili-

diligeret? sed ter dicit: Si diligis me. Addit ter: Pasce oves meas; non tonde: vel occide. Bonus enim Prælatus commissum sibi gregem debet pascere verbô, & exemplô, & temporali subsidiô.

Videns Petrus Judæos admirantes, & malè de discipulis sentientes, levavit vocem, & locutus est eis: Viri Judæi, &c. Ubi gregem suum constanter defendit: & adversarios salubriter superavit. Act. 2.

Considerari potest hìc de Paulo Apostolo eximiæ bonitatis Prælato. Ad bonum enim Prælatum specialiter, & summè pertinet dilectio, quam habere debet ad subditos; sicut diligebat Pastor ille optimus Princeps pastorum, qui posuit animam suam pro ovibus suis; qui cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos. Paulus autem mirô modô ea dilectione fervebat. Unde dicebat: Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris: licèt plus vos diligens, minus diligar à vobis. Et ad Philippen. 4. Fratres mei charissimi, &c. 2. Cor. 12. Philip. 4.

Iterum debet in eo esse scientia scripturæ. Eligite lumen sapientiæ, quod prosit populis; alioquin quomodo posset lepram à non lepra discernere, vel commissum sibi populum judicare? Ipse verò Paulus de divinis, & humanis excellentissimam cognitionem habebat; qui parvulis in Christo lac potum dabat: & inter perfectos sapientiam loquebatur. Quippe qui fuit raptus usque ad tertium cœlum: & audivit arcanâ verbâ, quæ non licet homini loqui. Ibidem. Sap. 6. 1. Cor. 2. 3 2. Cor. 12

Ex amore vero subditorum, & notitia scripturarum sollicitudo in Præsidente causatur, qui præest in sollicitudine. Qua quidem sollicitudine Paulus erga proximos ardentissimè fungebatur, propter quod ait: Præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Rom. 12. 2. Cor. 11.

Coloſ. 2. Eccleſiarum. Item & alibi: Volo ſcire, qualem ſollicitudinem habeam pro vobis. Ex prædictis tribus debet ſequi inſtructio imperitorum. Unde promittit Dominus Jerem. 3. Dabo vobis Paſtores juxtà cor meum, qui paſcent vos ſcientiâ, & doctrinâ. Et juxta id, quod dixit Artaxerxes Eſdræ, & judicibus populi: Imperitos docete liberè. Et hoc profectò liquet feciſſe Paulum Doctorem gentium: qui verbô, vel ſcriptô docuit univerſum mundum. Doctor gentium in fide, & veritate. Et 2. Corinth. ſecundô: Odorem notitiæ ſuæ DEUS per nos manifeſtat in omni loco, &c. Et ad hæc quis tam idoneus?

Jer. 3.

1. Eſd. 7.

1. Tim. 2.

2. Cor. 2.

1. Cor. 11. Debet etiam bonus Prælatus officia diſponere inter ſubditos, & ordinare: ſicut Moyeſes, qui conſiliô Jethro inſtituit in populo Centuriones quinquagenarios, & decanos. Paulus quoque in Eccleſia ſimilia faciebat. Cætera cùm venero, diſponam. Propter quod dicebat Tito: Hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut, quæ deſunt, pergas corrigere, & conſtituas oppidatim Presbyteros, ſicut ego tibi ordinâram.

Exod. 18.

Tit. 1.

Exo. 14. Item: debet puſillanimes, & timidos animare, ſicut fecit Moyſes, quando dixit populo paveſcenti: Nolite timere, Dominus pugnavit pro vobis. Et hoc utique Paulus optimè faciebat. Epheſios 6. Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus, & induite vos armaturam DEI &c. Idem: Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſùs ſemetipſum contradictionem, ut non fatigemini animis veſtris deficientes.

Heb. 12.

2. Mahc. 3. Item: in bono Prælato debet eſſe defenſio oppreſſorum, ſicut Onias ſummus Sacerdos, qui conſtanter reſtitit Heliodoro, volenti templum Domini ſpoliare. Quam viriliter autem Paulus reſtiterit Pſeudo-Apoſtolis Judæis, patet in Actibus.

bus. Et ad Corinth. In quo quis audet, audeo & ego: Et ideo dicebat: se pugnare. Sic pugno, non quasi aërem verberans. Et ad Timoth. quartô: Bonum certamen certavi: cursum consummavi: &c. 2.Cor.11. 1.Cor.9.

Praterea debet esse consolator afflictorum, velut Eliachim, cùm Holofernes Bethuliam obsedisset. Paulus autem non erat inferior in hac parte; unde ait: Benedictus DEUS, & Pater Domini nostri JESU Christi, qui est Pater misericordiarum, & DEUS omnis consolationis, consolans nos in omni afflictione nostra; ut possimus consolari eos, qui sunt in quavis afflictione. Et ad Hebræos: Rogo vos fratres, ut sufferatis verbum solatii. Verba enim consolatoria habuit maximè ad Philipp. & Thessal. ùt patet intuenti. Judith. 4. 2.Cor.1. Heb.13.

Debet insuper bonus Prælatus, pigros, & tepidos excitare; quod fecit Patriarcha Jacob: qui audiens, quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare negligitis? Et hoc strenuus, & vigil Paulus optimè noverat facere, ad Roman. Hora jam est, nos de somno surgere. Et ad Ephes. Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et ad Timoth. Commonefacio te: ut resuscites gratiam DEI, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Gen.42. Rom.13. Ephes. 5. 2.Tim.1.

Idem debet indigentibus pro possibilitate sua, quantum ad necessaria, subvenire. Exemplum est de hoc in Elisæo: qui quinque panes fecit distribui filiis Prophetarum. Quod & Paulus diligenter implebat, memor illius verbi: Beatius est magìs dare, quàm accipere, prout ipse refert. Cùm verò non habebat, quod dare posset, ab aliis sollicitè procurabat: & hoc optimè apparet ad Corinth. De collectis autem, &c. Et alibi: Qui parcè seminat, parcè & metet. 4.Reg.4. Act. 20. 1.Cor.16 2.Cor.9.

Item ad eum pertinet, superbos, & tumidos re- Num.16.

frœnare, & humiliare. Quod volens facere Moyſes, increpando dicebat: Multum erigimini
1.Reg.15. in filiis Levi. Samuel etiam dixit Sauli: Quare non audiſti vocem Domini? &c. In hac ergo
1.Cor 4. arte Paulus erat valde peritus. Unde ait: Perinde quaſi non venturus ſim ad vos, inflati ſunt quidam; ſed veniam brevi ad vos, ſi Dominus voluerit; & cognoſcam: non ſermonem ipſorum, qui inflati ſunt, ſed virtutem. Et alibi:
1.Tim.6. Divitibus in præſenti ſæculo præcipe: ne elatô ſint animô.

1.Reg 7. Rurſus etiam bonus Prælatus diſtantes, & ad eum accedere non valentes debet perſonaliter viſitare. Quod bene Samuel adimplebat: qui ibat circumiens Bethel, & Galgala, & Maſphat, & ju-
Rom. 15. 1.Cor.9. dicabat Iſraël. Et quis hoc unquam exercuit, ſicut Paulus, qui ab Jeruſalem usque ad ultimum mare replevit Evangelium Chriſti? Ità quòd vitam ſuam quendam curſum nominavit.
2.Tim.4. Et ſic curro, non quaſi in incertum. Et iterum: Curſum conſummavi.

Exod.32. Item: debet delinquentes, & transgreſſores punire, ſicut fecit Moyſes, quando populus vitulum conflatilem adoravit. In hac etiam parte Paulus negligens non erat, ſed dicebat: Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia
2.Cor.10 DEO, &c. Sequitur: In promptu habemus
1. Cor.4. vindictam adversùs omnem inobedientiam. Et: cum virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu lenitatis?

Num.16. Item: bonus Prælatus debet contumaces de populo, & peſtiferos extirpare: ſicut fecit Moyſes de Core, & his, qui adhæſerunt illi: Tu, inquit: & omnis cognatio tua ſtate ſeorſum. Deinde dixit ad alios: Recedite à tabernaculis horum hominum impiorum. Paulus de illo, qui
1.Cor.5. tenebat novercam ſuam, ait: Ego judicavi tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis.

Et

Et post: Expurgate vetus fermentum. Hymenæum, & Alexandrum tradidit Sathanæ, ut discerent non blasphemare. 1.Tim. 1.

Postremò debet pro universis orare, sicut faciebat Moyses. Is orabat Dominum. Et Samuel: Absit à me hoc peccatum, ut cessem orare pro vobis. Exod. 32. 1.Reg. 12.

Hoc autem Paulus diligentissimè adimplevit. Sinè intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Et Thessal. Oramus semper pro vobis, ut DEUS dignetur vos vocare, &c. Item hoc ipsum fieri hortabatur, dicens: Obsecro, ut ante omnia fiant deprecationes pro omnibus hominibus, pro regibus, &c. Rom. 1. 2.Thes. 1. 2.Tim. 2.

TITULUS CXL.

Principes, & superiores mali.

Præcepit Dominus Moysi, dicens: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulum. Num. 25.

Dixit Moyses ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? (quasi diceret) Multum peccat Prælatus in subditos: quando eorum pravæ acquiescit voluntati. Exod. 24.

Malè corripuit Heli filios suos: quòd multùm displicuit Domino. Et tamen corripuit eos verbo: sed lentè, non viriliter, & severè. Quid ergo de illis, qui malis favent, vel qui dant eis occasionem peccandi. 1.Reg. 2.

Etiam malis Prælatis debent deferre subditi, sicut David, qui percussit cor suum, quòd præciderat oram chlamydis Saulis, nec aliquid mali voluit facere ei. 2.Reg. 24.

Totum pondus prælii versum est in Saul: unde cecidit in prælio, & occisus est. 1.Reg. 31.

Propter peccatum, quod commisit David in nume- 2.Reg. 24.

ratione populi, mortui sunt ex populo septuaginta millia virorum.

3.Reg.12. Quia Roboam populum nimis gravare voluit, magnam partem ejus amisit.

Ibidem. Occasionem dedit Roboam populo recedendi à cultu DEI, quando vitulos fecit, & adorari eos præcepit,

3.Reg.18. Propter malos Prælatos subditi interdum temporaliter affliguntur. Unde Elias dixit Achab: Tu conturbas Israël, & domus patris tui.

3.Reg.22. Rex Syriæ præcepit Principibus curruum suorum: Non pugnabitis contra majorem, vel minorem quempiam, nisi contra regem Israël. Solus autem ille erat Achab nequissimus.

2.Par. 33. Manasses seduxit Judam, & habitatores Jerusalem; ut faceret malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus à facie filiorum Israël.

Isai. 1. Malorum Prælatorum in Jerusalem habitantium peccata expressit Isaias dicens: Principes tui infideles sunt: socii furum: sequuntur munera: diligunt retributiones.

Isai. 14. De Nabuchodonosor Principe pessimo dicitur: Tu terram tuam disperdisti: tu populum tuum occidisti, &c.

Isai. 22. Sobna Præpositus templi credebat in Jerusalem diu vivere, & moriturus honorificè sepeliri. Sed mandavit Dominus ei: quid tu hic, aut quasi quis hic? Post pauca sequitur: Expellam te de statione tua. Et ille videtur fuisse de his, qui dicebant paulò ante: Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.

Jer. 38. Sedecias rex Juda dixit Principibus Jeremiam occidi petentibus: Ecce in manibus vestris est; non enim fas est regem vobis quicquam negare.

Ezec. 13. Contra malos Prophetas, & Prælatos dixit Dominus per Ezechielem: Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini.

Malis

Malis Prælatis Dominus per Ezechielem terribiliter comminatur, dicens: Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos. Nonne greges pascuntur à Pastoribus? Statim describit malorum actus Pastorum. Lac, inquit: comedebatis: & lanis operiebamini: & quod crassum erat, occidebatis: & ægrotum non sanâstis: quod fractum erat, non alligâstis: quod infirmum fuit, non consolidâstis: & quod abjectum erat, non reduxistis: quod perierat, non quæsivistis: sed cum austeritate imperabatis eis; &c. Ezec. 33.

Mali fuerunt illi Presbyteri, qui condemnaverunt Susannam ad mortem: eò quòd noluit consentire eis; cùm ex hoc magìs meruisset laudari. Dan. 13.

Rex Demetrius Alcimum proditorem impium constituit in Sacerdotio: & mandavit ei, facere ultionem in filios Israël. 1. Mach. 7.

Elegit Bacchides viros impios: & constituit eos Dominos regionis; & expugnavit amicos Judæ: & adducebant eos ad Bacchidem. 1. Mac. 9.

Jason frater Oniæ, qui summum Sacerdotium emit ab Antiocho, statim ut obtinuit Principatum, ad gentilem ritum Contribules suos transferre cœpit. 2. Mac. 4.

Proprietates malorum Prælatorum tangit Dominus JESUS. Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, &c. Dicunt, & non faciunt: alligant onera gravia. Clauditis, addidit, regnum cœlorum ante homines, & vos non intratis, &c. Ex novo Testam. Matth. 23.

Et apud Joannem: Mercenarius, & qui non est Pastor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. Non pertinet ad eum de ovibus, sed curat tantum de pellibus. Joan. 11.

Sciebat Pilatus: quòd Judæi per invidiam Dominum tradidissent; sciebat: eum esse innocentem; & tamen propter favorem populi, & timorem Cæsaris, tradidit eum voluntati eorum. Matt. 27. Joan. 19.

Act. 4. Principes Sacerdotum vocantes Petrum, & Joannem, denunciaverunt; ne omnino loquerentur: nec docerent in nomine JESU.

Act. 5. Videns Princeps Sacerdotum multa signa per Apostolos fieri, exurgens ipse, & omnes, qui cum eo erant, injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia sua publica. Angelus autem Domini per noctem eduxit eos. Tunc abiit Magistratus cum ministris, & adduxerunt illos; & post multa consilia vocaverunt Apostolos: & cæsis denunciaverunt: ne amplius loquerentur in nomine JESU.

Act. 6,7. Raptus fuit Stephanus à Judæis, & adductus in Concilium. Cùm plura objicerent ei Principes Sacerdotum, dixerunt ei: Si hæc ità se habent? Qui cùm fideliter se excusaret, & duritiam Judæorum acriter increparet, lapidatus est ab eis, præfatis Principibus nullam dispicentiam ostendentibus.

Act. 16. Quidam homines habentes puellam, à qua Paulus ejecit spiritum Pythonicum, accusaverunt eum: & Sylam ejus socium, quòd ipsi civitatem turbabant. Magistratus autem, sinè aliqua probatione, fecerunt Paulum, & Sylam virgis cædi, & in carcerem durum mitti.

Act. 23. Productus Paulus in Concilium cœperat rationabiliter loqui: sed ad primum verbum, quod dixit, Princeps Sacerdotum fecit eum percuti. Tunc Paulus dixit: Percutiet te Dominus paries dealbate: & tu sedens judicas secundùm legem, & contra legem jubes me percuti?

Act. 25. Malos Præsides, & iniquos habuit Paulus, Felicem, & Festum; qui volebant gratiam Judæis præstare: & idcirco compulsus est Cæsarem appellare.

TITU-

TITULUS CXLI.

Proditio.

PAtiente Saule vexationem à dæmone, David coram ipso psallebat: & ille nisus est eum configere parieti cum lancea, quam tenebat. 1.Reg.19.

Saul promisit, se daturum filiam suam David: ut per hanc occasionem posset à Philistæis occidi. 1.Reg.18.

Salvavit David habitatores Ceilæ ab exercitu Philistinorum oppugnantium civitatem. Et tamen voluerunt, eum tradere Saul æmulo, ipsum ad mortem persequenti. 1.Reg.23

Postquam Saul fleverat, quasi doleret de persecutione David, & David ei juraverat, persecutus est David ità nequiter, & acriter, sicut priùs fecerat. 1.Reg.24.

Urias detulit ad Job, ex parte David, literas mortis. 2.Reg.11

Amnon filius David vocaverat sororem Thamar, quasi de manu illius cibum sumere deberet. Et postea oppressit eam. 2.Reg.13.

Vocavit ad convivium Absalon Amnon fratrem suum: & ibidem occidit eum. Ibidem.

Cùm salutâsset Joab Amasam, quasi osculari eum vellet; percussit eum in latere, & effudit intestina illius. 2.Reg.20.

Zambri, dux mediæ partis equitum, occidit Hela Dominum suum: & regnavit post eum septem diebus tantùm. Obsessus enim fuit, & succendit se, & palatium, in quo erat. 3 Reg.16.

Sellum filius Jabes conjuravit contra Zachariam regem Israël Dominum suum, & interfecit eum: & regnavit post eum uno mense tantùm. 4.Reg.15

Cùm oraret Sennacherib in templo DEUM suum, duo filii sui percussérunt eum: sed tamen neuter eorum regnavit post eum. 4.Reg.19

Qui-

2. Esd. 6. Quidam inimici Nehemiæ voluerunt fœdus cum eo malitiosè componere; & cogitabant ei facere malum: dederunt etiam pretium; ut eum ducerent in peccatum.

Esth. 2. Duo janitores regis Assueri, qui in primo limite palatii residebant, voluerunt in regem insurgere, & ipsum occidere.

4Reg.ult. Venit Ismaël filius Nathaniæ, & comederunt cum Godolia, quem præfecerat rex Babylonis terræ Judæ. Et post prandium surrexerunt, & interfecerunt eum, qui nihil mali voluerat credere contra illos.

1.Mac. 1. Antiochus rex misit tributorum Principem in civitates Juda, & venit in Jerusalem, & locutus est illis, qui erant intus, verba pacifica in dolo; & crediderunt ei: & irruit super civitatem repente.

1.Mach.6. Cùm obsideret Antiochus Eupator Jerusalem, nec posset eam capere, misit ad illos, qui intus erant, pacem facere, & receperunt illam. Juravítque eis rex: sed rupit citius juramentum.

1.Mac.11. Ptolomæus rex Ægypti quærebat obtinere regnum Alexandri generi sui dolô. Et cùm intrâsset civitates Alexandri cum magno exercitu, & reciperetur in eis honorificè: de mandato Alexandri ponebat custodias militum in eis.

1.Mac.12. Videns Tryphon, quòd Jonathas venit cum exercitu multo, jussit retineri paucos, & alios remitti. Et cùm factum fuisset, captus est Jonathas cum mille, quos retinuerat, & alii sunt reversi.

1.Mac.13. Cùm ambularet Tryphon cum rege Antiocho adolescente domino suo, dolô occidit eum: & regnavit loco ejus.

1.Mac.16 Ptolomæus filius Abobi, gener summi Sacerdotis, fecit convivium Simoni, & duobus filiis ejus. Et cum inebriati essent, occidit eos.

2.Mach.5. Cùm venisset Appollonius Jerosolymam, simulans

lans quievit usque ad diem sabbati, & tunc, feriatis Judæis, ingentem multitudinem peremit.

Audiens Judas Machabæus, quòd illi, qui obsederant turres, ubi erant inimici gentiles, pecuniam acceperant, & quosdam abire permiserant, illos tanquam proditores, & fratrum venditores interfecit, & confestim turres occupavit. 2.Mac.10.

Omnes alias proditiones in nequitia, & perversitate superat illa, quam facinorosissimus Judas contra Dominum procuravit. Qui Dominum, & Magistrum suum vendidit pro tantillo pretio. Etiam in manus hostium tradidit osculando. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 18.

Accesserunt quidam Judæi ad Principem Sacerdotum, & seniores, dicentes eis, ut facerent, quòd Tribunus Lysias, qui Paulum tenebat vinctum, adduceret illum in medium, tanquam si essent de eo aliquid certius cogniturí. Ipsi verò parati statim erant interficere illum. Actor.23.

TITULUS CXLII.

Prosperitas mundana.

ABundantia rerum temporalium sæpe fit multorum occasio peccatorum: sicut in illa regione, quæ irrigabatur sicut paradisus, in qua habitabant Sodomitæ pessimi. Gen. 13.

Gedeon, cùm parvus homo esset, & in area frumentum excuteret, bonus fuit, & eum Angelus Domini visitavit: post obtentam victoriam malè se habuit. Judic. 8.

Saul antequam rex esset, bonus fuit: at postquam regni gubernacula susceptt: intumuit: & mandatum Domini præterivit. 1.Reg.15

Post multa bella, & victorias de inimicis obtentas, David remanens quietus in Jerusalem, commisit adulterium: & exinde secutum est homicidium. 2.Reg.11.

Occasione multitudinis subditorum David in su- 2.Reg.24.

per-

perbiam elatus est: & fecit populum numerari. Sed nota: quàm graviter fuerit punitus.

3.Reg.10. Non erat argentum alicujus pretii in diebus Salomonis, quia tanta erat in Jerusalem argenti
3.Reg.11. abundantia, quanta est lapidum. Sed nota: quàm mirabile, & quàm terribile fuit, quòd plus nocuit ei rerum copia, quàm profuit tanta sapientia.

3.Reg.12. Antequam Jeroboam haberet dominium super decem Tribus, non legitur fuisse malus, sed magis adolescens bonæ indolis, & industrius: statim verò, ut regnum adeptus est, fecit vitulos aureos, & vertit populum à DEO, ne averteretur ab eo.

4.Reg.14 Amasias rex Juda debellavit Edom: & inde elevatum est cor ejus, & voluit contra Joas regem Israël præliari: sed malè succesſit ei.

2.Par.12. Cùm roboratum fuisset regnum Roboam, & confortatum: dereliquit legem Domini, & omnis Israël cum eo.

2.Par.26. Cùm roboratus esset Ozias rex Juda: elevatum est cor ejus in interitum suum. Ingressúsque in templum adolere voluit incensum.

2.Par.33. Manasses rex in Jerusalem fuit pessimus: postea in Babylone vinctus, & coangustatus oravit Dominum: & egit pœnitentiam valde coram Domino.

2.Esd.9. Comederunt, & saturati sunt, & impugnati, & abundaverunt deliciis in bonitate magna: provocaverunt autem te ad iracundiam.

Tob.1.2. & 11. Quandoque mundana prosperitas multum multiplicat carnales amicos, & congregat, quos adversitas sæpe fugat. Unde Tobia à cœcitate sanato, & ditato, venerunt consobrini ejus ad eum, gaudentes, & congratulantes ei; quod non leguntur feciſſe: quando prius erat cœcus, & uxor ejus ibat ad textrinum opus.

Judith 1. Post victoriam obtentam de Arphaxat rege Me-

do-

dorum, exaltatum est regnum Nabuchodonosor regis Assyriorum: & cor ejus elevatum est.

Quamvis Aman esset secundus à rege potentissimo Assuero, & haberet multas divitias, & filios, & amicos; ità tamen torquebatur ex eo: quòd Mardochæus ei genua non flectebat, quasi nihil haberet. Nota brevitatem illius prosperitatis. Esth. 5.

Quamdiu duravit plaga Domini super Job, licèt venerint ad eum aliqui amici, fuerunt tamen ei consolatores onerosi; nec leguntur ei dedisse aliquid. Postquam autem addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Job, duplicia: venerunt ad eum omnes fratres sui, & cuncti, qui noverant, & consolati sunt: & dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam. Job. 42.

Statuam, quam vidit Nabuchodonosor, quæ percussa à lapide abscisso de monte, redacta est in favillam, satis indicat prosperitatem mundanam nihil esse. Dan. 2.

Filii Zambri faciebant nuptias magnas, & venerunt Judæi, Jonatha duce: & occiderunt multos; conversæ sunt nuptiæ in luctum: & vox ipsorum musicorum in lamentum. 1.Mach. 9

Ptolomæus rex Ægypti, Alexandro rege Syriæ debellato, & in Arabiam fugato, exaltatus est: & abstulit Zadbiel Arabs caput Alexandri, & sic misit Ptolomæo: & rex Ptolomæus mortuus est die tertia. 1.Mac. 11

Adolescens, qui quæsivit à Christo, quomodo posset habere vitam æternam, multas habebat possessiones. Et idcirco abiit tristis, quando Dominus dedit ei consilium perfectionis. Matth. 19.

Petrus negavit Dominum in atrio Principis Sacerdotum. Matth. 28

Magnum festum fecerant Judæi Domino Jerusalem venienti: & circumspectis omnibus, cùm jam vesperâsset hora, exiit in Bethaniam, cùm non inveniret, qui eum hospitiô reciperet. Matth. 21

Ad

Luc. 12. Ad contemnendam temporalium abundantiam multùm facit exemplum, quòd ponit Dominus in illo divite, cujus ager uberes fructus attulit. Cùm autem sollicitus cogitaret destruere horrea sua, & facere majora, ait illi DEUS: Stulte, hac nocte repetent diaboli animam tuam à te, & quæ aggregâsti, &c.

Luc. 14. Emptores villæ, & boum, & ille, qui uxorem suam duxerat, vocati ad cœnam Domini, se excusaverunt tanquam aliis occupati. Pauperes autem, & debiles fuerunt introducti.

Luc. 19. Videns Dominus civitatem Jerusalem pace temporali fruentem, & superventuras miserias ignorantem, flevit super illam dicens: Quia si cognovisses & tu, scilicet fleres.

Act. 12. Cùm populus Herodi magno regi, vestito veste regali, & sedenti pro tribunali acclamaret: Voces DEI, & non hominis: confestim percussit eum Angelus Domini, & consumptus à vermibus expiravit.

* TITULUS CXLIII.

Providentia DEI.

MIra est DEI Providentia in conservatione, & gubernatione mundi tam quoad statum suum naturalem, quàm quoad politicum.

Gen. 7. & 8. Eluxit hæc: dum Noë cum tota sua familia, & omnibus animantibus conservavit in arca ab universali diluvio, quam super aquas direxit, & demum requiescere fecit super montes Armeniæ.

Gen. 12. 1 Gen. 22. Abraham se totum commisit Divinæ Providentiæ: primò dum jussus fuit exire de terra sua; deinde cùm DEUS illi præcepit immolare filium suum unigenitum, in quo tamen illi fuit promissa innumerabilis posteritas.

Gen. 50. 20. Permisit DEUS Joseph Patriarcham à fratribus vendi,

vendi, & in Ægyptum perduci, ob illum finem, quem Joseph ipse indicat his verbis, quibus fratres suos est allocutus: Vos cogitastis de me malum: sed DEUS vertit illud in bonum, ut exaltaret me, & salvos faceret multos populos.

Moyses parvulus flumini in fiscella expositus invenitur à filia Pharaonis: & ignotæ fœminæ, quæ tamen Moysis mater erat, ad nutriendum traditur. Exod. 2.

Filiis Israël per 40. annos in deserto pluit manna ad manducandum: & aquam de petra abundantem ad bibendum eduxit. Exod. 16.

Eorundem vestimenta toto illo tempore non sunt attrita: neque calceamenta vetustate consumpta. Deut. 29. 5.

Item: nullus eorum per totum iter unquam ægrotavit. Ps. 104. 37

Saul, dum asinas patris sui perditas quærit, unguitur in regem Israël. 1. Reg. 9.

David inter omnes persecutiones, quas passus est à Saule, & à proprio filio suo Absalone, mirè semper à Divina Providentia fuit protectus. L. 1. & 2. Reg.

Elias in magna illa fame, cùm cœlum tribus annis, & mensibus sex esset clausum, ut ne gutta quidem pluviæ decideret, à corvis jussu DEI fuit pastus; qui quotidie bis ei panem, & carnes deferebant. 3. Reg. 17.

Eidem, cùm fugeret furorem insidiantis sibi Jezabel, & in deserto nil haberet, quod manducaret, & biberet; Angelus Domini attulit panem, & aquam. 3. Reg. 19.

Elisæus centum homines viginti panibus hordeaceis pavit, & multum superfuit, obstupescente Giezi ejus famulo. 4. Reg. 4. 42.

Addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Job, duplicia: & benedixit novissimis ejus magis, quàm principio ejus. Job. 42.

Tota Tobiæ historia est argumentum miræ DEI Providentiæ. Tob.

Dan. 14. Danieli ob destructa Babyloniorum idola in lacum leonum conjecto mittit DEUS ex Judæa prandium per Prophetam Habacuc illuc ab Angelo deportatum.

Esther. Singulari DEI dispositione Esther fit regina, ut populus Judaicus liberaretur ab exitio sibi parato.

Joan. 6. Christus Dominus in deserto 5000. hominum quinque panibus, & duobus piscibus pascit.

Marc. 8. Idem alia vice 4000. hominum septem panibus, & paucis piscículis pascit.

Luc. 22. 35. Idem discipulos suos interrogat: quando misi vos sinè sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt: nihil.

Matt. 6. 25 Idem monet discipulus suos: ne sint solliciti de cibo, & vestimentis, sed se committant Divinæ Providentiæ; cujus multa adduxit argumenta.

Sap. 10. & 11. Salomon in libro Sapientiæ longum texit panegyricum Divinæ Providentiæ, ejúsque multa affert exempla.

TITULUS CXLIV.

Prudentia, & discretio.

Gen. 12. ABraham veniens in Ægyptum, de uxore sua prudenter, & cautè celavit veritatem: nec tamen asseruit falsitatem, dicens: Soror mea est.

Gen. 20. Simile egit: quando venit ad Abimelech.

Gen. 13. Prudenter separavit se Abraham à Loth: ne pastores ad invicem litigarent.

Gen. 25. Discretè divisit Abraham filiis suis, dum viveret, portiones: ne post mortem suam ad invicem concertarent.

Gen. 27. Rebecca sagaciter instruxit filium suum Jacob: ut benedictionem patris sui consequeretur; & eum fecit recedere à partibus illis: donec requiesceret furor fratris.

Ar-

Artem arte delusit Jacob pulchrè: quando nolebat ei dare Laban mercedem, pro servitio competentem. Gen. 30.

Sagaciter egit Jacob: quando debuit obviare irato fratri; quoniam munera ei misit: ne uno furoris impetu totum perderet; & res nimis dilectas majori periculo exponeret. Gen. 32.

Prudenter locutus est Joseph coram Pharaone, ei exponendo somnium: & contra futuram famem dando consilium. Gen. 41.

Joseph fratres suos cautè deprehendit: & eis timorem incussit. Gen. 44.

Bonum consilium dedit Jethro Moysi, dicens: Provide tibi viros potentes, & timentes DEUM; in quibus sit veritas: & qui oderint avaritiam, &c. Exod. 18.

Antequam Moyses invaderet terram promissionis: misit exploratores illuc, ad considerandum conditiones ejus. Num. 13.

Exploratores, quos misit Josue, prudenter latuerunt: donec illi, qui quærebant eos, ad propria redirent. Josue 2.

Magna sagacitate usus est Josue, insidias ponendo juxtà civitatem Hai: & fugam postea simulando. Josue 8.

Callidè cogitantes Gabaonitæ, voluerunt decipere Josue: sed ille eos discretè in servitutem redegit. Josue 9.

Filii Israël, Phinees, & alii nuncii, ad filios Ruben missi, discretè locuti fuerunt: & illi eos verbis prudentissimis placaverunt. Josue 22.

Aod portans munera, Eglon ipsum astutè decepit. Judic. 3.

Gedeon percussit castra hostium: qui securi erant, & nihil adversi suspicabantur. Judith. 8.

Jephte per nuncios prudenter significavit regi filiorum Ammon: quòd indicebat ei bella non justa; sed postea indiscretum fecit votum Judic. 11.

Cautè deprehendit Jephte, qui essent Ephratæi, & qui Judic. 12.

& qui Galaaditæ, dicendo: Schiboleth, dum illi reſponderent Siboleth, &c.

Judic. 20. Filii Iſraël pugnantes contra illos de Benjamin, fugam arte ſimulaverunt: & ſic eos à civitate extraxerunt, & penitus debellaverunt.

1. Reg. 10. Dicentibus quibusdam de Saule: Unde ſalvare nos poterit iſte? & deſpicientibus eum, ille diſſimulabat ſe audire.

1. Reg. 17. Magnæ prudentiæ fuit: quando David armatus armis Saulis cœpit tentare, ſi ſic poſſet incedere contra Goliath, &c.

1. Reg. 18. Egrediebatur David ad omnia, quocunque miſiſſet eum Saul: & prudenter ſe agebat.

1. Reg. 21. David coram Achis ſimulavit ſe eſſe fatuum, & quaſi furentem; ut poſſet fugere ab eo.

1. Reg. 25. Abigail prudenter placavit David, iratum contra Nabal virum ſuum.

2. Reg. 12. Arguere volens Nathan Propheta regem David, de exceſſu commiſſo in Uriam, & uxorem ejus, apertam parabolam de divite, qui abſtulit ovem pauperi, prudenter aſſumpſit.

2. Reg. 14. Prudenti cautela uſus eſt Joab, ad hoc; ut per mulierem ſapientem faceret Abſalon revocari.

2. Reg. 20. Sapiens mulier de Abela fecit recedere Joab ab obſidione civitatis.

3. Reg. 1. Audiens Betſabea, quòd Adonias volebat regnare pro patre, ſapienter locuta eſt ad David pro ſe, & filio ſuo Salomone.

3. Reg. 3. Diſcretionem, & Sapientiam poſtulavit Salomon: quòd multum placuit DEO; & cum ſapientia alia multa ei conceſſit.

Eodem. Salomon prudenter judicavit inter duas mulieres, de unico filio contendentes.

3. Reg. 12. Rex Roboam reſpondit populo durè: bonô, & diſcretô ſeniorum conſiliô derelictô, quod ei dederant. Et locutus eſt eis ſecundùm conſilium juvenum: & imprudenter egit.

3. Reg. 20. Reprehenſurus Achab regem Iſraël, quidam de

filiis

filiis Prophetarum parabolam de viro commendato, & malè custodito, discretè proposuit: per quam rex ille peccatum suum manifestè cognosceret.

Studiosè fecit Jehu, Prophetas Baal honorare velle se fingens; & postea illos occidit: & altare Baal destruxit. 4. Reg. 10.

Studiosè, & discretè Ezechias rex Juda prohibuit: ne populus nunciis regis Assyriorum dicentibus blasphemias responderet. Non enim expedit, populum fidelem contra litigantes infideles disputationes habere. 4. Reg. 18. Isai. 36.

Jojada Pontifex, volens constituere regem in Jerusalem Joas filium Joram, valde cautè se habuit, & prudenter. 2. Par. 23.

Ezechias intelligens regem Assyriorum contra Jerusalem adventurum, obduravit capita fontium extra urbem: reparavit muros civitatis: bellatores suos optimis sermonibus confortavit; & deinde ad precandum Dominum se convertit. 2. Par. 32.

Cùm magna discretione, diligentia, & sollicitudine Nehemias ædificavit murum in circuitu Jerusalem. 2. Esd. 2. 3. & 4.

Magnæ sapientiæ verbum, & meritò approbatum fuit illud, quod dixit Zorobabel: Fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas. 2. Esd. 9.

Tobias credens se citò moriturum, dedit filio suo magnæ prudentiæ documenta, & inter alia dixit: Consilium semper à sapiente perquire. Tob. 4.

Sapientiam magnam se habere ostendit Judith in verbis quæ dixit cap. 8. Et postea dicitur: quòd servi Holofernis mirabantur sapientiam ejus, & dicebat alter ad alterum: Non est talis mulier super terram in aspectu, & pulchritudine, & in sensu verborum. Judith. 11

Cum magna prudentia requisivit Mardochæus Esther: ut succurreret populo Judæorum, dicens: Si nunc silueris, per aliam viam libera- Esth. 4.

buntur Judæi, & tu, & domus patris tui peribitis. Quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in hoc tempore parareris?

Dan. 1. Danieli, & sociis ejus dedit Dominus scientiam, & disciplinam, in omni libro, & sapientia: Danieli autem specialiter intelligentiam visionum, & somniorum.

Dan. 2. 4. & 13. Visiones Nabuchodonosor regis Babylonis Daniel exposuit sapienter. Et postmodum legitur (licèt prius acciderit) de duobus senibus Presbyteris, quos mirâ prudentiâ contra innocentem Susannam falsum dixisse testimonium deprehendit.

1. Mach. 7. Innotuit Judæ Machabæo: quòd Nicanor venerat cum dolo; & quòd volebat eum capere; cautè subtraxit se Judas: & noluit eum amplius videre.

1. Mac. 13 Cognovit Simon: quòd Tryphon cum dolo loqueretur, petens duos filios Jonathæ, & centum talenta argenti: jussit tamen dari; ne inimicitiam magnam sumeret ad populum dicentem: Quia non misit argentum, & pueros, propterea periit.

2. Mac. 7. Septem illi fratres cum pia matre sua in verbis, quæ sibi invicem, & Tyranno dicebant, miram sapientiam se habuisse domonstraverunt.

2. Mac. 14 Constituta fuit dies, in qua Judas secretò cum Nicanore loqueretur. Præcepit autem Judas: armatos esse in locis opportunis; ne fortè in hostibus repente aliquid mali oriretur.

Luc. 1. Miræ discretionis, & prudentiæ Beatam Virginem fuisse, apparet in colloquio, quod habuit cum Angelo. Cogitabat: qualis esset ista salutatio, & ait: Quomodo fiet istud?

Luc. 2. Cùm remansisset in Jerusalem duodennis puer JESUS in medio Doctorum, audiens, & interrogans illos. Sequitur: quòd stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis ejus.

Lau-

Laudavit Dominus villicum iniquitatis: quia prudenter fecisset. Luc. 16.

Pulchrè delusit Dominus curiosam interrogationem Sacerdotum, & seniorum populi Judæorum, quærentium: in qua potestate ille miracula faceret? ait enim: interrogabo & ego vos: Baptismus Joannis unde est? Matth. 21. Luc. 20.

Cùm Paulus Apostolus fuisset cum socio suo Syla in carcere positus, in crastino miserunt Magistratus præcipientes: ut dimitterentur. Paulus prudenter dixit: Cæsos nos publicè indictâ causâ, cùm simus Romani, conjecerunt in carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt? Act. 16.

Commota, & confusa civitate Ephesina, Paulus prudenter, & humiliter acquievit consilio amicorum: qui rogaverunt eum; ne se daret in theatrum. Ubi etiam apparuit prudentia illius Scribæ: qui pulchrè sedavit populum sic commotum; & remisit ad domum. Act. 19.

Cùm Tribunus jussit: Paulum cædi, & flagellis torqueri, dixit Paulus astanti sibi Centurioni. Si hominem Romanum licet indemnatum vobis flagellare? & discesserunt ab eo: qui eum torturi erant. Act. 22.

Cùm vellet Paulus de Græcia navigare in Syriam, & intelligeret sibi à Judæis esse paratas insidias, cautè declinavit. Et reversus est per Macedoniam: nec recusavit comitatum; quem fecerant ei fratres diversarum civitatum. Act. 20.

Sciens Paulus, quòd una pars esset Pharisæorum, exclamavit: Viri fratres, Pharisæus sum, &c. Et surgentes quidam Pharisæorum pugnabant pro eo. Act. 23.

Postea: cùm audisset, quòd quidam Judæi voverant, se nihil gustaturos, donec occiderent Paulum; fecit hoc nunciari Tribuno: qui misit eum cum multis armatis ad Felicem Syriæ Præsidem. Eodem.

Act. 26. Cùm Festus Præses vellet eum in Jerusalem reducere ad instantiam Judæorum, Paulus prudenter advertens eorum malitiam, Cæsarem appellavit.

TITULUS CXLV.

Pueri bonæ indolis.

Gen. 21. NOn legitur Isaac murmurâsse, vel fugisse: quando ejus pater ex præcepto Domini ipsum voluit immolare.

Gen. 37. Joseph accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo: quod erat in eo signum detestationis peccati; & patri dicenti: Veni, mittam te ad fratres tuos: obedienter respondit: Præsto sum, &c.

1.Reg. 2. & 3. Samuel adhuc puer, erat minister in conspectu Domini, ubi erat arca DEI.

1.Reg.16 Quando debuit in regem inungi David: erat in agro parvulus, & pascebat oves, tanquam patri obediens humiliter, & abjectè.

4.Reg. 12 Joas filius Joram regis Juda, puer septem annorum, cùm regnare cœpisset, fecit: quod bonum erat coram Domino, cunctis diebus Jojadæ Sacerdotis.

4.Reg. 22 Octo annorum erat Josias, cùm regnare cœpisset, fecítque: quod placitum erat coram Domino; & tamen pessimos patrem, & avum habuerat.

Tob. 1 Tobias cùm esset minor omnibus in Tribu Nephtali, nil tamen puerile gessit in opere. Et idem cùm postea filium genuisset, ipsum ab infantia timere DEUM docuit: & abstinere ab omni peccato.

Dan. 1. Sinè Propheta, sinè Sacerdote, sinè Magistro, Daniel, & tres socii ejus legem DEI observantes sobriè, & justè, & piè vixerunt inter pueros gentiles.

2.Mach.7 Fratres illi septem adolescentes miram sapientiam

tiam in reſponſionibus, & patientiam in tribulationibus habuerunt.

Beatus Joannes Baptiſta puer creſcebat, & confortabatur Spiritu: & erat in deſerto usque ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël. Luc. 1.

Salvator noſter puer duodennis exiſtens in carne, inventus eſt in templo, & in medio Doctorum, audiens illos, & interrogans. Deinde deſcendit cum MARIA, & Joſeph, & erat ſubditus illis. Luc. 2.

TITULUS CXLVI.

Puſillanimitas.

CUm dixiſſent Angeli ad Loth: In monte ſalvum te fac. Reſpondit: Non poſſum in monte ſalvari; ne fortè apprehendat me malum. Et tunc pejus ei accidit. Gen. 19.

Videntes filii Iſraël Ægyptios poſt ſe, timuerunt valdè; licèt vidiſſent tot miracula, facta pro eis poteſtate divina. Exod. 14.

Loquente Domino Moyſi in monte, populus audiebat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montémque fumigantem; & perterriti, ac pavore percuſſi ſteterunt procul, dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Exod. 20.

Revelatione facta de conditionibus terræ promiſſionis, quæ habebat cultores fortiſſimos, & urbes grandes, atque muratas, dixerunt illi de populo: Utinam mortui eſſemus in Ægypto, & dixerunt: Nuncii terruerunt nos. Sicut dicitur Deut. 1. Num. 13. & 14.

Videns Balaac rex Moab omnia, quæ fecerant filii Iſraël Amorrhæis, & quòd timuiſſet populus ejus, plus confiſus eſt in verbis, quàm in armis; unde nuncios miſit ad Balaam, ut veniret, & malediceret filiis Iſraël. Num. 22.

Exploratoribus, qui venerant ex parte Joſue, Joſue 2.

dixit Rachab: Novi, quòd tradiderit Dominus terram vobis; & jam irruit in nos terror vester: & elanguerunt omnes habitatores terræ.

Josue 7. Postquam Achan tulerat de anathemate Jericho; fugaverunt filii Hai filios Israël: & corruerunt ex eis triginta sex homines; pertimuítque cor populi, & instar aquæ liquefactum est: Josue verò scidit vestimenta.

Josue 9. Gabaonitæ audientes cuncta, quæ fecerat Josue Jericho, & Hai: timuerunt, & venientes ad Josue, fecerunt pactum ad voluntatem ipsius.

Judic. 7. Cùm haberet Gedeon in exercitu suo triginta duo millia hominum, clamatum fuit: Qui formidolosus est, revertatur. Et reversa sunt ex populo viginti duo millia hominum.

1. Reg. 17 Saul, & omnes Israëlitæ audientes sermones Goliath Philistæi, singulare certamen petentis, stupebant nimis.

1. Reg. 28. Congregavit Saul universum Israël: & venit in Gelboë: & vidit Saul castra Philistiim: & timuit: & expavit cor ejus nimis.

2. Par. 13. Roboam rudis, & corde pavido, non potuit resistere exercitui; quem Jeroboam congregavit contra eum.

Judith. 15 Cùm audissent exercitus Assyriorum, Holofernem esse decollatum; fugit mens, & consilium ab eis: & solo tremore, & metu agitati, fugæ præsidium sumunt.

Isai. 7. Nunciatum est domui David: quòd rex Israël, & rex Syriæ confœderati deberent contra Jerusalem præliari; & commotum est cor ejus: & cor populi ejus; sicut commoventur ligna sylvarum à facie venti.

Isai. 24. Onus Tyri describens Isaias, dicebat: Formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ.

Jerem. 38 Propheta Jeremia ex parte Domini prophetante, Jerusalem capiendam esse, dixerunt Principes popu-

populi Sedeciæ: Rogamus, ut occidatur homo iſte; qui tanquam pavidus, & miſer reſpondit eis: Ecce ipſe in manibus veſtris eſt. Neque enim fas eſt: regem vobis quicquam negare.

Darius rex Perſarum ſtatuit de conſilio Satraparum quoddam crudele decretum. Quod cùm transgreſſus eſſet Daniel; miſſus eſt in lacum leonum: & tamen diſplicuit regi; ſed illis Satrapis viriliter contradicere non audebat. Dan. 6.

Videns Judas Machabæus, quòd defluxerat exercitus ſuus, & bellum perurgebat eum; confractus eſt corde, & in bello illo cecidit. Nec legitur, idem Judas aliàs in bellis, vel alibi timuiſſe. 1. Mac. 9.

Nicanor contraxit amicitias cum Juda Machabæo, quod diſplicuit Antiocho regi; & mandavit Nicanori: ut hinc mitteret ei Judam, qui hoc invitè faciebat; ſed tamen voluntati regis reſiſtere non audebat. Unde, ſi potuiſſet, malam voluntatem regis implêſſet. 2. Mac. 14.

Ambulans ſupra mare Petrus, veniebat ad Dominum. Videns autem ventum validum, timuit. Matt. 14.

Puſillanimitas videtur fuiſſe in Nicodemo: quòd ipſe venit ad JESUM nocte; quaſi non venire auderet de die. Joan. 3.

Videntes diſcipuli capi Dominum, & ligari: relicto eo fugerunt omnes. Petrus autem ſequebatur eum à longe; quia appropiare non audebat. Matt. 26.

Arguit Dominus puſillanimitatem diſcipulorum: quia commotionem maris ipſo præſente timebant; unde ait: quid timidi eſtis modicæ fidei? Matth. 8.

Puſillanimis Petrus fuit nimis: quando ad vocem unius ancillæ, Dominum poſt tantæ audaciæ verba negavit. Matt. 26.

Similiter adoleſcens ille amictus ſindone, cùm teneretur à miniſtris, maluit amittere ſindonem, & nudus aufugere, quàm ibi amplius remanere. Marc. 14.

Pa-

Joan. 9. Parentes illius cœci nati, à Domino illuminati, responderunt timidè Phariſæis: eo quòd timebant extra ſynagogam fieri.

* TITULUS CXLVII.

Religio Chriſtiana.

RElegionem Chriſtianam demonſtrant omnes figuræ, & prophetiæ ad amuſſim impletæ in perſona Chriſti, in ejus geſtis, in ejus paſſione, & morte, in fundata ab eo Eccleſia.

Joſue. Pugnæ, quas inierunt Iſraëlitæ ad occupandam terram promiſſam, & victoriæ, quas reportârunt de tot gentibus, ſunt figura certaminum contra idololatriam, & victoriam ubique terrarum de illa reportatarum.

Perſecutiones contra Prophetas, qui fidem prædicârunt, & mores fidelium ſtuduerunt reformare, fuerunt prodromi illarum perſecutionum, quas pati debebant Apoſtoli, & Apoſtolici viri, cùm fidem Chriſtianam per orbem propagârunt.

4. Evang. Quòd Chriſtus Fundator Religionis Chriſtianæ ſit verus Meſſias à DEO miſſus, DEI Filius, & Salvator mundi, evidenter oſtendunt tot miracula ab eo patrata, quæ etiam ab ejus hoſtibus non potuerunt in dubium vocari.

4. Evang. & Act. Magnum etiam argumentum veritatis Religionis Chriſtianæ eſt: quòd fuerit propagata, & ſtabilita per piſcatores, aliósque homines rudes, imperitos, pauperes, inermes, ubique contemptos.

Magnum item eſt argumentum: quòd inter tot perſecutiones non tantùm non defecerit, ſed mirum in modum aucta ſemper fuerit. Nimis enim quàm verum fuit, quod Judæi Romæ de-

Act. 28. 22 gentes dixerunt ad Paulum: de Secta hac notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur.

Act. 2. & 4 Apoſtoli primis ſtatim concionibus poſt acceptum Spi-

Spiritum Sanctum converterunt octo millia hominum.

S. Petrus per miram visionem docetur: quòd etiam gentiles ad fidem Christianam vocati sint; & mittitur ad Cornelium Centurionem Romanum: ut eum cum tota sua domo baptizet. Act. 10.

De primis Christianis dicitur: Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Act. 2.42. 44.

Item: Multitudinis credentium, erat cor unum, & anima una. Act. 4.32.

Fideles primùm Antiochiæ, ubi Paulus prædicabat, vocati sunt Christiani. Inde hoc nomen ad omnes propagatum. Act. 11.26

S. Petrus prærogativas Christianæ Religionis exponit his verbis: Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus DEI. 1. Pet. 2. 9.

* TITULUS CXLVIII.

Resignatio in Divinam voluntatem.

Fratres Joseph ob oblatam fratri injuriam sibi timentes deprecabantur eum; ut hanc illis condonaret. Quibus ille respondit: Nolite timere; num DEI possumus resistere voluntati? Vos cogitâstis de me malum: sed DEUS vertit illud in bonum. Gen. 50.

Cùm Samuel indicâsset Heli Sacerdoti statutam DEI pœnam ob malam educationem filiorum; respondit Heli: Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat. 1. Reg. 3.

DEUS hoc testimonium perhibuit Davidi: inveni Act. 13.22

ni David filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

2.Reg.15. 25. David, cùm in persecutione filii sui Absalonis de Jerusalem fugere coactus fuisset, dixit ad Sadoc Sacerdotem: Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Si autem dixerit mihi: non places: præsto sum; faciat, quod bonum est coram se.

Tob.2.15. Tobias cùm cognati irriderent vitam ejus, dicentes: ubi est spes tua? increpabat eos, dicens: nolite ità loqui, quoniam filii sanctorum sumus; & vitam illam expectamus, quam DEUS daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

Tob. 3.6. Idem in omnibus injuriis sibi oblatis se convertit ad DEUM, dicens: Et nunc Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum.

Job. 1. Job ad omnia mala sibi illata nihil aliud reposuit, quàm hoc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ità factum est: sit nomen Domini benedictum.

2.Mach.3. 60. Judas Machabæus suos adhortatus, vel ad victoriam, vel ad glorioſam mortem in bello contra hostes suscipiendo, adjungit: Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.

2.Mac.1.3 Judæi in Jerosolymis scribunt Judæis in Ægypto: DEUS det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno, & animo volenti.

Heb. 10.5 Paulus de Christo Domino affirmat: ingrediens mundum dicit: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam DEUS voluntatem tuam.

Joan 4.34 Christus Dominus per totam vitam suam opere ipso comprobavit testimonium, quod de seipso dedit: meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me: ut perficiam opus ejus.

Luc. 22. 42. Idem ad aspectum amari calicis suæ passionis

ità

ità orabat ad Patrem: Pater, si vis, transfer calicem istum à me: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.

* TITULUS CXLIX.

Respectus humanus.

Aaron summus Sacerdos, cùm ab eo populus postulâsset, ut DEUM illis faceret: ex mero respectu humano ejus iniquissimis postulatis annuit: & formavit vitulum aureum; quem Israëlitæ adorârunt. Exod. 32.

Filii Israël nolebant amplius progredi ad terram promissam ex vano timore, quem causaverat opinio; quòd in terra illa sint monstra, & gigantes: quibus comparati essent quasi locustæ; & quòd terra devoret habitatores suos; cùm tamen fuerit felicissima regio, lacte, & melle fluens. Ità constitutus est respectus humanus. Num. 13. 33.

David, cùm à fratribus ei fuisset objectum, quòd ex superbia reliquerit suas oves, & secutus sit castra, nihil movetur: sed manet, ubi DEUS eum voluit habere. 1. Reg. 17. 28.

Idem non cessavit saltare coram arca: etiamsi rideretur à Michol conjuge sua. 2. Reg. 6. 16.

Populus Israël à falsis promissis, & fictis adulationibus Absalon se permittit seduci; ut contra suum legitimum regem David insurgat. 2. Reg. 15.

Salomon, ut placeret uxoribus, & concubinis suis idololatris; erexit templa, & statuas idolorum: eisque ipsemet thus adolevit, & sacrificia obtulit. 3. Reg. 11

Daniel non curat edictum regis, quo cultus veri DEI prohibebatur; sed pergit, etiam apertis fenestris, ut ab omnibus conspici posset, adorare Dominum DEUM suum, sicut antea consueverat. Dan. 6.

Tobias, cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Tob. 1. 5.

quos Jeroboam fecerat rex Israël, hic solus fugiebat consortia omnium (sepositò omni humano respectu) sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini: & ibi adorabat Dominum DEUM Israël.

Joan.7.13 Nemo palàm loquebatur de Christo Jerosolymis, propter metum Judæorum; licèt multi eum agnoverint pro magno Propheta, & vero Messia.

Joan. 9. Cœcus natus à Christo sanatus palàm confitetur Christum, & miraculum ab eo patratum: licèt jam conspirâssent Judæi; ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Non sic parentes ejus: quia timebant Judæos.

Marc. 6. 26. Herodes jubet amputari caput Joanni: ut non contristaret filiam suam saltatricem.

Joan. 19. 21. Pilatus, licèt agnoverit innocentiam Christi, consensit tamen in ejus mortem, ùt audivit: si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.

Joan. 11. 48. Pontifices, & Pharisæi conspirant in necem Christi, dicentes: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.

Act. 12. Herodes Agrippa, postquam occidit, Jacobum fratrem Joannis, gladiô, videns, quia placeret Judæis, apposuit, ut apprehenderet & Petrum.

Act.24.27 Felix Præses Judææ, volens gratiam præstare Judæis, reliquit Paulum vinctum, licèt agnoverit innocentem.

Act.5.29. Apostoli liberè prædicant Christum, & ejus doctrinam. Advocati autem in Concilium, & propterea objurgati, respondent: obedire nos oportet DEO magis, quàm hominibus.

* TITULUS CL.

Sanctorum invocatio, & auxilium. S

Jacob Patriarcha benedicens filiis Joseph, hac precandi formula utitur: Nomen Patrum meorum Abraham, & Isaac invocetur super eos: & crescant in multitudinem super terram. Gen. 48. 16.

Cùm Jerusalem ab Assyriis esset obsessa, & in extremas angustias redacta, promittit DEUS Ezechiæ regi per Isaiam Prophetam: protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum. 4.Reg. 19 34.

Trium puerorum ad fornacem damnatorum oratio hæc erat: Ne auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israël sanctum tuum. Dan. 3. 35

S. Petrus paulò ante mortem suam scribit Christianis: quòd post obitum suum sit eorum memor futurus apud DEUM. 2. Pet. 1. 15.

Apostoli pro muliere Chananæa rogant Dominum, & impetrant; ut ejus filia à dæmonio liberaretur. Matt. 15. 23.

Seniores Judæorum à Centurione ad Christum missi ejus servo jam morituro sanitatem rogant: & impetrant. Luc. 7.

Judas Machabæus contra amplissimum Nicanoris exercitum dimicaturus videt Oniam Pontificem orare pro populo Judæorum: & deinde Jeremiam gladium sibi porrigentem; quo dejecturus esset adversarios. 2. Mac. 15 12.

Mortuus quidam in sepulchrum Elisæi Prophetæ conjectus, statim ubi attigit ossa Prophetæ, surrexit vivus. 4. Reg. 13 21.

Baruch Propheta sic DEUM precatur: Domine omnipotens, DEUS Israël, audi nunc orationem mortuorum Israël. Bar. 3. 4.

DEUS iratus populo dixit ad Jeremiam: si steterit Jer. 15. 1.

terit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. Unde deſumitur: quòd DEUS aliàs ad orationes Sanctorum ſoleat flecti ad miſericordiam.

* TITULUS CLI.

Scandalum.

Gen. 3. EVa graviùs punitur à DEO, quàm Adam; quia Adam induxit ad peccandum.

Deut. 25. 17. Imperat DEUS Iſraëlitis: ut Amalecitas delerent de terra; quia illos voluerunt impedire ab ingreſſu terræ promiſſæ.

1. Reg. 2. 17. Erat peccatum filiorum Heli grande nimis coram Domino; quia retrahebant homines à ſacrificio Domini. Hinc tam graviter poſtea à DEO punitum.

3. Reg. 14. 7. Jeroboam, qui erexit idola, peccare fecit Iſraël; hinc de illo dicitur: quòd operatus ſit mala ſuper omnes, qui fuerunt ante eum: & horribiles pœnæ per Ahiam Prophetam à DEO illi denunciantur.

2. Mach 6. 24. Eleazarus noluit ſimulare, quòd comederet carnem prohibitam, dicens: ne adoleſcentes arbitrantes, Eleazarum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem decipiantur.

1. Mach. 2. 23. Mathathias videns Judæum publicè immolantem idolis, inſiliens trucidavit eum ſuper aram; ut hoc ſcandalum tolleret.

Jer. 5. 25 Jeremias denunciat populo: peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis, nempe beneficia, & gratias Divinas. Qualia autem fuerint peccata, indicat ſequentibus verbis: quia inventi ſunt in populo meo impii, inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros.

Matt. 16. 23. Petrus, cùm prohibere voluit Chriſtum à paſſione ſua,

sua, & morte, audivit à Christo: vade post me Satana, scandalum es mihi.

David punitur morte filii; quia peccatô suô scandalum dedit, & blasphemare fecit inimicos Domini. 2. Reg. 12, 14.

Præcipit DEUS populo Israël: cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam. Exod. 34, 12.

Paulus de se testatur: si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. 2. Cor. 8, 13.

TITULUS CLII.

Sacræ Scripturæ.

MAgnam reverentiam habere debemus ad Sacram scripturam, quam ipse DEUS voluit scribere, vel tradere specialiter, & docere. Exod. 31.

Reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas scriptas digitô DEI. Exod. 32. Matt. 19.

Ipse etiam Dominus JESUS dicit: se missum fuisse ad evangelizandum, & misit discipulos ad hoc ipsum. Marc. 1. Luc. 4.

Sic ergo potest dici, quòd lex vetus fuit data à DEO Moysi, mediantibus Angelis, ùt ait Apostolus: & beatus Stephanus hoc ipsum testatur. Accepistis, ait: legem DEI, in dispositione Angelorum. Reliqua verò pars veteris Testamenti data fuit inspiratione Spiritûs Sancti, ùt Petrus ait: Non enim voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt DEI homines. Novum autem Testamentum continet verba, & facta Domini JESU Christi in Evangeliis: verba Apostolorum in Epistolis, & in Apocalypsi: facta ipsorum in libro Actuum Apostolorum. Christus ergo verus DEUS, & homo, partem Evangeliorum protulit per seipsum, & per Spiritum Sanctum, Joan. 5. Gal. 3. Act. 7. 1. Petr. 1.

per ipsúmque alia verba, quæ dixerunt Apostoli,
Act. 2. & Evangelistæ instructi, ùt Act. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis.
Eccl. 39. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit, quasi diceret: Sapientiam quidem sapientûm debet sapiens exquirere; sed specialiter debet ad Prophetarum scripturas intendere.
1. Mac. 12. Jonathas summus Sacerdos, & seniores Judæorum, licèt essent rebus bellicis intenti, scripserunt Spartiatis epistolam. Nos enim, quando nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris.
Matth. 4. Salvator noster, tentatus à diabolo, per scripturam respondit: & ipsum tentatorem scripturæ authoritate confudit. Idem scripturam esse com-
Luc. 4. pletam in adventu suo, dixit: Hodie hæc scriptura impleta est in auribus vestris.
Matth. 12. Et per scripturam respondens, defendit discipulos suos contra Pharisæos. Non legistis, ait: quid David fecerit, quando esuriit?
Matth. 5. Magnam authoritatem tribuit Dominus veteri Testamento, quando dixit: Donec transeat cœlum, & terra, jota unum, aut apex unus non præter-
Joan. 10. ibit. Et Joan. 10. Non potest solvi scriptura. Non minoris authoritatis, sed majoris est novum
Luc. 21. Testamentum, de quo Dominus ait: Cœlum, & terra transibunt, mea autem verba non transibunt.
Matth. 9. & 21. Principes Sacerdotum, Scribas, & Pharisæos injustè arguentes Dominum, ipse multoties per scripturas convicit.
Matt. 22. Arguit Dominus Sadducæos de ignorantia scripturarum. Erratis, nescientes scripturas.
Act. 2. Petrus in prima prædicatione sua, post missionem Spiritûs Sancti, authoritatem Joëlis exponens, tria millia hominum convertit ad Christum.

Val-

Valde commendandus est Eunuchus ille, qui veniens de Æthiopia Hierosolymam, legebat Isaiam Prophetam, in curru existens. Act. 8.

Et Philippus præceptô Domini occasionem assumpsit, prædicandi ei Evangelium Christi; ex authoritate, quam legentem invenit, & credentem illico baptizavit. Ibidem.

Veniens Paulus Berrhæam, intrabat Synagogam Judæorum. Quidam autem susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes scripturas: an hæc ità se haberent? Et crediderunt multi ex eis, Græcæ mulieres honestæ, & viri non pauci. Act. 17.

Apollo vir eloquens, potens in scripturis, contulit multum his, qui crediderunt per gratiam. Vehementer enim Judæos revincebat publicè, ostendens per scripturas esse Christum JESUM. Act. 18.

Legisperitum scisscitantem, quid agendo acquireret vitam æternam, remittit Dominus ad scripturam: Quomodo legis? In lege quid scriptum est? Luc. 10.

TITULUS CLIII.

Sepultura.

CUm magna diligentia emit Abraham agrum, in quo uxorem mortuam sepelivit. Gen. 23.

Noluit Jacob sepeliri cum malis hominibus in Ægypto, sed adjuravit Joseph; ut eum mortuum ad patrum suorum sepulturam deferret. Hoc ipsum repetiit post benedictionem filiorum instante morte sua, quod Joseph sollicitus adimplevit. Gen. 47. & 49.

Exiens Moyses de Ægypto, tulit ossa Joseph secum. Exod. 13.

Commendavit David multùm viros Jabes Galaad: eò quòd cadavera Saulis, & filiorum ejus reverenter tradiderant sepulturæ. 1. Reg. 31. 2. Reg. 2.

3. Reg. 13 Pœna viri DEI, qui panem contra divinum mandatum in domo mali Prophetæ comedit, fuit una: quòd non fuit sepultus in sepulchro patrum suorum.

4. Reg. 9. Jehu rex Israël, qui fecerat occidi Jezabel, fecit eam sepeliri: eò quòd fuit filia regis.

Tob. 1. & 2. Commendatus est Tobias de hoc; quòd cum periculo vitæ suæ corpora occisorum rapiebat: & sepulturam eis sollicitus exhibebat.

Tob. 4. Prima admonitio inter illas salubres, quas fecit Tobias filio suo, fuit de sua, & uxoris suæ sollicita sepultura.

2. Mach. 4 Judæi accusatores impii Menelai fuerunt per judicem iniquum morte damnati; quamobrem Tyrii quoque indignati, erga sepulturam eorum liberalissimi extiterunt.

2. Mac. 12 Post prælium contra Gorgiam commissum venit Judas Machabæus; ut corpora prostratorum tolleret: & cum parentibus sepeliret.

Matt. 14. Marc. 6. Discipuli beati Joannis Baptistæ, audito quòd decollatus erat ab Herode, venerunt; & tulerunt corpus ejus: & sepelierunt eum.

Joan. 12. Apparet Dominum JESUM de sua sepultura curasse; propter quod respondit Judæ murmuranti de unguento, quòd secundùm sententiam suam venundari debuisset: Sine (inquit) ut in diem sepulturæ meæ servet illud.

Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19. Sepultus fuit Dominus per Joseph, & Nicodemum in sepulchro novo excisо in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Act. 8. Curaverunt viri timorati à Judæis lapidatum Stephanum, & fecerunt planctum magnum super eum.

TITU-

TITULUS CLIV.

Silentium, & loquacitas.

PRæceptum dedit Dominus Adæ, non Evæ: ut mulier haberet minorem occasionem loquendi, sed potius interrogandi à viro, & discendi. Gen. 2.

Eva prius legitur cum serpente, quàm cum viro habuisse colloquium, quod sibi, & posteris damnosum fuit. Ibidem nota: quàm malè repetiit mandatum Domini, homini datum. Gen. 3.

Cham filius Noë, cùm vidisset verenda patris, nunciavit fratribus suis: & inde maledictionem incurrit. Gen. 9.

Postquam locutus est Dominus ad Moysen, impeditioris, & tardioris linguæ fuit. Ex quo innuit: quòd spirituales viri, qui sæpè cum DEO loquuntur, tardi esse debent ad loquendum. Exod. 3.

Axa filia Caleb sedens in asino, & suspirans, cùm suasa esset à viro suo, monuit patrem, ad quærendum quid haberet; & pòst impetravit à patre irriguum superius, & inferius. Josue 15.

Samson secretum, quod parentibus dicere noluit, uxori expositit: quæ statim illud in damnum mariti publicavit. Judic. 14.

Idem indicavit Dalilæ, quomodo posset amittere fortitudinem suam; illáque sine mora hostibus revelavit. Judic. 16.

Anna mater Samuelis, veniens ad tabernaculum Domini, loquebatur in corde suo: tantúmque labia ejus movebantur, & vox penitus non audiebatur. 1. Reg. 1.

Samuel dormiens in tabernaculo, ostensam sibi visionem non indicavit Heli: donec interrogatus, & adjuratus fuit ab illo. 1. Reg. 3.

Cùm filii Belial dicerent de Saule novo rege: Num salvare nos poterit iste? Ille dissimulabat, se audire. Ex quo intelligitur: quòd cautè 1. Reg. 10.

1. Reg. 25 Cùm David contra Nabal turbatus, postmodum per Abigail, prudenter locutam, placatus fuisset; illa non indicavit ipsi Nabal, viro suo pusillum, aut grande usque mane, cùm vinum, quod biberet, digessisset.

Tob. 2. 3. Tobias, auditis verbis injuriosis ab uxore, non legitur ei respondisse: sed ingemuit; & cœpit plorare cum lachrymis.

Tob. 3. Cùm ancilla Saræ dominæ dixisset gravis improperii, & maledictionis verbum: Sara tacens cessit liti; & pergens in cubiculum domûs suæ devotè cœpit orare.

Esth. 2. 3. Diu tacuit Esther, non indicans populum suum, & patriam, sicut ei præceperat Mardochæus: ne scilicet à rege haberetur exosa.

Job. 2. Beato Job à DEO percusso, uxor ejus stultè locuta est.

Job. 39. Sanctus Job magis videtur seipsum reprehendere de statu loquendi, quàm de alio quocunque; unde dicit: Qui leviter locutus sum, respondere non possum; unum locutus sum, quod utinam non dixissem. Et cap. 42. Quia insipienter locutus sum: & quæ ultra modum excederent scientiam meam, &c.

Isai. 7. Cùm Rasin rex Syriæ, & Phacee rex Israël, proposuissent, præliari contra Judam, dixit Isaias Propheta Achan regi Juda: Vade, & noli timere, & cor tuum ne formidet, &c.

Isai. 36. Mandavit Ezechias rex Juda: ne populus aliquid responderet Rabsaci. Et siluerunt: & non responderunt ei verbum.

Jer. 1. Jeremias in utero sanctificatus, & à Domino Propheta datus excusabat se dicens. Aaa, Domine DEUS, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.

Dan. 13. Adducta Susanna, ne iniqui senes Presbyteri ferrent contra eam falsum testimonium, flens suspexit ad cœlum, & clamavit ad Dominum: sed accusatoribus directè non legitur respondisse.

Ju-

Judæi agriculturæ operam dabant: sed Nicanor, & quidam alii non sinebant eos in silentio agere, & quiete. 2.Mac. 12

Beata MARIA Virgo legitur in Evangelio tantummodo locuta fuisse Angelo. Item cum Filio suo: Quid feciſti nobis sic? Et apud Joannem: Vinum non habent. Luc. 1. 2.

Et quando Ministros nuptiarum instruxerat: Quæcunque dixerit vobis, &c. Licèt autem Elisabeth magnificè eam commendâsset: nihil tamen ei respondit; sed ad laudandum Dominum se convertit. Joan. 2.

Maria peccatrix veniens ad pedes Domini in domo Simonis nihil dixisse fertur: sed lachrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7.

Similiter sorori, de ipsa conquerenti, nihil respondit. Rursus etiam discipulis indignè ferentibus effusionem unguenti, & in eam frementibus nihil dixit. Quoniam autem tacuit; Dominus pro ea respondit: & eam ubique defendit. Luc. 10. Marc. 14.

Mulier in adulterio deprehensa coram Domino accusata, non legitur aliquid locuta fuisse. Dominus autem pro ea verbum assumpsit: & eam denique misericorditer absolvit. Joan. 8.

Locuturus in Synagoga Paulus, surrexit, & manu silentium indixit. Sciebat enim, non esse effundendum sermonem, ubi non est auditus; quod sæpius in scriptura probatur. Act. 13.

Filii Israël fugientes de Ægypto, viderunt exercitum Pharaonis, & timuerunt valde; quibus ait Moyses: Dominus pugnabit pro nobis, & vos tacebitis. Exod. 14.

* TITULUS CLV.

Simonia.

DE impio rege Jeroboam narratur: fecit de novissimis populi Sacerdotes excelsorum: 3.Reg. 13. 33.

quicunque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos excelsorum. Subditur: & propter hanc causam peccavit domus Jereboam, & eversa est, & deleta de superficie terræ.

4. Reg. 5. 26. Simoniacus fuit Giezi, servus Elisæi: quia pro gratia spirituali, Naaman Syro à Domino suo collatâ, vestes accepit, & argentum. Sed ob hoc crimen in sempiternum cum semine suo factus est leprosus, quasi nix.

1. Mach. 7. Alcimus accedens ad Demetrium regem, accusavit Judam Machabæum; & obtulit regi coronam auream: & alia dona; quibus effecit: ut summum Sacerdotium ei à rege conferretur.

2. Mac. 4. Impiissimus Jason oblatis plurimis argenti talentis ab Antiocho Epiphane summum comparavit Sacerdotium. Ob quam causam DEI cultus, & sacrificia planè contempta fuerunt, & ad gentium ritum translata. Ipse verò Jason propterea miserè periit.

2. Mac. 4. 23. Menelaus triennio, postquam Jason factus est summus Sacerdos, plus, quàm Jason, obtulit Antiocho, & Pontificatum obtinuit, nihil dignum habens Sacerdotio. Sed funestè postea, & tragicè, DEO vindice, mortuus est.

Act. 1. 18. Judas proditor vendendo Christum DEI Filium detestandam commisit Simoniam. Ob id laqueo se suspendens, crepuit medius: & diffusa sunt omnia viscera ejus.

Act. 8. 18. Hoc etiam crimen commisit Simon Magus (à quo Simonia nomen accepit) qui sibi donum Spiritûs Sancti pecuniâ comparare voluit. Sed audire debuit à Petro: pecunia tua tecum sit in perditionem.

TITULUS CLVI.

Societas bonorum.

Gen. 18. COnsiderandum est valde, quòd si inventi fuissent decem viri justi in quinque peccatrici-

tricibus civitatibus, propter illos percepisset Dominus universis.

Dixit Jacob ad Laban: Modicum habuisti, antequam venirem ad te; & nunc dives effectus es, benedixítque tibi Dominus ad introitum meum. Gen. 30.

Benedixit Dominus domui Ægyptii propter Joseph: & multiplicavit. Gen. 39.

Bene fuit associatus Jacob, qui dixit: Faciamus altare Domino, quoniam exaudivit me in die tribulationis meæ: & fuit socius itineris ejus. Gen. 35.

Servivit Israël Domino cunctis diebus Josue, & seniorum: qui noverant omnia opera Domini, quæ fecerat in Israël. Josue 24.

Filii Dan ceperunt Lachis: & occiderunt homines; qui cum nullo hominum habebant quicquam societatis. Judic. 18.

Ex parte Saulis missi sunt lictores ad capiendum David, morantem cum Samuele, & aliis Prophetis: qui prophetare cœperunt; & venit Saul: & prophetavit ipse cum eis. 1. Reg. 19

Propter honorem Josaphat regis Juda DEUM colentis, Elisæus Propheta impetravit aquas dari exercitui; in quo erant duo alii mali reges. 4. Reg. 3.

Homines DEUM timentes volebat habere secum Tobias in convivio; & hoc ipsum docuit filium suum: nolite manducare cum peccatoribus. Idem diligenter voluit scire, cum quo iturus esset filius, cap. 5. Tob. 2. 4.

Dicebat uxor Tobiæ junioris: Nunquam cum ludentibus miscui me; nec cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. Tob. 3.

Auditô crudeli mandatô regis Nabuchodonosor, quo debebant interfici cuncti Sapientes Babylonis, clamaverunt ad socios suos: ut quærerent simul misericordiam à Domino; & revelata est noctu visio Domini. Unde occasione Danielis servi sui pepercit rex Magis, & Sapientibus Babylonis. Dan. 3.

Post

1.Mach. 9 Post obitum Judæ Machabæi, emerserunt iniqui, & facta est fames valida: & impios constituit Bacchides dominos regionis. Et facta est tribulatio magna in Israël: quæ omnia mala forsitan non fuissent, si adhuc Judam socium, ac dominum habuissent.

2.Mac. 7. Cùm primus illorum septem fratrum in sartagine torreretur; cæteri cum matre ad moriendum fortiter se invicem hortabantur.

2.Mac. 12 Veniebat Judas Machabæus ad capiendam Scytopolim civitatem: sed propter Judæos, qui intus habitabant, erga quos Scytopolitæ benigni erant, nil eis mali fecit. Imò gratias agens hortatus est eos de cætero, erga genus suum benignos esse.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Quamdiu Petrus fuit cum Apostolis, fixus, & securus mansit: sed quando fuit in atrio summi Sacerdotis, cum ministris illius calefaciens se ad ignem, Dominum negare incepit.

Joan. 9. Statim quando cœcus natus à Domino illuminatus fuit extra synagogam à Pharisæis ejectus, à benigno Domino JESU inter suos fideles receptus est.

Act. 2. Cùm essent omnes discipuli pariter perseverantes unanimiter in oratione, venit Spiritus Sanctus in eos: & ipsos inæstimabiliter roboravit: & docuit.

Eodem. De fidelibus, qui erant in Ecclesia primitiva, dicitur: Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Sequitur: Sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Dominum, & habentes gratiam ad omnem plebem.

Act. 9. Post conversionem suam Saulus veniens Jerosolymam, tentabat se jungere discipulis, & omnes timebant, & fugiebant eum, non credentes: quòd esset discipulus; Barnabas verò apprehensum illum duxit ad Apostolos; &c.

Homi-

Homines, qui erant cum Paulo in navi gravissimæ tempestatis, occasione ipsius Pauli, quem habebant secum in socium, fuerunt omnes salvati. Nam dixit ei Angelus Domini: Ecce donavit tibi DEUS omnes, qui navigant tecum. Act. 27.

TITULUS CLVII.

Societas malorum.

Salubriter exivit Abraham de Chaldæa, ubi erant homines corrupti idololatriâ: unde postea hoc pro beneficio Dominus commemorat, dicens: Ego Dominus, qui eduxi vos de Hur Chaldæorum. Gen. 11. 25.

Non solùm corpore, sed etiam cogitatione, & affectione est patria relinquenda. Unde dixit Dominus ad Abraham, cùm jam corpore exiret: Egredere de terra tua, &c. Nota promissiones ibi factas. Gen. 12.

Quamdiu fuit Abraham cum perversis hominibus in Hur Chaldæorum, non legitur ei Dominus apparuisse: licèt bonus fuisse credatur. Sed postquam inde exiverat; legitur, multoties divinis apparitionibus fuisse visitatus. Gen. 13. 15 17. 18.

Injurias, & jacturas passus est Loth à pessimis Sodomitis, cum quibus habitabat, vel ipsorum occasione. Gē. 13. 19.

Quàm difficilè sit malorum consuetam societatem dimittere, patet per Loth: qui de medio Sodomorum vix per Angelum extrahi potuit. Eodem.

Ludus Ismaëlis cum Isaac displicuit Saræ. Gen. 21.

Fugientem Jacob, malum fratrem Esau, Dominus multipliciter confortavit. Gen. 28.

Noluit Jacob ambulare cum malo fratre: licèt placâsset eum muneribus; & ille satis instaret: & signa dilectionis ostenderet. Gen. 33.

Dixit Moyses ad turbam filiorum Israël: recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite Num. 16.

tan-

tangere, quæ ad eos pertinent; ne involvamini in peccatis eorum.

Num. 33. Dixit Dominus Moysi: Præcipe filiis Israël, ut intrantes terram Chanaan, dispersant cunctos habitatores regionis illius. Si autem nolueritis interficere, qui remanserint: erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus.

Josue 7. Occasione Achan, qui tulit de anathemate Jericho, fuit populus in prælio superatus.

Judic. 19. & 20. Propter quosdam filios Belial, qui in uxorem Levitæ detestabile flagitium perpetrârunt, omnes filii Benjamin, paucis exceptis, trucidati fuerunt.

Judic. 1. & 2. Noluerunt delere filii Israël habitatores terræ, sicut præceperat eis Dominus: sed percusserunt fœdus cum eis; & malè accidit eis.

2.Reg.13. Amicitia, quam habuit Amnon filius David cum Jonadab, dedit ei viam ad hoc: quòd Thamar sororem suam opprimeret.

2.Reg.15. Rebellionem disponente Absalon contra Patrem suum, inierunt multi cum eo simplici corde: licèt contra David nihil mali machinati fuissent, si cum bonis pacificis in Jerusalem remansissent.

2.Reg.21. Propter quosdam superstites de domo Saul facta est fames in terra: donec ad petitionem Gabaonitarum crucifixi fuerunt.

3.Reg.22. Rex Juda Josaphat fuit ferè occisus, vadens cum Achab ad prælium: & reprehensus fuit per Pro-

2.Par. 19. phetam Domini dicentem: Impio præbes auxilium, & iis, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris; & idcirco iram Domini merebaris, &c.

4.Reg. 8. Ochozias rex Juda ambulavit in viis Achab: & fecit malum coram Domino. Sequitur causa: Gener enim erat Achab.

2.Par. 20. Eliæus Propheta dixit Josaphat regi Israël: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves.

2.Par. 25. Venit homo DEI ad Amasiam regem Juda, & ait:

ait: O rex, ne egrediatur exercitus Israël tecum. Non enim est Dominus cum Israël: quòd si putes, in robore exercitûs bella consistere, superari te faciet DEUS ab hostibus.

Ædificantibus filiis Juda templum post reditum de Babylone, hostes eorum voluerunt ædificare cum illis: Illi verò bonô usi consiliô renuerunt. 1. Esd. 3.

Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat; Tobias solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Jerusalem. Tob. 1.

Beatus Job dixit: Frater fui draconum, & socius Struthonum. Job. 30.

Cùm dixisset Isaias: Vir pollutus labiis ego sum; causam insinuans subdidit: In medio populi polluta labia habentis ego habito. Isai. 6.

Dictum fuit Ezechieli: Increduli, & subversores sunt tecum: & cum scorpionibus habitas. Ezech. 2.

Mali nocent sibi invicem: Nam duo senes ex hoc acceperunt audaciam accusandi Susannam; quia in eadem malitia convenerunt. Dan. 13.

Quamdiu Judas Machabæus confidens de divino auxilio gessit bella pro populo suo, bene ei successit: cùm verò constituit amicitiam, & societatem cum gentilibus Romanis, licèt tunc potentissimis; citò pòst superatus fuit, & in bello cecidit. 1. Mac. 2. & 9.

Simile accidit Jonathæ fratri Judæ. 1. Mac. 12.

Petrus existens cum discipulis in nocte cœnæ Domini, multùm erat audax, & securus. Cùm autem venit ad atrium summi Sacerdotis: Dominum ad vocem unius ancillæ negavit. Matt. 26. ùt supra.

Cœcus, secùs viam sedens mendicans, clamabat ad Dominum JESUM: & qui præibant, increpabant eum, ut taceret. Luc. 18.

Non fuit inter fideles Christi numeratus cœcus ille natus, quem Dominus videre fecit: donec fuit à Synagoga à Pharisæis ejectus. Joan. 9.

Plures mali interdum in unam malam societatem Num. 22.

con-

conveniunt, ut bonis inferant nocumentum. Ità convenerunt Balaac, & Balaam ad maledicendum filiis Iſraël.

Joſue 10. Adoniſedech rex Jeruſalem, & alii 4. reges, eò, quòd illi fecerant pacem cum Joſue, convenerunt adversùs Gabaonitas.

Joſue 11. Item: Jabin rex Aſor, & alii reges triginta contra Joſue, & filios Iſraël.

Judic. 3. Item: quinque Satrapæ Philiſtinorum, Chananæi, Sidonii, & Hevæi, &c.

Judic. 6. Item Madian, & Amalech, & cæteri orientalium nationum.

Iſai 7. Sic autem intelligitur illud Iſaiæ: Requievit Syria ſuper Ephraim; id eſt: decem Tribus, & rex Syriæ concordaverant in unum, ad regem Juda funditus extirpandum.

Luc. 23. Rurſus in paſſione Domini Herodes, & Pilatus facti ſunt amici.

Philip. 2. Philippenſes commendat Apoſtolus dicens: In medio nationis pravæ, & perverſæ, inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo.

Actor. 2. Petrus Apoſtolus dixit quibusdam Judæis, audientibus Verbum DEI: Salvamini à generatione iſta prava.

Act. 13. Proconſul Paulus deſiderabat audire Verbum DEI: ſed erat cum eo Elymas Magus Pſeudopropheta Judæus, qui reſiſtebat Paulo, & Barnabæ, quærens pervertere Proconſulem à fide.

Act. 14. Civitate Lyſtris homines tantæ ſimplicitatis erant: quòd ipſi Paulum, & Barnabam Deos ad terram deſcendiſſe putabant. Cùm autem vix ſedâſſet eos Paulus, & cœpiſſet eis viam oſtendere veritatis: ſupervenerunt quidam Judæi, qui ità perſuaſerunt turbis: quòd Paulus fuit ibi lapidatus, & quaſi pro mortuo derelictus.

Act. 19. Cùm Verbum Domini fortiter in Epheſo creſceret, & Dominus per Paulum ibidem miracula faceret: quidam Demetrius faciens ædes argen-

teas

teas Dianæ, convocatis opificibus illius artis, seditionem contra Paulum concitavit.

TITULUS CLVIII.

Spes, & Longanimitas.

MUltis annis expectavit Abraham, antequam haberet filium de Sara; quia jam centenarius erat, quando natus est Isaac. Gen. 21.

Promissione primò facta Abrahæ, usque ad ingressum seminis sui, fluxerunt anni 440.

Permisit Dominus filios Israël in Ægypto flagellari longo tempore, & affligi: & postea per desertum tentari quadraginta annis; antequam venirent ad terram promissionis; sicut apparet in Exod. & lib. Numerorum, quasi per totum.

Filii Israël contra Tribum Benjamin pugnantes, multi contra paucos, bis debellati fuerunt: tandem prævaluerunt. Judic. 20.

Afflictus corpore, orbatus filiis, derisus ab amicis, & rebus omnibus spoliatus Job, dicebat: Etsi occiderit me, in ipsum sperabo. Job. 13.

Parentibus Tobiæ, irridentibus eum, & dicentibus: Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas? Tobias increpabat eos, dicens: Nolite ità loqui; quoniam filii sanctorum sumus: & vitam illam expectamus; quam DEUS daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. Tob. 2.

Cùm esset Susanna duorum Presbyterorum iniquô condemnata testimoniô; dicitur tamen de ea: quòd erat cor ejus habens fiduciam in Domino. Dan. 13.

Unus illorum septem fratrum postulatus à tyranno, linguam citò protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait: E cœlo ista possideo. 2. Mac. 7.

Machabæus Judas misit Jerosolymam duodecim mil- 2. Mac. 12.

millia drachmas argenti, offerri eas ibi pro peccatis mortuorum, juſtè, & religioſè de reſurrectione cogitans.

Luc. 2. Homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon: & hono iſte juſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſraël.

Act. 1. Aſcenſurus in cœlum Salvator, præcepit diſcipulis ſuis: ut non diſcederent ab Jeruſalem, ſed expectarent promiſſionem Patris.

Act. 23. Videns Paulus, quòd una pars erat Phariſæorum, & alia Saducæorum; exclamavit in Conſilio: Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe, & reſurrectione mortuorum ego judicor.

1. Tim. 6. Monet Apoſtolus Timotheum: ut præcipiat divitibus, non ſublimè ſapere, nec ſperare in incerto divitiarum, ſed in DEO vivente.

TITULUS CLIX.

Spiritus mali.

SPiritus mali dicuntur eſſe DEI: quia ſunt in poteſtate DEI, & per DEUM poſſunt, quicquid poſſunt.

1. Reg. 16. Spiritus DEI malus exagitabat Saul.

Tob. 3. & 8. Dæmonium occidit ſeptem viros Saræ filiæ Raguelis: ſed fuit ejectum per boni Angeli Raphaëlis adventum.

Job. 1. & 2. Super animalia Job, & domum, ubi filii comedebant, & ſuper corpus ipſius Job Sathan tantùm potuit, quantùm Providentia divina permiſit.

Matth. 8. Spiritus malus fecit hominem ſævum, vel crudelem.

Luc. 8. Facit quoque hominem immundum. Nam illi duo dæmoniaci ſævi nimis habitabant in monumentis: & dæmones petierunt intrare in porcos, non agnos.

Unus

Unus eorum famosior, vestimento non induebatur: in domo non habitabat: vinciebatur catenis: & compedibus custoditus, etiam ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta. Eodem.

Facit quoque hominem cœcum, & mutum. Item cùm apprehenderit eum, allidit eum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit, & frequenter eum in aquam, & ignem mittit; ut eum perdat. Marc. 9. Matth. 9. Luc. 9. Matth. 17.

Laudes malignorum spirituum Dominus recusabat. Obmutesce, & exi ab eo. Marc. 1. Luc. 4.

Potestatem dæmonum parvam esse, ex hoc patet: quòd nec in porcos potuerunt intrare, nisi petitâ à Christo licentiâ, & obtentâ. Matth. 8. Luc. 8.

Prohibuit Dominus: ne gauderent discipuli, si spiritus maligni subjicerentur eis; quasi hoc magnum ab eis non debeat reputari. Luc. 10.

Puella quædam, habens spiritum Pythonem, clamabat multis diebus post Paulum, & socios ejus. Dolens autem Paulus conversus est ad spiritum, & dixit: Præcipio tibi in virtute, & in nomine Domini nostri JESU Christi, exire ab ea, & exiit eâdem horâ. Nota: Non curabat Paulus doctrinam veritatis confirmari per spiritum falsitatis. Act. 16.

Quidam Judæi tentaverunt invocare super eos, qui habebant spiritus malos, Nomen Domini nostri JESU Christi, dicentes: Adjuro vos per JEsum, quem Paulus prædicat. Respondens autem spiritus nequam, dixit: JESUM novi: & Paulum scio; vos autem qui estis? & insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, dominatus est eorum, & invaluit contra eos, adeò, quòd nudi, & vulnerati recederent à domo illa. Act. 19.

TITULUS CLX.

Strages hominum.

Gen. 7. TErribilis hominum, & aliorum animalium ſtrages fuit: quando tempore Noë omnes homines, præter octo, diluviô perierunt.

Gen. 14. Illi quatuor reges, qui debellaverunt quinque reges, magnam cædem hominum fecerunt, veniendo usque illuc, & pugnando contra illos; licèt eorum numerus non ſit ſcriptus.

Exod. per totum. Quot homines diverſis plagis perierint in Ægypto, & ſubmerſi ſint in mari rubro, numerus per ſcripturam non poteſt ſciri, ſed debet maximus reputari.

Num. 14. De ſexcentis millibus hominum bellatorum, à 20. annis, & ſupra, qui numerati ſunt, nullus intravit promiſſionis terram; exceptis Caleb, & Joſue: ſed omnes interierunt variis calamitatibus in deſerto.

Num. 31. Maximam cædem fecerunt filii Iſraël præceptô Moyſi de Madianitis: quòd per prædam, quam rapuerunt, poteſt deprehendi; quia 32000. virginum ſunt inventa. Omnes autem mulieres corruptæ, & maſculi fuerunt jugulati.

Judic. 7. & 8. Tempore Joſue in ingreſſu terræ promiſſionis, tam in civitatibus, quàm in campis, fuit apud omnes homines infinitus numerus occiſorum.

Judic. 4. 7. 11. & 12. Temporibus autem Deboræ, & Gedeonis, & Jephthe Judicum Iſraël, multi fuerunt occiſi: quamvis certus numerus non poſſit haberi.

Judic. 20. Occaſione uxoris Levitæ, fuerunt occiſa ſeptuaginta millia hominum bellatorum, præter mulieres, & parvulos, qui omnes in Tribu Benjamin perierunt.

1. Reg. 4. In diebus Heli, quando fuit capta arca Domini, ceciderunt de Iſraël 30000. peditum pugnatorum.

Saul,

Saul, qui Amalech delevit, plurimos ibi occidit. 1.Reg.14.

Et postea interfectô Goliath Philistæô, multi Philistæi fuerunt occisi. 1.Reg.17.

In morte Saul, & filiorum ejus, multi de Israël ceciderunt. 1.Reg.31.

David de suis, & de filiis Ammon, & de Philistæis multum sanguinem fudit. Sicut patet in diversis locis, &c. 2Reg.per totum.

Pro peccato elevationis David in numeratione populi, ceciderunt 70000. virorum. 2.Reg.24.

Congregatis 32. regibus, & nimia multitudine pugnatorum, Benadad rex Syriæ, bis fugatus est ab Achab rege Israël: & secunda vice, centum millia peditum ex parte Assyriorum occisa fuerunt. 3.Reg.20.

Abia rex Juda, & exercitus ejus, vulnerârunt uno die de exercitu Jeroboam 50000. virorum fortium. 2.Par.13.

Asa rex Juda, habuit in exercitu suo quingenta, & octoginta millia: Æthiopes verò fuerunt decies centena millia: & ruerunt Æthiopes usque ad internecionem; quia Domino cædente contriti sunt. 2.Par.14.

Rex Israël Phacee filius Romeliæ occidit de Juda centum millia hominum virorum bellatorum die una; eò quòd dereliquissent Dominum. 2.Par.28.

Quando Salmanasar cepit Samariam, & transtulit filios Israël in Assyrios: Et quando Nabuchodonosor cepit Jerusalem, & captivavit regem Juda: satis est verisimile; multos homines corruisse, licèt numerus non sit certus. Jerem.39

Occasione superbi, & crudelis Aman, qui propter solum Mardochæum voluit cæteros jugulare Judæos, occiderunt Judæi in regno Assueri 75000. hominum, quos suos reputabant inimicos. Esth.9.

Misit Jonathas Demetrio apud Antiochiam 3000. virorum in auxilium contra illos de civitate, qui volebant Demetrium occidere, & occisa sunt una die de Antiochenis centum millia hominum. 1.Mac.11

2. Mac. 5. Tanta cædes hominum fuit in Jerusalem, quando Antiochus Epiphanes eam cepit; quòd totô triduô fuerunt interfecti octoginta millia hominum, & quadraginta millia vincti, non minus venundati.

2. Mac. 8. Adversus Galatas sex millia sola peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cœlo, &c.

Pugna Judæ. Præter prælia quæ commisit Judas Machabæus, contra Apollonium, & contra Seron Principem exercitûs Syriæ, de quibus agitur 1. Machabæorum 3. legitur ipse Machabæus 12. specialiter habuisse conflictus: videlicet ab octavo capite 2. libri usque in finem. In quorum primò occiderunt 9000. hominum de illis, qui erant cum Nicanore.

Deinde 20000. cum Timotheo, & Bacchide.

Postea verò 25000. de Idumæis.

Iterum de Idumæis 24000. in duabus turribus munitis.

Consequenter 21000. cum Timotheo.

Item 12000. cum Lysia.

Postea 10000. in quodam præsidio Timothei.

Item 30000. cum Timotheo.

Deinde 25000. in Carmon fortissima civitate.

Item in alia civitate nomine Ephron 25000.

Postea in castris Antiochi Eupatoris interfecit 14000.

Tandem occisus Nicanor cum 25000. pugnatorum. Summa omnium, ducenta, & 36000. hominum, præter illos, qui quandoque de Judæ exercitu ceciderunt.

Item exceptis illis, qui in diversis munitionibus, & præliis occubuerunt, quorum certus numerus non habetur. Non computantur etiam hic, qui in ultimo Judæ bello contra Bacchidem, & Alcimum mortui sunt; ubi factum est prælium à mane usque ad vesperam; ubi etiam dicitur: quòd Judas cecidit, & cæteri fugerunt.

TITU-

TITULUS CLXI.

Superbia.

EVa propter appetitum excellentiæ, cùm audiſſet à ſerpente: Eritis ſicut dii; de ligno vetito comedit. Gen. 3.

Datum eſt homini dominium ad comedendum ſuper piſces, aves, & beſtias. Gen. 1. Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, &c. Item: terror veſter, & tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ. Gen. 1.

Superbia volentium ædificare turrim usque ad cœlum damnata fuit per confuſionem linguarum. Gen. 11.

Agar ancilla Sarai concepiſſe ſe videns, dominam ſuam deſpexit. Gen. 16.

Contra gloriantes de primogenitura eſt: quòd Cain fuit natus ante Abel: Eſau ante Jacob; Geneſis 15. & Judas fuit 4. genitus inter filios Iſraël, Geneſis 29. & Manaſſes filius Joſeph natus fuit ante Ephraim, qui tamen habuit benedictionem dexteræ, Geneſis 48. Et David fuit minimus inter fratres ſuos 1. Regum 16. Et Adonias natus fuit ante Salomonem, 2. Reg. 3. & ſic de multis aliis.

Nimis ſuperbè reſpondit Pharao, quando dixit: Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam. Exod. 5.

Rebellio Core, & aliorum facta contra Moyſen, ex ſuperbia proceſſit. Nam dixit Moyſes: Multum erigimini filii Levi. Num. 16.

Percuſſus Abimelech à muliere, vocavit armigerum ſuum, & ait ei: Percute me, ne dicatur, quia à fœmina interfectus ſum. Judic. 9.

Saul petiit à Samuele: ut eum coram ſenioribus populi honoraret. 1. Reg. 15.

Graviter fuit punitum elationis peccatum: quando David fecit numerari populum ſibi ſubjectum. 2. Reg. 24.

Libido, quam habuit Jeroboam dominandi, timens, 3. Reg. 12.

mens, ne populus reverteretur ad domum David, fecit eum excogitare vitulos aureos, quos fecit à populo adorari: & maluit eos recedere à Deo suo, quàm à Domino suo.

Judith. 1. Post victoriam obtentam de Arphaxad rege Medorum, exaltatum est regnum Nabuchodonosor regis Assyriorum: & cor ejus elevatum est.

Judith. 3. Præceperat Nabuchodonosor Holoferni: ut omnes Deos terræ exterminaret, & ipse solus Deus diceretur ab his regionibus, quæ potuissent Holofernis potestati subjugari.

Esth. 3. Videns superbus Aman, quòd Mardochæus ipsum adorare nolebat; suasit regi: ut totus Judæorum populus deleretur.

Esth. 5. Aman superbissimus volebat coram se genuflecti, & ab hominibus adorari. Sed notabile est: quòd illâ superbiâ tot mala in seipso causavit: ut iratus, & indignans existeret, & omnia alia, quæ habebat, quasi nihil reputaret.

Isai. 3. Signa superbiæ detestatur Dominus per Isaiam, dicens: Pro eo, quòd elevatæ sunt superbæ filiæ Sion, & ambulaverunt collo extenso, &c.

Isai. 14. De Nabuchodonosor intelligitur ad literam illud Isaiæ: Conscendam in cœlum, dicebat, &c. Ero similis altissimo.

Isa. 16. De Moab dicitur: Audivimus superbiam Moab, superbus est valde, superbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus, plusquam fortitudo ejus.

Dan. 5. Quoniam elevatum fuit cor Nabuchodonosor regis Babylonis, & spiritus illius obduratus est ad superbiam, depositus est de solio suo, & gloria ejus ablata est.

Eodem. Balthasar filius Nabuchodonosor rex Babylonis, non humiliavit cor suum, sed adversùs dominatorem cœli elevatus est; & ideo interfectus est: & Darius Medus successit in regno.

1. Mach. 1 Antiochus ascendit Hierosolymam in multitudine gravi, & intravit sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, &c. Di-

Dixerunt illi, quos dimisit Judas Machabæus ad custodiam terræ, dum iret ad prælium: Faciamus nobis nomen, & eamus pugnare contra gentes, &c. 1. Mac. 5.

Alcimus, qui volebat fieri summus Sacerdos, & quidam alii iniqui, iverunt ad regem Demetrium, & accusaverunt Judam, & populum Judæorum. 1. Mac. 7.

Cùm audisset Nicanor holocausta, quæ offerebantur à Judæis pro rege, irridens sprevit, & locutus est superbè. Eodem.

Antiochus æstimabat se præ superbia terram ad navigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum, propter mentis elationem. 2. Mac. 5.

Nicanor veniens ad pugnandum contra Judam, & socios ejus, ità credebat esse securus de victoria: quòd vendebat Judæos, antequam in campo videret eos. 2. Mac. 8.

Fugatus turpiter Antiochus de Perside, superbè locutus est: se venturum Hierosolymam, & congeriem sepulchri Judæorum eam facturum; sed DEUS percussit eum insanabili plaga. 2. Mac. 9.

Nicanor Judæis dicentibus: Est Dominus potens in cœlo, qui jussit agi diem septimum. Et ego, inquit, potens sum super terram, qui impe o sumi arma, & negotia regis impleri. Sequitur: Et in summa superbia erectus, cogitaverat commune trophæum statuere de Juda. 2. Mac. 15

Cùm dixissent discipuli: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo; compescuit eos Dominus dicens: Videbam Sathanam sicut fulgur cadentem de cœlo, &c. In hoc tamen nolite gaudere. Luc. 10.

Superbia Pharisæi, qui se jactabat, & proximum condemnabat, damnatur. Luc. 18.

Statuto die, Herodes in veste regali, sedit pro Tribunali, & concionabatur ad populum. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò, quòd non dedisset gloriam, & honorem DEO: consumptúsque à vermibus expiravit. Act. 12.

* TITULUS CLXII.

Superiores Ecclesiastici honorandi.

Num. 16. CORe, Dathan, & Abiron insurgentes, & populum concitantes contra Moysen, & Aaron, inusitatô supplicio, & ipsi, & eorum omnia, terræ hiatu absorpta sunt.

Num. 11. Maria soror Moysis contra fratrem murmurans leprâ percutitur.

1. Reg. 3. Samuel adhuc puer tantam gerebat venerationem erga Heli Sacerdotem; ut sæpius una nocte surrexit, & ad eum accessit, putans se ab illo vocatum.

1. Reg. 8. Samuelem Israëlitæ spreverunt, vel potius Deum in illo; ait enim Dominus: non te abjecerunt, sed me. Ideo, ut Deus hunc contemptum ulciscereturr (ait Cyprianus L. 3. Ep. 9.) excitavit eis Saul regem, qui eos injuriis gravioribus afflligeret, & per omnes contumelias, & pœnas superbum populum calcaret, & premeret; ut contemptus Sacerdos de superbo populo ultione Divina vindicaretur.

1. Reg. 22. 17. Servi Saul, à Domino suo jussi, ut interficerent Achimelech, & reliquos Sacerdotes, noluerunt extendere manus suas in Sacerdotes Domini.

1. Reg. 13. Saul, quia Samueli Prophetæ non obtemperavit, regnô excidit.

3. Reg. 22 Achab rex, propter contemptum, & in vincula conjectum Michæam Prophetam in bello occisus est.

2. Par. 25. Amasias rex Juda, quia Prophetam à DEO sibi missum contemnens dixit: num Consiliarius regis es? quiesce: ne interficiam te; traditus fuit in manus Joas regis Israël, omnibus spoliatus, & postea à suis interfectus.

Act. 23. Paulus in Concilio ex Imperio summi Sacerdotis Ananiæ, alapâ percussus, dixit ad eum: percu-

cutiet te DEUS, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundùm legem: & contra legem jubes me percuti. Monitus autem, quòd sit summus Sacerdos, respondit: nesciebam, fratres, quia Princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.

* TITULUS CLXIII.

Superiores, & Principes sæculares honorandi.

CUm Pharao rex Ægypti, Joseph super totum suum regnum constitueret, dixit: absque tuo imperio nullus movebit manum, aut pedem in universa Ægypto. Et iterum: ad oris tui imperium cunctus obediet populus. Pharaone dein jubente, circumductus est Joseph per totam Ægyptum: & omnes coram eo genu flectebant. Gen. 41.

Cùm filii Israël post mortem Moysis accepissent Josue in Ducem, & Principem, dixerunt ad eum: omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus: & quocunque miseris, ibimus. Qui non obediverit cunctis sermonibus, quos præceperis ei, moriatur. Jos. 1, 16.

David, licèt jam unctus in regem, Saulem tamen, quamvis impium, sibíque infestum, quia tamen rex erat, semper est summopere reveritus, eíque obedivit. 1. Reg. 24.

Cùm rebellis filius Absalon in pugna contra Patrem suum David, quem regno expellere conabatur, victus fugeret, & cæsarie sua ramis patulæ quercûs implexus hæreret, miles quidam, pendentem videns, interficere noluit: quia regis filius erat; & ut ei parceretur: à Rege David præceptum erat. 2. Reg. 18.

Præcepit rex Assuerus Aman primo regni Principi, & aulæ ministro: ut Mardochæum Judæum Esth. 6.

rega-

regalibus vestibus ornatum regio equo imponeret: sic eum per civitatem deduceret: atque clamaret: hoc honore condignus est, quemcunque rex voluerit honorare. Hoc mandatum Aman reverenter accepit: & sinè ulla contradictione executus est, licèt esset Mardochæi infensissimus hostis.

Matt. 17. 23. Christus Dominus Capharnaum veniens cum discipulis tributum pendit; non quòd esset jure obligatus: sed ne scandalum daret. Præcepit igitur Petro: ut piscatum iret, & in ore piscis, quem primum cepisset, inventum staterem Publicanis offerret.

Matt. 22. 21. Idem publicè docet: danda esse Cæsari, quæ sunt Cæsaris.

Act. 25. Paulus, ne injuriam à Judæis pateretur, ad Cæsarem appellat; non dubitans: se ejus supremo tribunali submittere.

1. Tim. 2. 2 Idem vult obsecrationes fieri ab omnibus pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt; hoc enim, ait: bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro DEO.

1. Pet. 2. 13 S. Petrus pariter præcipit: Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEUM, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis; quia sic est voluntas DEI.

TITULUS CLXIV.

Suspicio, & judicium temerarium.

Gen. 20. COgitavit Abraham: quòd forsitan non erat timor DEI in Geraris, & homines illius terræ eum occiderent propter uxorem suam. Simile accidit Isaac, Gen. 26.

Gen. 31. Suspicatus est Laban: quòd Jacob furatus esset Deos ejus; & ob hanc causam perscrutatus est totam suppellectilem.

Gen. 37. Videns Jacob vestimenta Joseph sanguine cruenta-

entata; putavit, eum esse mortuum, & à fera pessima devoratum.

Præcepit Joseph dispensatori suo: ut introduceret fratres suos domum, ad comedendum secum: at illi exterriti, crediderunt: quòd vellet eos subjicere servituti. Gen. 44.

Rubenitæ, & Gaaditæ euntes ad possessiones suas, ædificaverunt altare trans Jordanem. Quo audito, filii Israël turbati fuerunt, nescientes, quare hoc fecissent illi; & putaverunt: quòd vellent se ab eorum lege penitus separare. Josue 22.

Cùm iviſſet Samson ad domum patris sui, socer ejus putavit: quòd odiô haberet uxorem suam, & repudiâsset eam; unde tradidit eam alii viro. Judic. 15.

Heli videns Annam labia movere, & nullum verbum proferre; æstimavit, eam esse temulentam. 1. Reg 1.

Quia Saul persequebatur David, imponebat ipsi David: quòd ipse persequeretur eum. Unde dicebat: quòd filius suus Jonathas suscitâsset servum suum insidiantem ei, licèt esset falsissimum. 1. Reg. 22

Cùm esset David cum Achis rege Geth, quasi custos capitis sui, Satrapæ dixerunt ad Achis: ut recederet David; ne fortè transfugeret ad Saulem. 1. Reg. 29.

Misit David nuncios ad regem Ammon, ut consolarentur eum super patris interitu. Principes autem illius putaverunt: quòd veniſſent ad explorandam civitatem; non ad consolandum regem. 2. Reg. 10.

Postquam rex Assuerus turbatus fuit contra Aman, & ille jacebat super lectum Esther; ad rogandum eam pro anima sua, imposuit ei rex: quòd ipso præsente, voluerit reginam opprimere. Esther. 7.

Dum vellet Jeremias ire ad terram Benjamin, comprehendit eum custos portæ, & imposuit ei: quòd fugeret ad Chaldæos. Jer. 37.

Nunciante Jeremia Propheta voluntatem Domini popu- Jerem. 43

populo terræ, qui remanserat post destructionem Jerusalem, dixerunt ei: Mendacium tu loqueris; non te misit Dominus, sed Baruch filius Neriæ incitavit te adversum nos; ut tradat nos in manus Chaldæorum.

2. Mac. 6. Tortores, qui Eleazarum ducebant ad supplicium, in iram versi sunt, propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam dictos arbitrabantur.

Matth. 14 Videntes discipuli supra mare Dominum ambulan-
Marc. 6. tem, putaverunt, phantasma esse: & præ timore clamaverunt.

Luc. 7. Simon Pharisæus videns mulierem peccatricem ad pedes Domini flentem, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret, qualis esset, &c.

Luc. 18. Ad hoc, quòd nullus de se altè sentiat de aliquo, multùm valet exemplum, quod adducit Salvator de jactante se Pharisæo, & humili Publicano.

Act. 2. Videntes Judæi Apostolos Domini, post effusionem Spiritus Sancti, loquentes variis linguis, dicebant quidam eorum: Quia mustò pleni sunt.

Act. 9. Omnes discipuli Christi timebant Saulem post conversionem suam, non credentes: quòd esset discipulus; donec Barnabas duxit illum ad Apostolos, & narravit illis; quomodo in via vidisset Dominum: quomodo in Damasco fiducialiter egit in Nomine Domini JEsu.

Act. 21. Tribunus Lysias, videns Paulum à Judæis tam malè tractari, quæsivit ab eo: Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitâsti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum Sicariorum?

Act. 28. Ut viderunt Barbari pendentem viperam in manu Pauli, ad invicem dicebant: Utique homicida homo est hic. Et æstimabant, eum in tumorem convertendum, & subitò casurum, & moriturum.

TITU-

TITULUS CLXV.

Templa honoranda.

T

LOcutus est Dominus ad Moysen dicens: Facies labium æneum ad lavandum, & missâ aquâ, lavabunt in eo Aaron, & filii ejus manus suas, ac pedes, quando ingressûri sunt tabernaculum testimonii. Exod. 30.

Non licebat, nisi paucis, intrare tabernaculum, nec vasa ipsius tangere. Num. 4.

Diligentior, & ferventior fuit Salomon in ædificatione templi DEI, quàm in ædificatione domûs propriæ. Nam domum DEI complevit septem annis, domum verò propriam tredecim annis. Præterea citiùs cœpit ædificare templum, quàm domum suam. 3. Reg. 6.

Magnam fecit Salomon solemnitatem in ædificatione templi. 3. Reg. 8.

Præcepit Jojada Pontifex: ut Athalia educeretur extra templum, & non occideretur in templo Domini. 4. Reg. 11

Magnam curam videbatur Dominus habere de templo; quando præcepit Cyro regi Persarum: ut ædificaret ei domum in Jerusalem. Et intelligitur de domo materiali, sicut patet in textu. Et hoc per Isaiam antea prædictum fuerat per 200. annos. 1. Esd. 1. Isai. 45.

Reversi de Babylonica civitate Judæi prius cœperunt ædificare templum, quàm muros civitatis: Licèt multos haberent inimicos, de quibus die ac nocte timebant. 1. Esd. 3.

Commendatur Tobias: quia ibat in Jerusalem ad templum Domini, & ibi orabat Dominum. Tob. 1.

Obtentâ victoriâ de inimicis, qui contaminaverunt templum, dixit Judas, & fratres ejus, antequam de domibus propriis aliquam facerent mentionem: Ecce contriti sunt inimici nostri, 1. Mac. 4.

ascen-

ascendamus nunc mundare sancta, & renovare.

1.Mac.10 Rex Demetrius statuit: quòd quicunque confugerit in templum, quod est Jerosolymis, & in omnibus finibus ejus, obnoxii regi in omni negotio, dimittantur.

2.Mac.15 Euntibus Judæis ad bellum contra Nicanoris exercitum, erat pro uxoribus, & filiis; item pro fratribus, & cognatis minor sollicitudo; maximus verò, & primus pro sanctitate timor erat templi.

Luc. 2. Quadragesimo die, voluit Dominus in templum deferri, & offerri.

Eodem. Item: duodecim annorum factus, disputans in templo fuit inventus.

Postea de templo vendentes, & ementes pluries ejecit. Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. Joan. 2.

Idem in templo frequenter docuit, & miracula quædam fecit. Matth. 21. Marc. 1. & 12. Luc. 19. & 21. Joan. 7.

Matt. 23. Arguit Dominus Pharisæos, qui dicebant: aurum templi sanctius esse templo.

Act. 3. Recepto Sancto Spiritu, Petrus, & Joannes ascenderunt in templum, ad horam orationis nonam. Et tunc factum est primum sanitatis miraculum, quod factum fuit post ascensionem Domini.

Act. 5. Angelus Domini per noctem, aperiens januam carceris, & abducens Apostolos, dixit: Ite, & stantes loquimini in templo omnia verba vitæ hujus.

Act. 8. Commendatur Eunuchus ille Candacis reginæ Æthiopum: quia de Æthiopia venit adorare in Jerusalem. Sed nota: quòd etiam sedens in curru, legebat Isaiam Prophetam. Quod est contra multos, qui euntes ad loca sancta, non legunt, vel referunt sacra dogmata, sed multiplicant vana verba.

Ibidem.

Act. 21. Quamvis Judæi gravi odio persequerentur Paulum,

lum, tamen in templo noluerunt occidere; sed traxeruut eum extra templum, ut foris occiderent.

TITULUS CLXVI.

Tentatio Dei per hominem.

ABraham ingrediens Ægyptum, prudenter tacuit, Saram esse Uxorem suam: ne, si hoc dixisset: seipsum, & illam discrimini commisisset. Gen. 12. & 20.

Et Isaac similiter: nisi autem sic feciſſet; Dominum quodammodo tentâsset, ùt dicit Augustinus. Gen. 26.

Multoties tentaverunt Dominum filii Israël in deserto. Num. 14.

Superati filii Israël à Philistæis dixerunt: quare percussit nos Deus coram Philistiim, & duxerunt secum arcam Domini ad prælium, quæ capta fuit, & illi magnâ plagâ percussi. 1. Reg. 4.

Sciebat David, se esse unctum in regem, & quòd deberet regnare post Saul, juxtà id, quod promiserat Samuel; non tamen committebat se discrimini: sed faciebat ad sui custodiam, quod poterat. 1. Reg. 22.

Cùm magnus piscis invasisset Tobiam, non expectavit, quòd Angelus eum liberaret; qui tamen velociter hoc facere potuisset; sed apprehendit branchiam ejus, & traxit eum in siccum. Tob. 6.

Ozias statuit cum populo: ut transactis quinque diebus, nisi veniret adjutorium, traderent se Holoferni. Dixit autem Judith Presbyteris civitatis: & qui estis vos, qui tentatis Dominum? non est iste sermo, qui misericordiam provocet. Judith. 8.

Tentatus Dominus à diabolo, ut ipse se de pinnaculo templi præcipitaret: Non tentabis Dominum DEUM tuum: poterat enim aliter demonstrare. Matth. 4. Luc. 4.

Matt. 22. Pharisæi volentes capere JEsum in sermone, fecerunt ab eo quæri: utrum liceret dare tributa Cæsari, an non? Cognitâ JEsus nequitiâ eorum, ait: quid me tentatis hypocritæ, &c.

Luc. 11. Cùm ejecisset dæmonium Dominus, & loqueretur mutus: quidam tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo.

Act. 5. Durè increpando dixit Petrus Saphiræ uxori Ananiæ: quid conspirâstis inter vos, ut tentaretis Spiritum Domini?

Act. 9. De re, quam Paulus potuit per humanam industriam facere, nolebat miracula expectare. Unde apud Damascum: cùm insidiarentur ei Judæi, fecit se per murum in sporta dimitti.

Act. 22. 23 & 25. Item: cùm astrictum loris vellet Tribunus eum facere torqueri, dixit: se esse civem Romanum; rursum dixit: se esse Pharisæum; ut poneret dissensionem inter Judæos: & cùm haberet iniquum judicem, Cæsarem appellavit.

TITULUS CLXVII.

Tentatio hominis per Deum.

Gen. 22. TEntavit Deus Abraham, & dixit ad eum: tolle filium tuum.

Exod. 16. Dixit Dominus ad Moysen: Ecce ego pluam vobis panes de cœlo; egrediatur populus, & colligat, &c. Sequitur: Ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, vel non?

Exod. 20. Loquente Domino cum Moyse, cunctus populus audiebat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumigantem; & perterriti, ac pavore percussi, dixerunt Moysi: Loquere tu nobis, &c. & ait Moyses: Nolite timere: ut enim probaret vos, venit Deus; & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis.

Judic. 2. Non delevit Dominus penitus gentes omnes de terra promissionis: ut in ipsis experiretur Israël, utrum custodiret ejus mandata. De-

Dereliquit Dominus Ezechiam: ut tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde ejus; quando venerant nuntii regis Babylonis ad eum. 2. Par. 3

Postquam Tobias fuerat excœcatus, dicitur ibi: Hanc autem tentationem ideo Deus fieri permisit; ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus. Tob. 2.

Dixit Judith, loquens de filiis Israël, quos illo tempore Holofernes destruere cogitabat: Memores esse deberent; quia tentati sunt patres nostri, ut probarentur, si verè colerent Deum. Judith. 8.

Propter gravissimas tribulationes, quas passus est Job, ipse dicebat de seipso: probavit me quasi aurum, quod per ignem transit. Job 23.

Petebat David à Domino dicens: Proba me Domine, & tenta me. Domine probâsti me, &c. Psal. 26. & 138.

Ambulans Dominus JEsus super aquas jussit, Petrum venire ad se. Videns autem ventum validum, timuit. Matt. 14.

Dixit Dominus ad Philippum: unde ememus panes, ut hi manducent? hoc autem dicebat tentans eum. Joan. 6.

Petrus ait: modicum nunc oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestræ fidei multò pretiosior aurô, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, &c. 1. Pet. 1.

TITULUS CLXVIII.

Tentatio Diaboli.

SErpens callidus ad tentandum, imò diabolus in serpente, humanum genus ex parte debiliorum, & ad peccandum promptiorum aggressus est. Non enim Adam primùm tentavit, sed Evam. Item: explorando à longè incepit; non statim comedere vetitum fructum ex abrupto suasit.

Item: negavit pœnam secutam pro mandati transgres- Gen. 3.

gressione, & magna bona asseruit affutura pro una tali comessatione.

Eodem. Spiritus mendax frequenter in tentatione mentitur.

Luc. 4. Unde dixit Evæ: Nequaquam moriemini. Ità dixit Salvatori: cùm ostendisset ei omnia regna mundi; Mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.

Matth. 4. Tum & scripturam sacram perversè allegat; dixit enim Domino Angelorum: Angelis suis mandavit de te, &c.

1. Par. 21. Consurrexit Sathan contra Israël, & incitavit David; ut numeret Israël.

Job. 1. 2. Petivit Sathan à Domino: ut Job tangeretur in rebus, & liberis, & corpore. In quo potest notari, & calliditas, & malignitas, & infirmitas inimici.

Dan. 13. Non expedit tentationes suas revelare alicui homini, quem credit tentatum de simili peccato fore, sed magis alicui discreto, & sancto, qui eum confortet in bono. Unde duo senes, quando sibi invicem concupiscentiam suam indicaverunt, ad pejus provocati fuerunt.

Matth. 4. Tentatio Domini nos instituit ad vincendum omne

Luc. 4. genus tentationis. Fuit enim tentatus à tribus, ad quæ omnia possunt tentamenta reduci. Et nota: quòd non per potentiam, sed per scripturam tentatorem vicit.

Luc. 22. Ait Dominus Simoni Petro, instante passione sua: Ecce Sathan expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te.

Joan. 13. Diabolus misit in cor Judæ: ut traderet Dominum JEsum Christum.

Act. 5. Dixit Petrus Ananiæ: Cur tentavit Sathanas cor tuum mentiri Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri?

* TITULUS CLXIX.

Testimonium falsum.

PRæcipit Deus per Moysen: Non suscipies vocem mendacii, nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium. Exo. 23.1

Falsorum testium criminationibus Naboth innocens lapidibus obruitur, ejúsque vinea à rege Achab, & impia Jezabel rapitur: ipsi autem testes falsi ignominiosè trucidantur. 3.Reg.21.

Falsi testes innocentem Susannam adulterii insimulant: falsitatis autem convicti lapidibus obruuntur. Dan.13.34

Principes Sacerdotum, & omne Consilium quærebant falsum testimonium contra JEsum, ut eum morti traderent: & ipsi malè perierunt. Matt. 26. 59.

Novissimè venerunt falsi testes contra JEsum, & dixerunt: Hic dixit: possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. JEsus autem ad omnia tacebat. Matt. 26. 60.

Milites, acceptâ pecuniâ, Christum, quem à morte resurgentem suis oculis conspexerant, à discipulis noctu clàm sublatum per urbem proclamârunt. Matth.28. 12.

Seniores, & Scribæ contra Stephanum falsos testes submiserunt, quorum calumniis blasphemiæ convictum occiderent. Act.6.11.

TITULUS CLXX.

Timor DEI.

USque ad beatitudinem confirmatam non potest esse securitas. Nam & Angeli in cœlo empyreo, & primi parentes in terrestri paradiso peccaverunt. Gen. 3.

Loth inter peccatores pessimos bonus fuit: & exiens inde cum filiabus propriis in monte peccavit. Gen. 19.

Gen. 20. Defectus timoris Divini est causa peccati; ideo dixit Abraham ad Abimelech: Cogitavi mecum dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient me.

Exod. 1. Timuerunt obstetrices Dominum: & ædificavit illis domos.

Exod. 20. Voluit Dominus filiis Israël multum timorem incutere; ideo cum tonitruis, & igne, & signis terribilibus legem dedit.

Non debet homo confidere in probitate parentum; Abraham enim plures habuit malos filios, unum bonum.

1. Reg. 8. Samuel habuit duos: ambo fuerunt mali. David etiam multos malos. Samuel habuit unum malum, & stultum. Et de multis aliis inveniuntur exempla.

Exod. 14. Post transitum maris rubri, & submersionem exercitûs Pharaonis dicitur: Timuit populus Dominum; & crediderunt Domino, & Moysi servo ejus.

3. Reg. 18 Abdias dispensator domûs Achab timebat Dominum Israël valde; nam cùm interficeret Jezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abscondit eos, & pavit.

4. Reg. 17. Homines, quos misit rex Babylonis ad habitandum Samariam, non timebant Dominum: & immisit eis Dominus leones, qui interficiebant eos.

2. Par. 19. Constituit Josaphat Judices in cunctis civitatibus Juda, præcipiens eis inter cætera: Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia facite. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas.

Tob. 1. Tobias senior ab infantia filium suum timere Dominum docuit: & timentes Deum ad convi-

Tob. 2. vium suum fecit vocari. Sequitur: Plus timens Deum, quàm regem, rapiebat corpora occisorum, & sepeliebat.

To-

Tobias junior, & amici ſui cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant. Tob. 9.

Confitendo in oratione Domino, dicebat Sara filia Raguelis: Virum cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi accipere. Tob. 3.

Erat Judith in omnibus vidua famoſiſſima: quoniam timebat Deum valde; nec erat, qui loqueretur de ea verbum unum malum. Judith. 8.

Inter alia, de quibus commendatur Job, ſignanter tangitur timor Dei. Cap. 1. & 2. Unde ipſe dixit: Semper enim, tumentes quaſi ſuper me fluctus, timui Deum. Job. 31.

De muliere forti dicitur ſpecialiter: Mulier timens Deum ipſa laudabitur. Prov. 31.

Cùm plagis perimeretur Eleazarus, ait: Domine, tu ſcis, quia cùm à morte poſſem liberari, duros corporis ſuſtineo dolores: ſecundùm animam verò, propter timorem tuum, libenter hæc patior. 2. Mac. 6.

Commota tempeſtate magna, cum quibus erat Jonas, miſerunt ipſum in mare, & ſtetit mare à furore ſuo; & timuerunt viri timore magno Dominum, & immolaverunt hoſtias, & voverunt vota Domino. Jonæ 1.

Si timendus eſt aliquis Dominus, quia poteſt multa bona donare: multò magis ſummè timendus eſt DEUS; quia ſumma bona donare poteſt. Unde Tobias: Noli timere fili: multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum. Et quia poteſt mala inferre, propter hoc Chriſtus dicit: Timete eum, qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam. Tob. 3. Matth. 10.

Si graviter eſt punitus ſervus ille, qui talentum ſibi creditum non multiplicavit? ſed ligatum in ſudario integrum reportavit; quid fiet de illo? qui omnia diſſipat luxuriosè vivendo; & quantum in ipſo eſt, Dominum impugnando. Luc. 19.

Valde graviter punientur illi, qui opera iniquita- Matth. 25

tis, & nequitiæ perpetraverunt. Quod ex hoc apparet: quòd ità confundentur, qui opera misericordiæ non fecerunt. Ite, dicetur: maledicti.

Luc. 2. Simeon erat homo justus, & timoratus, expectans redemptionem Israël.

Actor. 8. Viri timorati curaverunt Stephanum à Judæis lapidatum: & fecerunt planctum magnum.

Act. 9. Post conversionem Pauli scriptum est: Ecclesia ædificabatur, ambulans in timore Domini, & consolatione Spiritûs Sancti replebatur.

Act. 10. Occasione Cornelii Deum timentis, dixit Petrus: In omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi.

TITULUS CLXXI.

Timor, quo mali timent bonos.

Gen. 21. DIxit Abimelech ad Abraham: Deus tecum est in universis, quæ agis. Jura ergo per Deum, ne mihi noceas.

Exod. 14. Ægyptii persequentes filios Israël, qui ibant per medium mare, dixerunt: Fugiamus Israël, Deus enim pugnat pro eis.

1. Reg. 18. Videns Saul, quòd Dominus esset cum David: cœpit timere eum.

4. Reg. 1. Princeps quinquagenarius, qui tertiò venit ad Eliam, reverenter locutus est ei. Quod quia non fecerant duo alii: fuerunt ab igne desuper veniente consumpti.

2. Esd. 6. Factum est cùm completus esset murus Jerusalem: ut timerent universæ gentes, quæ erant in circuitu.

1. Mac. 3. Cecidit timor Judæ, & fratrum ejus, & formido super omnes gentes in circuitu eorum: & pervenit nomen ejus ad regem.

1. Mac. 12 Audierunt adversarii: quia paratus est Jonathas cum suis in bello; & timuerunt: & formidaverunt in corde suo.

Post-

Postquam Lysias fuit debellatus à Juda Machabæo, voluit pacem facere cum eo; & promisit consensurum se omnibus, quæ justa erant, quasi ad voluntatem Judæ. 2.Mac.11

Herodes metuebat Joannem, sciens eum virum justum, & sanctum, & custodiebat eum. Marc. 6.

Post terribilem mortem Ananiæ, & Saphiræ, erant omnes discipuli in porticu Salomonis: cæterorum autem nemo audebat se illis conjungere, sed magnificabat eos populus. Act. 5.

Cùm Paulus, & Silas essent in carcere pariter positi, & pedes eorum lignô stricti, subitò terræmotus factus est magnus. Custos autem carceris tremefactus procidit Paulo, & Silæ ad pedes, & ait: Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam? Actor.16.

* TITULUS CLXXII.

Traditiones Ecclesiasticæ.

CUm Jeremias Rechabitis vinum apponeret, noluerunt illud bibere, dicentes: Pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri usque in sempiternum. Hinc magnam apud Deum gratiam promeruerunt, quòd Parentum traditioni obediverint. Jerem. 35

Moyses remisit Israëlitas ad traditiones majorum, dicens: Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi: majores tuos, & dicent tibi. Deut. 32. 7.

David clarè se traditionibus edoctum pronuntiat, cùm ait: Deus, auribus nostris audivimus. Patres nostri annunciaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Ps. 43. 1.

Paulus, electo Sila, profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum. Act.15.40

Act. 16.4. Cùm Paulus, & Silas pertransissent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Senioribus, qui erant Jerosolymis.

2.Thes. 2 14. Paulus monet Thessalonicenses: state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.

2.Cor.11. 2. Idem laudat Corinthios: quòd ea, quæ illi tradidisset, sedulò tenerent.

TITULUS CLXXIII.

Tribulatio, & ejus utilitas.

Gen. 41. PLus crevit Joseph in exilio, in terra paupertatis suæ, quàm crevisset inter fratres suos in terra nativitatis suæ.

Gen.42. Fratres Joseph locuti sunt ad invicem: Meritò hæc patimur; quia peccavimus in fratrem nostrum; idcircò venit super nos tribulatio.

Exod. 1. Filii Israël creverunt ex oppressionibus, & tribulationibus Pharaonis. Quantò opprimebant eos Ægyptii, tantò magis multiplicabantur, & crescebant.

Num. 21. Afflicti filii Israël à serpentibus ignitis, dixerunt ad Moysen: Peccavimus, quoniam locuti sumus contra Dominum, & contra te, &c. Antequam verò Dominus illis serpentes immitteret, nec peccatum suum recognoscebant, nec divinum auxilium postulabant.

Josue 1. Toto tempore Principatûs Josue, quando filii Israël gravissima prælia habuerunt, non leguntur à Domino recessisse; sed citò pòst: quando in abundantia, & quiete fuerunt.

1.Reg. 7. Audierunt filii Israël: quòd Philistæi essent congregati, ut venirent contra eos, & timentes dixerunt Samueli: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum.

2.Reg. 16 & 24. Fugiens David à facie Absalon, servo suo maledicente sibi, patiens fuit. Sed obtentâ victoriâ superbivit, quando jussit populum numerari.

Vi-

Videns David Dominum propter peccatum elationis ejus iratum, humiliter recognovit culpam suam, & petiit: ut ipsemet puniretur, & populo parceretur. Ibidem.

Eliam fugientem, reginam Jezabel persequentem, Angelus Dominus confortavit. & panem, & aquam ei ostendit. 3.Reg. 19

Pane tribulationis, & aquâ angustiæ jussus est Michæas Propheta sustentari in carcere. Propterea, quia noluit Achab juxta suam voluntatem respondere. 3.Reg. 22

Voluit Dominus: ut viri Judæ affligerentur à rege Ægypti; ut scirent distantiam servitutis divinæ, & servitutis regni terrarum 2.Par. 12.

Postquam Manasses angustiatus est, oravit Dominum, cùm esset vinctus in Babylone: & egit pœnitentiam valde coram Domino: & exaudivit Dominus orationem ejus. 2. Par. 33.

In tribulationis tempore clamaverunt ad te, & tu de cœlo exaudisti eos, & secundùm miserationes tuas multas dedisti salvationes. 2. Esd. 9

Permittente Deo, post bona opera Tobias fuit excœcatus: & deinde derisus est ab illis, qui eum debuerant consolari. Sed postea Dominus multipliciter consolatus est eum. Tob.2.

De populo suo loquens Judith, dixit: Memores esse debetis, quando Abraham pater vester tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Judith. 8.

Tribulationes sustinuit Job in anima: uxoris, & amicorum suorum opprobria, & contumelias, quæ ipsum ad tristitiam provocare deberent; in corpore gravissimas infirmitates, quæ totum corpus à planta pedis usque ad verticem occupabant. In subtractione solatii: quia anhelitum uxor ejus abhorrebat. Alii etiam juvenes, seu viles homines, ipsum deridebant, & ejus faciem conspuebant. Job. 30.

Sanctificatus in utero Jeremias, & prophetiæ spiritu plenus, dicebat de se: quòd erat vir rixæ, Jerem. 15.

& di-

& discordiæ in universa terra, & quòd omnes maledicebant ei.

Jerem. 36 Pro veritate verò, quam populo prædicabat, fuit quandoque percussus: pluries incarceratus C. 38. Et tandem ab ipso populo lapidatus.

Ezech. 1. & deinc. Exul Ezechiel in Chaldæa, in medio captivorum, vidit mirabiles DEI visiones. Per quod patet: quoniam in tribulationibus frequenter Deus hominem consolatur.

Dan. 3. Bene apparet: Dominum esse cum homine in tribulatione, per illos socios Danielis, cum quibus vidit Nabuchodonosor quartum, similem filio DEI.

Dan. 4. Nabuchodonosor in prosperitate fuit arrogans, & superbus: ideo ejectus ab hominibus, & in bestiam mutatus; recuperavit autem sensum, quem amiserat in honore elatus: & laudavit altissimum, quem blasphemaverat prius.

Dan. 2. 3. Tantum, vel amplius laudatus fuit Deus extrium puerorum patientia, quam habuit in somniorum expositione, seu interpretatione:

Dan. 13. Susanna in condemnatione mortis posita, nec habens recursum ad humanum adjutorium, flens respexit ad cœlum; sicut avis in terra ab hominibus, & canibus circumcincta non habet refugium, nisi elevet se in altum.

1. Mahc. 9. Post obitum Judæ Machabæi emerserunt iniqui, & facta est fames valida, & abstulit Bacchides impius Dominos regionis, & facta est tribulatio magna in Israël.

2. Mac. 6. Decretum exiit contra Judæos tam iniquum: ut omnes trucidarentur, qui sacrificare nolebant. Erat ergo Judææ miseria magna.

2. Mac. 9. Antiochus, cùm esset sanus, fuit crudelis homicida, superbus: postea percussus à Deo gravissima, & insanabili plaga, propositum, & verba mutavit.

Matth. 2. Natus in mundo citò passus est Dominus pressuram.

ram mundi: ità quòd Joseph accepit eum, & matrem ejus, & fugit in Ægyptum. De multis afflictionibus, & injuriis, quas passus est, require in Tit. De Patientia.

Apostoli præceptô Magistratuum flagellati ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine JEsu contumeliam pati. Actor. 5.

Quanquam verò Paulus tunc non esset cum illis, tamen ipse postea de se dixit: Gloriamur in tribulationibus. Et ad Corinth. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Rom. 5. 2. Cor. 12

Lapidatô à Judæis Stephanô, facta est magna persecutio in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis; ac omnes dispersi sunt per regiones Judææ, & Samariæ, præter Apostolos. Sed nota: quòd multum profuit ad divulgationem Evangelii. Actor. 8

Haberi potest ex Actibus Apostolorum: quòd Paulus tribulationes, seu persecutiones passus est, post conversionem suam. Act. 9. & sequ.

Consilium fecerunt Judæi, ut interficerent eum nocte, parabantur insidiæ: & dimissus est in sporta per murum. Act. 9. 2. Cor. 11

Cùm essent in Antiochia Pisidiæ Paulus, & Barnabas, disseminaverunt verbum Dei per universam regionem. Judæi excitaverunt persecutiones in eos, & ejecti sunt de finibus Israël. At illi, excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. Actor. 13.

In civitate Lystris propter hominem claudum, quem curavit Paulus, in tanto honore fuerunt; quòd homines illis sacrificare voluerunt. Supervenerunt autem quidam Judæi, & persuaserunt turbis, lapidantésque Paulum, traxerunt extra civitatem, existimantes eum mortuum esse. Actor. 14.

Deinde in Macedonia occasione puellæ, à qua Paulus ejecit spiritum Pythonem, Domini illius dolentes de quæstu amisso, apprehenderunt Paulum, Actor. 16.

lum, & Silam ſocium ejus, & dixerunt, eos eſſe turbatores civitatis. Magiſtratus autem juſſit eos virgis cædi, & in carcerem mitti, & pedes eorum ligno ſtringi.

Actor. 17. Poſtea apud Theſſalonicam, cùm multi credidiſſent, zelantes Judæi concitaverunt per quosdam malos homines civitatem: fratres verò confeſtim per noctem dimiſerunt Paulum, & Silam in Berrhæam. Ubi cùm multi Verbum Dei ſuſcepiſſent, Judæi, hoc cognito, venerunt illuc, commoventes multitudinem, & turbantes: ſtatímque Paulum dimiſerunt fratres, & per mare deduxerunt Athenas.

Actor. 18. Apud Corinthum quoque inſtabat verbo Paulus, teſtificans Judæis eſſe Chriſtum JEſum. Contradicentibus autem illis, & blasphemantibus, excutiens veſtimenta ſua, dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum.

Ibidem. Gallione autem Proconſule Achajæ inſurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & adduxerunt eum ante tribunal, dicentes: Quòd hic homo contra legem perſuadet hominibus colere Deum.

Actor. 19. Exiſtente Paulo Epheſi, & fiducialiter loquente Verbum Dei, & multa ibidem miracula faciente, Demetrius quidam argentarius, faciens ædes Dianæ, convocatis artificibus, concitavit maximam turbationem adversùs Paulum, quem dicebat, avertere turbam à cultu Deorum. His auditis, repleti ſunt irâ, & clamaverunt, dicentes: Magna Diana Epheſiorum.

Actor. 20. Paulo navigante de Græcia in Syriam, factæ ſunt ei inſidiæ à Judæis, habuítque conſilium, ut reverteretur per Macedoniam: comitati ſunt autem eum multi fratres de diverſis locis.

Actor. 21. Quidam Judæi Aſſyriani, cùm vidiſſent in templo Paulum, concitaverunt omnem populum, & injecerunt manus in eum, clamantes: Viri Iſraëlitæ adjuvate. Et apprehendentes Paulum, tra-

he-

hebant extra templum. Quærentibus autem illis eum occidere, nunciatum est Tribuno: quòd tota confunderetur Jerusalem, qui assumptis militibus, decurrit ad illos. Videntes autem Tribunum, & milites, cessaverunt percutere Paulum. Tunc apprehendit Tribunus eum, jussit alligari catenis duabus.

Vociferantibus Judæis adversùs Paulum, & projicientibus vestimenta sua, & pulverem jactantibus in aërem, jussit eum Tribunus duci in castra, & flagellis cædi, & torqueri; ut scirent, propter quam causam acclamarent ad eum. Act. 22.

Cùm esset Paulus à Tribuno detentus, Judæi plus quàm 40. dixerunt Principi Sacerdotum: Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. Nunc ergo faciatis, ut adducatur; & nos, priusquam appropinquet, parati sumus occidere illum. Sed Tribunus à nepote Pauli monitus, fecit eum ad Felicem Præsidem cum manu forti, & tutela deduci. Act. 23.

Existens coram Felice Præside Paulus, fuit à Judæis tanquam seditiosus, & pestifer accusatus; qui cùm eum, & Judæos frequenter audisset, & tempus ità transisset, habuit quendam, Festum nomine, suo loco Cæsareæ successorem. Volens autem Felix gratiam præstare Judæis, reliquit Paulum vinctum, à quo judice Festo Paulus sentiens se gravari, Cæsarem appellavit. Act. 25.

Postea (supple post appellationem) Romam catenâ vinctus, & tempore hyemali naufragium passus, multas tribulationes, & angustias toleravit. Act. 27. & 28.

Paulus, & Barnabas hortabantur: ut permanerent in fide; quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum DEI. Act. 14.

De seipso scribens Apostolus ait: Nolumus vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia; quia supra modum gravati sumus, 2. Cor. 1.

supra

supra vires nostras, ut tæderet nos etiam vivere.

2.Cor.7. Cùm venissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus. Foris pugnæ, intus timores.

1.Thes.1. Commendans Apostolus Thessalonicenses, ait: Vos imitatores nostri facti estis, & Domini, accipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritûs Sancti.

Apoc. 1. & per totum. Ab adventu Spiritûs Sancti in discipulos usque ad tempus illud, quo sub Domitiano Joannes Apostolus fuit in exilium relegatus, fluxerunt anni circiter 50. nec toto illo tempore legitur: tot, & tantas consolationes divinas habuisse, quot habuit modico tempore, quo tribulationem perpessus est: sicut apparet Apoc. 1.

TITULUS CLXXIV.

Tyranni.

Exod. 1. usque ad Exod. 10. VArias adinvenit nequitias Pharao, ut posset extinguere, vel ad numerum parvum redigere filios Israël. Imprimis eos duris laboribus præcepit affligi: deinde masculos occidi: postea eos mandavit in fluvium projici, & fœminas reservari. Primò simpliciter dixit Pharao: Nescio Dominum, & Israël non dimittam. Deinde concessit dicens: Ite, sacrificate Domino interra hac.

Eodem. Postea dimittere eos voluit, ut sacrificarent Domino in deserto. Verumtamen longius ne abirent; postmodum voluit, ut viri irent, dum tamen oves, & armenta dimitterent.

Exod.5. Postquam intellexit Pharao: quòd filii Israël voluerunt sacrificare Domino; durius afflixit eos.

Judic. 1. Septuaginta reges, amputatis manuum, ac pedum summitatibus, colligebant reliquias sub mensa Adonibezec.

Abi-

Abimelech filius Gedeonis, usurpatô dominiô super populo, 70. viros fratres suos occidit super lapidem unum. Judic. 9.

Post multa beneficia à David percepta, Saul quæsivit eum ad mortem : & occidit 85. viros, portantes Ephod. 2.Reg.22.

Virum DEI, arguentem Jeroboam pro altari sacrilego, quod construxerat, præcepit ipse Jeroboam apprehendi. 3.Reg.13.

Jezabel fecit Eliam ad mortem quæri : quia Prophetas Baal fecit occidi. 3.Reg.19.

Naboth Israëlites lapidatus fuit, procurante Jezabel : & fecit falsos testes contra illum produci. 3.Reg.21.

Achab rex Israël fecit poni Michæam Prophetam in carcerem, & sustentari pane tribulationis, & aquâ angustiæ. 3.Reg.22.

Cùm factum esset Verbum Domini in manu Jehu Prophetæ contra Baasa regem Israël, & contra domum suam : occidit prædictum Prophetam. 3.Reg.16.

Manasses rex Juda sanguinem innoxium effudit : & implevit Jerusalem cruore innocentûm. 4.Reg. 21

Cùm reversus esset Sennacherib fugiens à Judæa, ob plagam, quam contra eum fecerat DEUS propter blasphemiam suam, iratus multos Judæos occidit, &c. Tob. 1.

Nabuchodonosor dixit Holoferni : non parcet oculus tuus ulli regno. Judith. 2.

De Holoferne verò postea legitur : Quòd tantus metus illis Provinciis incubuit : ut universarum urbium habitatores exirent obviam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus, ducentes choros in tibiis, & tympanis ; nec tamen ista facientes ferocitatem pectoris ejus mitigare potuerunt. Judith. 3.

Quia Mardochæus superbissimo Aman genua non flectebat, magìs elegit Aman procurare omnes Judæos occidi, quàm parcere uni soli. Esth. 3.

Ad petitionem Principum populi, præcepit Sede- Jer. 38.

cias rex Juda: Jeremiam Prophetam mitti in lacum, in quo non erat aqua, nec lumen.

Jerem. 39 Rex Babylonis occidit filios Sedeciæ regis Juda in oculis ejus in Reblatha: oculos quoque ejus eruit: & vinxit eum compedibus; ut adduceretur in Babylonem.

Dan. 2. Nabuchodonosor rex Babylonis in furorem versus præcepit: ut perirent omnes Sapientes Babylonis; pro eo scilicet, quòd non poterant ei somnium, quòd viderat, indicare.

Dan. 3. Mira crudelitas fuit: cùm Nabuchodonosor rex Babylonis fecit socios Danielis in fornacem ignis ardentis mitti.

1.Mach. 1 Antiochus ascendit Jerosolymam: & fecit cædem hominum: & effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis Jerusalem; & multa, &c.

1.Mac.7. Comprehendit exercitus Antiochum filium Antiochi, & Lysiam: & deduxit eos ad Demetrium; qui voluit videre eos: & occidit eos exercitus.

1.Mac.13. Tryphon cepit Jonatham proditorie; cúmque teneret eum: petiit pro ejus liberatione 200. talenta argenti, & duos filios ejus pro obsidibus. Quos cùm haberet, occidit nequissimè Patrem cum filiis.

2.Mac. 4. Rogatus à Menelao Andronicus, & per munera, quæ accepit ab eo, corruptus, occidit Oniam summum Sacerdotem.

Ibidem. Rex Antiochus Menelaum, hominem sacrilegum de sceleribus multis accusatum absolvit: & accusatores ejus morte damnavit: & eum immunem dimisit.

2.Mac. 6. & 7. Nimiam crudelitatem in Eleazarum illi tyranni ab Antiocho missi exercuerunt: & similiter in illos septem fratres, & eorum matrem.

Matth.2. Videns Herodes, quòd illusus esset à Magis, iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu, & infrà. Scie-

Sciebat Herodes Tetrarcha, Joannem Baptiſtam eſſe virum juſtum, & Sanctum. Et tamen ad petitionem unius meretricis, fecit eum in carcere decollari. Matt. 14. Marc. 6.

Pilatus ſciebat, quòd Judæi per invidiam tradidiſſent Dominum, & nullam cauſam poterant invenire. Tamen ad eorum clamores, & timens perdere amicitiam Cæſaris, ipſum flagellatum tradidit voluntati eorum. Matt. 27.

Acceſſerunt quidam Phariſæorum ad Dominum JEſum dicentes: Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Luc. 13.

Herodes Tetrarcha multo tempore cupiebat videre JEſum, & viſo eo gaviſus eſt valde: & tamen ſprevit illum cum exercitu ſuo: & illuſit; & indutum iſtum veſte alba dimiſit ad Pilatum. Luc. 23.

Miſit Herodes rex Agrippa manus: ut affligeret quosdam de Eccleſia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis. Videns autem, quia placeret Judæis; appoſuit: ut apprehenderet, & Petrum. Act. 12.

A quibusdam fuit Paulus mendaciter accuſatus, pro eo, quòd ipſe ſpiritum Pythonicum ejecerat à quadam puella. Magiſtratus autem juſſerunt eum, & Sylam ejus ſocium virgis cædi: & in carcerem mitti: & pedes eorum lignô ſtringi. Act. 16.

Felix Præſes ſperabat: quòd pecunia ei daretur à Paulo, quem tenebat vinctum; propter quod frequenter accerſens eum, loquebatur cum eo. Succeſſit autem ei Feſtus, & volens Felix gratiam præſtare Judæis, reliquit Paulum vinctum: propterea Paulus compulſus eſt Cæſarem appellare. Act. 24.

TITULUS CLXXV.

Vana, & ſtulta confidentia.

Gen. 11. VAnè, & ſtultè nimiùm in ſe confidebant ædificatores turris Babel: quorum linguas meritò confudit Dominus.

Exod. 14. Pharao, & Ægyptii in curribus, & equis ſtultè confidentes, dum adverſus Dominum perſequerentur Hebræos, ſubmerſi ſunt in mari rubro.

1. Reg. 17. Nimis in viribus ſuis confidentem Goliath gigantem occidit David adhuc puerulus.

Judith. 6. & 13. Nec minùs vana fuit Holofernis in potentia, & armis confidentia, dicentis: non eſſe DEUM, niſi Nabuchodonoſor, cujus tamen caput amputavit imbecillis fœmina.

Pſal. 48. Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum gloriantur. Sequitur: & relinquent alienis divitias ſuas: & ſepulchra eorum domus illorum in perpetuum.

Prov. 11. Qui confidit in divitiis ſuis, corruet: juſti autem, quaſi virens folium germinabunt.

Prov. 12. Qui confidit in cogitationibus ſuis, impiè agit.

Prov. 28. Qui confidit in corde ſuo, ſtultus eſt: qui autem graditur ſapienter, ipſe ſalvabitur.

Iſa. 14. Stultiſſimè in ſe confidebat, ſive Lucifer, ſive Nabuchodonoſor, cui hæc verba adſcribuntur: in cœlum aſcendam ſuper aſtra; & exaltabo ſolium meum, &c. Unde meritò illi reſpondetur: verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.

Jerem. 17 Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus.

Amos 6. Væ, qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, Optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël.

Matt. 25. Stulta, & inanis fuit confidentia Virginum fatuarum,

arum, quæ accensis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. Ideo audire meruerunt: Amen dico vobis, nescio vos.

Petrus quoque nimium in se confidebat, cùm dixit: etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Matt. 26. Marc. 14.

Item cùm dixit: tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. Luc. 22.

Difficile est confidentes in pecuniis in regnum cœlorum introire, ait Dominus. Marc. 10.

Unde diviti illi, qui stultissimè confidens in divitiis dicebat: anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare, responsum est: stulte, hac nocte repetent animam tuam à te: & quæ parâsti, cujus erunt? Luc. 12.

Nec etiam in operibus, quæ sunt de genere bonorum, si sint absque charitate, confidendum est. Non enim Pharisæus, qui orans dicebat: jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo, descendit justificatus, sed Publicanus, qui non audebat oculos ad cœlum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens: DEUS, propitius esto mihi peccatori. Luc. 18.

TITULUS CLXXVI.

Verbum DEI auditum.

AAron locutus fuit omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moysen. Et credidit omnis populus; audierúntque: quòd visitâsset Dominus filios Israël, & proni adoraverunt. Exod. 4.

Dixit Moyses coram Domino: Ecce filii Israël non me audiunt; & quomodo audiet Pharao? Exod. 6.

Cunctus populus dixit Moysi una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Et paulò pòst assumens Moyses volumen fœderis, Exod. 24.

legit audiente populo, qui dixerunt : Omnia, quæ locutus est, faciemus.

Judic. 3. Eglon, rex Moab, sedebat in æstivo cœnaculo, & dixit ad eum Aod: Verbum DEI habeo ad te. Qui statim surrexit de throno, quasi reverentiam exhibens Verbo DEI.

1.Reg. 3. Bene docuit Samuelem Heli, ut diceret Domino loquenti sibi: Loquere Domine; quia audit servus tuus.

3.Reg. 22 Achab rex Israël nolebat audire Michæam Prophetam Domini: quia non prophetabat bonum, sed malum. Vocatus tamen Michæas dixit ei: Audivi sermonem Domini.

2.Esd. 8. Esdras attulit librum legis, & legit in eo apertè, de mane usque ad mediam diem: & aures omnis populi erant erectæ ad librum. Et sequitur: Flebat omnis populus; cùm audiret verba legis.

Job. 42. Respondens Job Domino, dixit: Auditu auris audivi te; nunc autem oculus meus videt te. Idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.

Jer. 26. Factum est verbum Domini ad Jeremiam: Noli subtrahere verbum DEI, si forte audiant, & avertatur unusquisque à via sua mala, & pœniteat me mali, quòd cogito facere eis propter malitiam studiorum eorum.

Ezech. 3. Dixit Dominus Ezechieli: Vade ad domum Israël: & loqueris verba mea ad eos. Sequitur; Domus Israël noluit audire te; quia nolunt audire me.

Jonæ 3. Verbum Jonæ pervenit ad regem Ninive: & surrexit de solio suo: & abjecit vestimentum suum à se: & indutus est sacco: & sedit in cinere.

Marc. 6. Herodes Tetrarcha metuebat Joannem Baptistam, & custodiebat eum: & audito eo, multa faciebat: & eum libenter audiebat.

Luc. 10. Maria soror Marthæ, sedens secùs pedes Domini, audiebat verbum illius; & audivit tandem Domi-

minum dicentem: Maria optimam partem elegit, &c.

In fine sermonis in monte, dixit Dominus: Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti; qui ædificavit domum suam super petram. Matth. 7.

Cùm turbæ irruerent in Dominum JEsum, ut audirent verbum DEI, sedens docebat de navicula turbas: Petrus cum sociis, deductis ad terram navibus, iis relictis, ipse cum sociis secuti sunt Dominum. Luc. 5.

Extollenti vocem mulieri, & dicenti: Beatus venter, qui te portavit: Respondit Dominus: Quinimo beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud. Luc. 11.

Instante dominica passione, legitur: Erat docens quotidie in templo: Et post pauca: Omnis populus suspensus erat, audiens illum. Luc. 19.

Duo discipuli Domini JEsu, euntes in castellum, nomine Emmaus, loquentes ad invicem de iis, quæ tempore dominicæ passionis acciderant, meruerunt habere societatem illius, de quo loquebantur. Luc. 24.

Facto sermone ad plebem in die Pentecostes post adventum Spiritûs Sancti, dicitur: His auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Et baptizati sunt circiter tria millia hominum. Actor. 2.

Post sanationem claudi, & sermonem Petri, sequitur: Multi, qui audierant verbum, crediderunt. Et factus est numerus virorum circiter quinque millia hominum. Act. 4.

Convocantes duodecim Apostoli multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum DEI, & ministrare mensis. Nota tamen: quòd illæ mensæ erant pauperum viduarum. Per quod datur intelligi: quòd opus Act. 6.

prædicationis verbi DEI præfertur operi misericordiæ corporalis.

Ibidem. Non poterant resistere Judæi sapientiæ, & spiritui, qui per beatum Stephanum loquebatur.

Act. 8. Philippus descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum. Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes.

Act. 8. Aperiens Philippus os suum, evangelizabat Eunucho JEsum, & venientes ad quandam aquam, confessus est Eunuchus: se credere, & baptizavit eum.

Act. 9. De Saulo, quem Dominus JEsus excœcaverat corporaliter, & illuminaverat spiritualiter, dixit ipse in visu Ananiæ: Vade, quoniam Vas electionis est mihi iste; ut portet nomen meum coram gentibus.

Act. 10. Noluit Dominus instruere Cornelium per Angelum, sed mandavit ei: ut accerseret Simonem Petrum, & ille doceret eum, & diceret: quid eum facere oporteret.

Ibidem. Loquente Petro, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum illius.

Act. 13. Audiebant gentes, quòd Judæi repellebant verbum DEI: & quòd Paulus, & Barnabas volebant prædicare eis: & gavisi sunt, & crediderunt; quotquot erant præordinati ad vitam æternam.

Act. 14. Factum est Iconii: ut Paulus, & Barnabas ingrederentur Synagogam, & loquerentur; ità ut crederet Judæorum, & Græcorum copiosa multitudo.

Act. 16 Quædam mulier, nomine Lydia, purpuraria audivit Paulum loquentem: cujus cor Dominus aperuit, & baptizata est cum domo sua.

Act. 17. Cùm audissent Athenienses Paulum loquentem de resurrectione mortuorum: quidam irridebant, quidam verò dixerunt: audiemus te de hoc iterum.

rum. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam verò adhærentes ei crediderunt; in quibus Dionyſius Areopagita: & mulier nomine Damaris, & alii cum eis.

Manſit Paulus Epheſi per biennium, quotidie diſputans in ſchola tyranni cujusdam, ità ut omnes qui habitabant in Aſia, audirent verbum Dei. Act. 19.

Poſtquam rex Agrippa audierat Paulum, dixit ei: In modico ſuades me Chriſtianum fieri. Act. 26.

Veniens Paulus Berrhæam, intravit Synagogam Judæorum; & quidam ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ità ſe haberent. Et multi crediderunt ex eis. Act. 17.

TITULUS CLXXVII.

Verbum Dei prædicatum, & bonæ adhortationes.

CAin admonitus exteriori voce DEI, ab accepta iniquitate non deſtitit. Hinc patet: quòd exterior exhortatio ſinè interiore parùm eſt efficax. Gen. 4.

Juſtus Loth piè admonebat Sodomitas dicens: Nolite quæſo fratres mei, nolite malum hoc facere: cui illi contumaciter reſponderunt: Recede illuc. Hinc patet: quòd perverſi difficile corriguntur. Gen. 19.

Bene ſucceſſit Jacob: qui acquievit conſiliis matris ſuæ. Gen. 27.

Audiens Ruben iniqua fratrum verba contra Joſeph, dixit: Non interficiamus eum, nec effundamus ſanguinem ejus. Judas etiam conſuluit: quòd non occideretur, ſed venderetur; & ſic ſaltèm minus malum committeretur. Gen. 37.

Soror Moyſi benè ſuaſit filiæ Pharaonis: ut mulier Hebræa pro nutriendo parvulo vocaretur. Exod. 2.

Ad utilitatem populi, & alleviationem Moyſi, bene Exod. 18.

bene consuluit ei Jethro: ut minores Judic constitueret in populo.

1. Reg. 25. Bona exhortatione Abigail conversus est David proposito fundendi sanguinem Nabal.

2. Reg. 2. Bonum consilium dedit Abner Asaëli se sequent dicens: Noli me sequi, ne compellar te co fodere in terram. Quod quia ille audire co tempsit: ab eodem occisus est.

3. Reg. 12 Consilium bonum dederunt seniores Roboam fili Salomonis. Ille verò in malum suum acqui vit consilio juniorum.

4. Reg. 5. Cùm Naaman Syrus ad verbum Elisæi abiret i dignans, servi sui suaserunt ei: ut Prophet mandatum impleret; quorum monitis acquievi

4. Reg. 12 Quamdiu vixit Jojada Pontifex, qui bene instru

2. Par. 25. bat Joas regem Juda; tamdiu fuit ille bonus quo mortuo, factus est pessimus.

2. Par. 30. Perrexerunt cursores cum epistolis, ex regis Eze chiæ imperio, & Principum ejus, in universu Israël, & Judam, prædicantes: Filii Israël re vertimini ad Dominum Deum Abraham, & Isaa & Israël, & revertetur ad reliquias, quæ effu gerunt manus Assyriorum.

1. Esp. 5. Ædificantibus Judæis templum, reversis de Baby lone, exhortabantur, & adjuvabant eos Aggæu & Zacharias Prophetæ.

2. Esd. 2. Desiderans Nehemias ædificare in Jerusalem mu rum, dixit Optimatibus, & Magistratibus: Sur gamus, & ædificemus. Et confortatæ sunt ma nus eorum in bono.

2. Esd. 5. Ad exhortationem Nehemiæ ii, qui usuras acci piebant à populo, & acceptas reddere, & ultr non accipere, consenserunt.

Tob. 1. Tobias, in captivitate positus, pergebat pe omnes, qui erant in captivitate, & monita salu tis dabat eis. Item bene prædicavit filio suo Cap. 4. & 14.

Tob. 6. Bene cessit Tobiæ: quia Raphaëlis, quem homi

nem

nem putabat, consiliis acquievit. Specialiter in extractione piscis, & in petendo uxorem, & de matrimonio habendo cum ea.

Parentes Saræ uxoris Tobiæ junioris monuerunt eam, honorare Soceros: diligere Maritum: regere familiam: gubernare domum: & seipsam irreprehensibilem exhibere. Tob. 10.

Judith bonam exhortationem fecit populo, arguens: quod indiscretè ordinatum erat, & docens: quid faciendum esset. Judith. 8.

Efficaciter persuasit Mardochæus Esther: ut cum periculo suo ingrederetur ad regem, præcatura pro salute gentis suæ. Esther. 4.

Post ostensam Isaiæ mirabilem visionem, dixit ipse Propheta: Væ mihi! quia tacui. Et postea: quando labia sua cum calculo de altari sumpto vidisset fuisse mundata, dixit Domino quærenti, quem mitteret ad populum: Ecce ego, mitte me. Isai. 6.

Dixit Dominus eidem: Clama, ne cesses; quasi turba exalta vocem tuam: & annuncia populo meo scelera eorum: & domui Jacob peccata eorum. Isai. 58.

Jeremias primò excusavit se à prædicatione: & postea divinæ voluntati acquievit. Jer. 1.

Abimelech Æthiops dixit Sedeciæ regi Juda: Domine mi rex; malè fecerunt viri isti tui omnia, quæcunque perpetraverunt contra Jeremiam Prophetam, mittentes eum in lacum. Et præcepit ei rex: Leva eum de lacu, antequam moriatur. Jer. 38.

Factum est verbum Domini ad Jonam, dicens: Surge, & vade in Ninivem, & prædica in prædicatione, quam loquar ad te. Joan. 1. & 2.

Bonum consilium dedit Daniel Nabuchodonosor regi Babylonis, dicens: Consilium meum tibi placeat: & peccata tua eleemosynis redime. Dan. 4.

Mo-

1. Mac. 2. Moriturus Mathathias filios efficaciter adhortatus est, ad agendum viriliter pro lege DEI.

1. Mac. 3. 4. & 8. Judas Machabæus pugnaturus exhortabatur: & etiam animabat populum suum in sermonibus bonis. Et specialiter 15. cap. ubi dicitur: quòd singulos armavit, non clypei, & hastæ munitione vincere, sed sermonibus optimis, & exhortationibus.

2. Mac. 7. Cùm primus septem illorum fratrum in sartagine torreretur: cæteri unà cum matre se hortabantur mori fortiter, dicentes: Dominus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis. Et specialiter ipsa mater mirabiliter, & efficaciter exhortabatur filios suos.

Marc. 1. Joannes Baptista multa exhortans, evangelizabat populo. Lucæ 3. De quibus nonnulla tanguntur capite primo ejusdem. Cujus exhortatio Marc. 6. ità efficax erat: ut non solùm multi baptizarentur, confitentes peccata; sed & ipse Herodes audito eo multa faciebat: & libenter eum audiebat.

Matth. 10. Misit Dominus discipulos suos dicens: Euntes, prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum. Simile habetur Marc. 16.

Act. 2. Petrus Apostolus in die Pentecostes tam efficaciter prædicavit: quòd baptizabantur una die 3000. hominum. Et alia vice similiter ad prædicationem ipsius factus est numerus credentium quasi 5000.

Act. 13. Ministrantibus, & jejunantibus Prophetis, & Doctoribus, qui erant Antiochiæ, dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum, & Barnabam. Sequitur: Ipsi quidem missi à Spiritu Sancto, prædicabant verbum DEI in Synagogis Judæorum.

Act. 10. In domo Cornelii prædicante Petro, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum DEI; & jussit eos baptizari.

Re-

Reversi sunt Paulus, & Barnabas Lystris Iconium, & Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantes: ut permanerent in fide. Act. 14.

Cùm Paulus vinctus coram Agrippa Rege, & Festo Præside causam diceret; Agrippa dixit ei: In modico suades; me Christianum fieri. Act. 16.

Factum est Iconii: ut Paulus, & Barnabas introirent in Synagogam Judæorum, & loquerentur; ità ut crederent Judæorum, & Græcorum copiosa multitudo. Act. 14.

Visio per noctem Paulo visa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans, dicens: Profectus in Macedoniam succurre nobis. Act. 16.

Sequitur: Ut autem visum vidit; statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti; quòd vocâsset nos Dominus ad evangelizandum eis.

Multi Corinthiorum audientes Paulum prædicantem, prædicationem credebant, & baptizabantur. Dixit autem Dominus nocte Paulo per visionem: Noli timere, sed loquere: ne taceas, quia ego sum tecum; & nemo apponet: ut noceat tibi. Act. 18.

Apollo, vir Judæus Alexandrinus genere erat, edoctus viam Domini, fervens Spiritu loquebatur: & docebat diligenter ea, quæ sunt JESU. Eodem.

Apud Ephesum Paulus intrans in Synagogam Judæorum cum fiducia loquebatur, disputans, & suadens de regno DEI. Act. 19.

Quadam die, cùm in crastinum profecturus sermonem protraxisset usque ad mediam noctem, quidam adolescens oppressus somnô cecidit de fenestra, & sublatus est mortuus, ad quem cùm descendisset Paulus, & suscitâsset eum, rursus ascendit; & allocutus est eos usque in lucem, & sic profectus est. Act. 20.

Recessurus Paulus de Asia dixit majoribus natu: Per triennium non cessavi die, ac nocte cum lachrymis, monens unumquemque vestrûm. Ibidem.

TITU-

TITULUS CLXXVIII.

Veritas odium pariens.

Num. 24. BAlaac rex Moab multum dolebat: quando Balaam bona dicebat de filiis Iſraël, licèt eſſent vera. Nec eum honoravit, ſicut honorâſſet, ſi ei placentia verba dixiſſet: Decreveram quidem honorare te, &c.

Judic. 9. Jonathas filius Gedeonis fugit à facie Abimelech: cùm dixiſſet verum de eo, & de illis, qui malè eum elegerunt.

1. Reg. 20. Iratus eſt Saul contra Jonatham filium ſuum: quia ille excuſabat David; qui verè innocens erat erga ipſum Saul.

3. Reg. 22. Achab oderat Michæam Prophetam, quia ille dicebat veritatem ſibi: Ego odi eum (inquit) quia nunquam prophetat mihi bonum, ſed malum.

2. Pet. 16. Cùm increpâſſet Ananias Propheta Aſa regem Juda; quia confiſus erat in Benadad rege Syriæ: iratus eſt Aſa; miſítque videntem in nervum.

2. Par. 24. Ad imperium regis Joas, lapidatus eſt Zacharias filius Jojadæ: qui regem, & Principes arguebat, pro eo; quòd Dominum reliquiſſent.

Judit. 5. 6 Cùm dixiſſet Achior magnalia, quæ fecerat Deus filiis Iſraël, & magnam eſſe ejus poteſtatem; irati ſunt omnes Magnates Holofernis: & cogitabant interficere eum. Holofernes etiam indignatus eſt vehementer.

Jerem. 32 Clauſit Jeremiam Prophetam in domum carceris Sedecias rex Juda, dicens: Quare vaticinaris? dicens: Hæc dicit Dominus.

Jerem. 36 Cùm legiſſet Baruch verba, quæ ſcripſerat ex ore Jeremiæ coram Joachim rege Juda, fecit rex in ignem projici volumen. Quia dicebatur ibi veritas, de civitate Jeruſalem capienda. Et præcepit rex Baruch, & Jeremiam comprehendi: ſed DEO nolente, tunc non fuerunt inventi.

Poſt-

Postmodum verò, cùm iterum prophetaret captionem civitatis: missus fuit in lacum; ubi non erat aqua, sed lutum. Et descendit Jeremias in cœnum. Jerem. 38

Pro eo, quòd Doniel probavit Bel, & draconem non esse Deos: Babylonii convenerunt adversus regem, & procuraverunt Danielem mitti in lacum leonum. Dan. 14.

Ex bonis, & veris sermonibus Eleazari hi, qui eum trahebant ad supplicium, & paulò ante fuerant mitiores, conversi sunt in iram. 2. Mac. 6.

Quia Joannes Baptista dicebat Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui; fecit eum Herodes incarcerari: & postea decollari. Matth. 14. Marc. 6.

Cùm Dominus increparet de multis hypocritas, & Pharisæos; cœperunt illi graviter insistere: & os ejus opprimere: de multis insidiantes, & quærentes rapere aliquid ex ore ejus. Luc. 11.

Pharisæi cœco nato, à Domino illuminato, maledixerunt: & extra Synagogam ejecerunt; pro eo, quòd veritatem constantissimè fatebatur. Joan. 9.

Principes Sacerdotum, audientes verba Apostolorum, de doctrina Christi, dissecabantur: & cogitabant interficere illos; & cæsis denunciaverunt: ne amplius loquerentur in Nomine Domini JEsu. Et illi ibant gaudentes à conspectu Concilii. Act. 5.

Audientes Judæi beati Stephani verba, dissecabantur cordibus suis: & stridebant dentibus in eum. Et ejicientes eum extra civitatem, lapidabant. Actor. 7.

Multos, & magnos habuit adversarios beatus Paulus, pro verbis veritatis, & sobrietatis, quæ ipse hominibus loquebatur. Actor. 9.

Item ad Galatas. Ego inimicus factus sum vobis verum dicens? Gal. 4.

* TITULUS CLXXIX.

Vigilantia.

Gen. 21. 40. QUàm vigilans fuerit Jacob in ſervitio Laban, teſtatus eſt his verbis: die, noctúque æſtu urebar, & gelu: fugiebátque ſomnus ab oculis meis. Sícque per viginti annos ſervivi tibi. Docemur hoc exemplô: quàm vigilans quisque debeat eſſe in ſervitio DEI; præſertim ſi ſit paſtor animarum.

Ezech. 10. Apoc. 4. Cherubin, quos vidit Ezechiel juxta currum gloriæ Domini, pleni erant oculis. Item: & quatuor illa animalia, quæ vidit Joannes in circuitu ſedis, plena erant oculis ante, & retro. Debent nempe omni ex parte vigilare; qui volunt DEO ſervire: & ad ejus gloriam pervenire.

2. Reg. 11. Cauſa, ob quam David cecidit in peccatum adulterii, fuit defectus ſufficientis vigilantiæ.

Prov. 4. 23 Monet nos Salomon: Omni cuſtodia ſerva cor tuum; quoniam ex ipſo vita procedit. Si ipſe hoc monitum obſervâſſet; non tam turpiter peccâſſet.

Luc. 17. 28. &c. Ut nos Dominus excitaret ad vigilantiam: proponit exemplum illorum hominum, qui vixerunt tempore Noë, tum Sodomitarum. Iſti enim nullo modo invigilabant ſibi ipſis, & ſuæ ſaluti; ſed edebant, & bibebant, &c. donec repente ſuper illos venit diluvium: ſuper hos ignis de cœlo.

Matth. 25. Virgines fatuæ ob defectum vigilantiæ non fuerunt admiſſæ à ſponſo ad nuptias; ſed clauſa illis fuit janua.

Matt. 13. Cùm dormirent homines: venit inimicus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici. Quàm multa vitiorum zizania ſeminantur, & creſcunt in homine, ſi anima non vigilat: quàm multa in domo, ſi paterfamilias dormit: quàm multa

in

in civitate, & Republica, si Superiores, & Magistratus dormiunt.

Cur semper debeamus vigilare, rationem dat Christus Dominus. Vigilate, ait: quia nescitis, qua horâ Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote: quoniam si sciret Paterfamilias, qua horâ fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret, perfodi domum suam. Ideo, & vos estote parati: quia, qua nescitis horâ, filius hominis venturus est, &c. Matt. 24. 42. &c.

Monuit Dominus discipulos in monte Oliveti: vigilate, & orate; ut non intretis in tentationem. Petrus, quia huic monito non est obsecutus, illa adhuc nocte à tentatione fuit victus. Matth. 26. 41.

Episcopo Sardis jussit Christus Joannem scribere: Esto vigilans. Si non vigilaveris: veniam ad te tanquam fur. Apoc. 3.

TITULUS CLXXX.

Unitas, & consensus communis.

EX uno homine DEUS humanum genus instituit, ad commendandum hominibus, quàm ei grata sit etiam unitas in pluribus. Unde Augustinus libro 12. de civitate DEI ait: Factus est unus, sed non relictus est solus. Nihil enim est, quod commodius contra vitium discordiæ vel cavendum, cùm nondum exisseret: vel sanandum, cùm extitisset, natura loqueretur humana, quàm recordationem illius parentis, quem propterea DEUS creare voluit unum, de quo multitudo propagaretur; ut hac admonitione etiam in multis concors unitas servaretur. Augustin. lib. 12. de civit. Dei cap. 22.

Populus filiorum Israël in deserto multum fuit unanimis, & voluntarius ad recipiendam legem: etiam auditis à Moyse verbis legis, respondit cunctus populus una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Exod. 19.

Exod. 15. Ad faciendum opus tabernaculi Domini, & sacras Ministrorum vestes, obtulit omnis multitudo filiorum Israël omnia necessaria, mente promptissima, atque devota.

Judic. 20. Congregati sunt pariter omnes filii Israël, quasi vir unus; videlicet ad vindicandum flagitium in Gabaa Benjamin erga uxorem Levitæ commissum.

1. Reg. 11. Invasit timor Domini populum: & egressi sunt, quasi vir unus, ad succurrendum fratribus suis in Jabes Galaad obsessis.

2. Reg. 5. Venerunt universæ Tribus Israël ad David in Hebron: & unxerunt eum in regem super illos.

1. Reg. 8. Convenit ad regem Samuelem universus Israël: & tunc fuerunt arca, & vasa Sanctuarii delata in templum, & ipsum solenniter dedicatum.

1. Esd. 3. Congregatus est omnis populus, quasi vir unus, in Jerusalem, ad reædificandum templum, quod fuerat à rege Babylonis destructum.

2. Esd. 8. Congregatus est omnis populus, quasi vir unus, ad plateam, & dixerunt Esdræ: ut afferret librum legis Domini.

Judith. 6. Cùm exposuisset Achior universa, quæ dixerat Holofernes, omnis populus communi lamentatione, & fletu unanimes preces suas Domino effuderunt.

1. Mac. 9. Post mortem Judæ congregati sunt omnes amici ejus, & dixerunt Jonathæ fratri ejus: Ex quo frater tuus defunctus est, &c. Nunc itaque te eligimus, pro eo esse nobis Principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum.

1. Mac. 13. Auditis sermonibus Simonis, accensus est spiritus populi simul; & voce magna dixerunt: Tu es dux noster loco Judæ, & Jonathæ.

Act. 1. & 2. Post ascensionem Domini omnes discipuli erant perseverantes in oratione cum mulieribus, & MARIA Matre JESU: & sic invenit eos Spiritus Sanctus.

Eodem. Omnes, qui credebant, pariter erant recepto Spiritu

ritu Sancto, & habebant omnia communia, unanimiter perdurantes in templo, & frangentes circa domos panes.

Cùm audissent discipuli de sanatione claudi, & responsione Petri, & Joannis ad Magistratus plebis, unanimiter levaverunt vocem, & dixerunt: Domine, qui fecisti cœlum, & terram, da servis tuis, &c. Act. 4.

Punitis ad vocem Petri terribiliter Anania, & uxore ejus Saphira, factus est timor magnus in universa terra: & erant omnes unanimiter in porticu Salomonis. Act. 5.

Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, qui possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Actor. 4.

TITULUS CLXXXI.

Votum.

JAcob vadens ad domum Laban avunculi sui, post ostensam sibi à Domino visionem, vovit votum dicens: Si fuerit Dominus mecum. Gen. 28.

Rex Arad pugnavit contra Israël, & victor existens tulit ex eo prædam. At Israël votô se obligavit Domino: & postea vicit eum. Num. 21.

Pugnaturus Jephte contra filios Ammon, votum vovit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas. Judic. 11.

Oravit Anna Dominum flens largiter, & votum vovit, dicens: Domine exercituum, si dederis mihi sexum virilem, dabo eum Domino. 1. Reg. 1.

Absalon volens rebellare Patri suo David, dixit ad David: Vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron. Vovens vovit servus tuus, cùm esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino. 1. Reg. 15.

2.Par. 15. Asa rex Juda, ea, quæ voverat Pater suus, obtulit in domum Domini: argentum, aurum, vasorúmque diversam supellectilem.

1.Par. 29. Lætatus est populus, cùm vota sponte promitteret; quia corde toto offerebant ea Domino: sed & David rex lætatus est.

2.Par. 31. Filii Israël, & Juda obtulerunt decimas; quas voverant Domino.

3.Esd. 8. Rex Artaxerxes præcepit Esdræ, & populo: ut referant munera Domino DEO Israël; quæ voverant, &c.

Judith.16 Omnis populus post victoriam venit in Jerusalem; adorare Dominum: & obtulerunt omnes holocausta, vota, & promissiones suas.

Jonæ 1. Viri, qui erant in navi, ubi fuit Jonas Propheta, timuerunt timore magno: & immolaverunt hostias Domino.

2.Mach.3. Heliodorus volens ærarium spoliare, & depósita de templo auferre, fuit virtute divina graviter flagellatus. Deinde sanatus per orationem Oniæ, hostiâ Deo oblatâ, & votis magnis promissis, repedavit ad regem.

2. Mac. 9. Postquam percussus fuit à DEO Antiochus gravissima, & insanabili plaga; pollicitus est Judæis: templo Jerosolymorum mirabilia se facturum.

Luc. 1. Beata Virgo MARIA Virginitatem vovisse videtur, per hoc, quod ait: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Act. 23. Crudele votum, & impium fecerunt illi Judæi; qui accedentes ad Principes Sacerdotum dixerunt: Devotione devovimus, nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum.

TITULUS CLXXXII.

Zelus bonus.

Gen. 34. SÆviebant filii Jacob ob stuprum Dynæ sororis per Sichem oppressæ. Au-

Audiens Moyſes voces cantantium, & videns vitulum, & choros, iratus eſt valde; & projiciens tabulas, confregit eas. Et nota: quàm graviter punivit populum, pro quo tam fideliter, & inſtanter oraverat ante DEUM. Exod. 32.

Multùm placuit DEO zelus Phinees, filii Eleazari; quando perfodit virum cum muliere Madianitide: licèt eſſent magni, & nobiles. Num. 25.

Præcepit Joſue Achan lapidari: & totam ejus ſupellectilem comburi; quia tulerat de anathemate Jericho. Joſue 7.

Cùm audiſſent filii Iſraël, filios Ruben, & Gad ædificâſſe ſibi altare; convenerunt omnes contra eos, & dimicare voluerunt. Joſue 22.

Congregati ſunt omnes filii Iſraël, quaſi vir unus, ad vindicandum graviſſimum ſcelus; quod commiſerant viri de Gabaa Benjamin pro uxore Levitæ. Judic. 19. & 20.

Confidenter arguit Elias errantem populum: & Sacerdotes Baal fecit occidi. 3. Reg. 18.

Reprehenſus eſt Achab: eò, quòd Benadad regem Syriæ, virum morte dignum, indiſcretè vivum permiſit abire. 3. Reg. 20.

Quamvis rex Iſraël Jehu ſpecialiter fuit malus; tamen multum commendatur: eò, quòd ſemen domûs Achab delevit: & Prophetas Baal occidit: & ædem ipſius Baal deſtruxit. 4. Reg. 10.

Spiritus Domini induit Zachariam filium Jojadæ, & ſtetit in conſpectu populi ſculptilibus ſervientis, & dixit: Quare transgredimini præceptum Domini? quod vobis non proderit: & dereliquiſtis Dominum, ut dereliqueret vos? 2. Par. 24.

Audiens Eſdras Sacerdos, Judæos cum gentibus matrimonia copulâſſe; mirô modô doluit: & gemens, ac ejulans, ſigna doloris oſtendit. 1. Eſd. 9.

Videns Nehemias Judæos ducentes uxores alienigenas, objurgavit eos: & maledixit: & verberavit aliquos: & decalcavit. 2. Eſd. 13.

1.Mac.2. Surrexit Mathathias, & dixit: Væ mihi! ut quid natus sum videre contritionem populi mei? Sequitur postea de illius zelo ferventissimo, & mirabili probitate: quando trucidavit hominem super aram idolis immolantem.

2.Mac.3. Onias summus Pontifex restitit viriliter Simoni; qui volebat iniquum quid in civitate moliri.

Matth. 3. & 14. Mirò fervebat zelò Joannes Baptista: quando dicebat: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere venturam iram? Simul, & quando Herodem increpabat.

Durè increpabat Dominus Scribas, & Pharisæos, hypocritas, & specialiter Matth. 23. Ubi dixit eis septies: Væ vobis, &c.

Joan. 8. Matt. 3. Sciens Dominus JEsus Pharisæos ipsum nequiter observare, circumspiciens eos cum ira, contristatus est super cœcitate cordis ipsorum, dixítque: Vos ex patre diabolo estis.

Joan. 2. Luc. 19. Pluries ejecit Dominus vendentes, & ementes de templo, quandoque cum duro verbo: Domus mea domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum.

Act. 5. Grandi zelò succensus est Petrus in Ananiam, & Saphiram; quando vidit: quòd fraudaverant aliquid de pretio agri.

Act. 7. Ex ardenti zelo proveniebat sermo, quem dixit Stephanus Judæis: Dura cervice, & incircumcisi corde, & auribus, semper resistitis Spiritui Sancto.

Act. 13. Resistente Paulo, & Barnabæ Barieſu Pseudopropheta, dixit Paulus: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, & inimice omnis justitiæ! non desinis subvertere vias Domini rectas?

Act. 17. Cùm Paulus prædicaret Athenis: incitabatur spiritus ejus, videns idololatriæ deditam civitatem.

Specialiter apparet fervens zelus Pauli in epistola ad Galatas c. 5. ubi arguebat, increpabat, obsecrabat. Similiter ad Roman. 9. 2. Corinth. 11. & ad Hebræos 1. &c.

TITU-

TITULUS CLXXXIII.

Zelus indiscretus.

VIdens Josue famulus Moysi duos homines in castris prophetantes, dixit: Domine mi Moyses, prohibe illos; at ille, quid (inquit) æmularis pro me? Num. 11.

Abisai Sarujæ voluit amputare caput Semei maledicentis David, persecutionem Absalon patienti. Sed non permisit David; ut aliquid mali inferretur illi. 2. Reg. 16.

Filii Prophetarum coëgerunt Elisæum: ut mitteret viros ad quærendum Dominum suum; ne fortè Spiritus Domini projecisset eum in unum montium, aut in unam vallium. 4. Reg. 2.

Jonas fugere voluit à facie Domini; quando præcepit ei, prædicare Ninivitis. Et postmodum doluit: quando vidit; quòd civitas juxta interitum, quem prædixerat, non ruebat. Jonæ 1. 4.

Cùm ostendisset Dominus discipulis: oportere eum multa pati à Principibus Judæorum, & occidi; Petrus cœpit increpare illum dicens: Absit à te Domine; non erit tibi hoc. Matt. h 6. & 16.

Multum zelabant Pharisæi pro observatione sabbati; quando videbant Dominum die illo curantem infirmos. Luc. 6. & 13.

Item: quando videbant discipulos spicas vellentes, & manibus confricantes. Luc. 6. Matt. 12. Marc. 2.

Scribæ, & Pharisæi amplius zelabant pro traditionibus suis, quàm pro divinis mandatis. Matt. 15. Marc. 7.

Item: pro auro templi populus plus zelabat, quàm pro ipso templo: & pro donis altaris, quàm pro ipso altari. Matth. 23.

Oblati sunt Domino parvuli: ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos. JEsus autem ait: Sinite parvulos venire ad me. Matth. 19. Marc. 10.

Cùm effudisset Maria pretiosum unguentum super caput Domini; quidam discipuli indignè ferebant: & fremebant in eam, de perditione unguenti. Marc. 14.

Joannes Apostolus prohibuit quendam ejicientem dæ- Luc. 9.

dæmonia in Nomine JEsu; eò, quòd non sequebatur eos cum aliis discipulis, & ait ad illum Jesus: Nolite prohibere; qui enim non est adversum nos, pro nobis est.

Ibidem. Audientes Jacobus, & Joannes, quòd Samaritani non reciperent nuncios Domini, ajunt: Domine, vis, dicamus: ut ignis de cœlo descendat, & consumat illos. Et conversus Dominus increpavit illos, & dixit: Nescitis, cujus spiritûs estis?

Matth. 16. Luc. 22. Arguit Dominus Petrum: qui amputaverat aurem servo Principis Sacerdotum; eò, quòd tunc Christi non erat tempus potentiæ ostendendæ, sed patientiæ exhibendæ.

Joan. 3. Apparet, discipulos Joannis Baptistæ zelâsse contra Dominum pro Magistro, quando dixerunt ei: Rabbi, qui tecum erat trans Jordanem, hic baptizat: & omnes veniunt ad eum. Joannes autem optimè respondit eis.

Act. 5. Cùm afferrentur de civitatibus vicinis diversi infirmi, & à Petro curarentur; exurgens Princeps Sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, repleti sunt zelô.

Act. 8. 9. Æmulator erat paternarum traditionum Paulus supra multos Coætaneos suos; quando devastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres, & trahebat in custodiam. Unde accepit literas à Principe Sacerdotum ad Synagogam, quæ erat Damasci; ut si quos inveniret ibi: qui invocarent Nomen Christi, vinctos perduceret in Jerusalem.

Act. 13. Videntes Judæi, quòd pene universa civitas convenerat audire verbum DEI, quod Paulus, & Barnabas prædicabant; repleti sunt zelô, & contradicebant iis, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.

Act. 21. Venienti Jerosolymam Paulo, dixerunt ei fratres: Quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt? & omnes æmulatores legis sunt? Et de talibus dicit Paulus:

Rom. 10. Testimonium quidem perhibeo illis: quòd æmulationem quidem Dei habent; sed non secundum scientiam.

INDEX

INDEX

Omnium materiarum, quæ in hoc opere continentur.

Abnegat. sui ipsius. Fol. 1.
Abstinentia, & Sobr. 2.
Acceptatio munerum. *Vide* Munerum acceptatio
Acceptatio Personarum. 7.
Accusatio falsa. 8.
Acedia, & Negligentia. Ibid.
Adoratio Dei. *Vide* Cultus Dei.
Adversitas. *Vide* Tribulatio.
Adulatio. 10.
Affectio carnalis. 11.
Altaria erecta. 13.
Ambitio. 14.
Amicitia. 16.
Amor Dei. *Vide* Dilectio Dei.
Amor proprius. 18.
Amor prox. *Vide* Dilect. prox.
Angeli boni. 20.
Animæ rationalis immortalitas. *Vide* Immortalitas animæ, &c.
Apparitiones. 23.
Aspectus incautus. *Vide* Oculorum custodia.
Astutia, & Calliditas mala. 27.
Avaritia. 32.
Aviditas mulierum. *Vide* Mulierum aviditas.
Bachanalia. 36.
Bella, & Victoriæ. 37.
Benedictio, qua Deus homini benedicit. 43.
Benedictio, qua homo benedicit Deo. 45.
Benedictio, qua homo homini benedicit. 47.
Blasphemia. 49.
Bonitas Dei erga suos servos. 51.
Boni latentes inter malos. 55.
Bonorum oppressio. *Vide* Oppressio bonorum.
Bonorum societas. *Vide* Societas bonorum.
Castitas, Folio. 57.
Choreæ. 58.
Compassio erga proximum. 59.
Compassio mulierum. *Vide* Mulierum pietas, & compassio.
Concordia. *Vide* Pax, & concordia.
Confessio peccatorum. 63.
Confidentia, & Magnanim. 64.
Confidentia vana, & stulta. *Vide* Vana, & stulta confidentia.
Conscientia bona, & mala. 69.
Consensus communis. *Vide* Unitas, &c.
Consilia bona. Illis non obsequi, quàm periculosum. 70.
Consilia mala. 72.
Consolatio Divina. 74.
Constantia. *Vide* Perseverantia.
Consuetudo mala. 77.
Contemplatio, & illustratio mentis. 78.
Convitia. *Vide* Derisio.
Correctio fraterna. 81.
Correctio ægrè ferens. 86.
Credulitas falsa *Vide* Suspicio.
Cultus, & adoratio Dei. 87.
Curiositas humana. 90.
Dæmones. *Vide* Spiritus mali.
Dæmonis tentatio. *Vide* Tentatio Dæmonis.
Dei Benedictio. *Vide* Benedictio, qua Deus &c.

Dei bonitas erga suos servos. *Vide* Bonitas Dei, &c.
Dei cultus, & adoratio. *Vide* Cultus Dei, &c.
Dei dilectio. *Vide* Dilectio Dei.
Dei ira. *Vide* Ira Dei.
Dei judicia occulta. *Vide* Judicia Dei &c.
Dei justitia. *Vide* Pœnæ Divin.
Dei maledictio. *Vide* Maledictio, qua Deus &c.
Dei misericordia. *Vide* Misedia Dei.
Dei Omnipot. *Vide* Miracula.
Dei præcepta. *Vide* Præcepta Dei, &c.
Dei præsentia. *Vide* Præsentia Dei.
Dei providentia. *Vide* Providentia Dei.
Dei tentatio. *Vide* Tentatio &c.
Dei timor. *Vide* Timor Dei.
Detractio, & maledic. Fol. 91.
Derisio, & convitia. 95.
Dilectio Dei. 97.
Dilectio inimicorum. 99.
Dilectio proximi. 100.
Discordia, lites, & rixæ. 105.
Discretio. *Vide* Prudentia.
Dominicæ observatio. *Vide* Festorum observatio.
Dominorum officium erga servos, & servorum erga Dominos. 108.
Duritia cordis. *Vide* Obstinatio.

Ebrietas. *Vide.* Gula.
Educatio liberorum. *Vide* Parentum officium, &c.
Electio. Folio 111.
Eleemosynæ merces. 113.
Eruditio liberorum. *Vide* Liberorum eruditio.
Exemplum bonum, & mal. 114.
Exhortationes bonæ. *Vide* Verbum Dei prædicatum.

Fallacia mulierum. *Vide* Mulierum fallacia.
Fama bona, & mala. Fol. 115
Festorum observatio. 117.
Fidelitas erga hominem. 119.
Fides. 121.
Fidem colentium felicitas, deserentium infelicit. 125.
Fides mulier. *Vide* Mulier. Fid.
Fletus. *Vide* Lachrymæ.
Forma corporis. 126.
Fortitudo. 127.
Fortitudo ad operandum malum. 131.
Fortitudo mulierum. *Vide* Mulierum fortitudo.
Furtum sacrilegum. 132.

Gaudium bonum, & malum. 133.
Gloria vana. 135.
Gratitudo erga Deum. 137.
Gratitudo erga homines. 140.
Gula, & Ebrietas. 143.

Homicidium. 145.
Honor Parentum. *Vide* Parentes honorandi.
Honor templorum. *Vide* Templa honoranda.
Hospitalitas. 147.
Humilitas. 149.
Hypocrisis, & Simulatio. 156.

Jactantia. 157.
Idololatria. 160.
Jejunium. *Vide* Abstinentia.
Immortalitas animæ rat. 162.
Impatientia, & murmur. 165.
Inconstantia populi. 167.
Incontinentia. *Vide* Luxuria.
Infernus. 174.
Ingratitudo. 175.
Inimicitia, & odium. 177.
Inimicorum dilectio. *Vide* Dilectio inimicorum.
Inobedientia. *Vide* Obedientia.
Intentio recta. 180.

In-

Intentionem Deus magis respicit, quàm opus. Fol. 182.
Invidia. 183.
Ira Dei. 185.
Ira hominis mala. 189.
Ira hominis ex zelo. 191.
Judicia Dei occulta. 192.
Judicium extremum. 200.
Judicia humana recta, &c. 202.
Judicium temerarium. *Vide* Suspicio, &c.
Juramentum. 205.
Juramentum, etiam hosti factum, non frangendum. 207.
Juramenta, & vota impia non implenda. Ibid.
Justitia, & æquitas. 208.
Labor. 210.
Lachrymæ, & fletus. 211.
Liberalitas, & misericor. 218.
Liberorum eruditio. 223.
Lites. *Vide* Discordia
Longanimitas. *Vide* Spes, &c.
Loquacitas. *Vide* Silentium.
Luxuria. 224.
Magia. 226.
Magnanimitas. *Vide* Confidentia.
Maledicentia. *Vide* Detractio.
Maledictio, qua Deus maledicit homini. 227.
Maledictio, qua homo maledicit homini. Ibid.
Malioppriment es bonos. *Vide* Oppressio bonorum, &c.
Malorum multitudo. 229.
Mansvetudo. *Vide* Patientia in adversis.
Matrimonium. 230.
Mendacium. 233.
Miracula. 236.
Misericordia Dei. 245.
Misericordia hominis. *Vide* Liberalitas.
Mobilitas populi. *Vide* Inconstantia, &c.
Morbi. Fol. 247.
Mora in genere. 248.
Mors Justorum. 250.
Mors Malorum. 253.
Mortificatio. 257.
Mulierum aviditas. 259.
Mulierum fallacia. 261.
Mulierum fides. 263
Mulierum fortitudo. 264
Mulierum ornatus. *Vide* Ornatus superfluus.
Mulierum pietas, & compassio. 266.
Mulierum sapientia. 268.
Mulierum stultiloquium. 270.
Mundi prosperitas. *Vide* Prosperitas mundana.
Munerum acceptatio. 271.
Murmuratio. *Vide* Impatient.
Negligentia. *Vide* Accedia.
Obedientia, & inobedientia. 274.
Obstinat. & duritia cord. 278.
Oculorum custodia. 279.
Odium. *Vide* Inimicitia.
Operatio bona. 280.
Oppres. bonor. per malos. 281.
Oratio. 284.
Ornatus superfluus. 292.
Otium. 293.
Parentes honorandi. 295.
Parentum officium erga liberos. 296
Patientia in adversis. 299.
Paupertas. 308.
Pax, & concordia. 311.
Peccatorum confessio. *Vide* Confessio &c.
Peccatum, & ejus pœna. 313.
Peccata aliena. 315.
Permissio contra volunt. 316.
Perseverantia, & constantia in propositis. 317.
Personarū accep. *Vide* Acc. Pers.

Persuasiones malæ. *Vide* Consilia mala.
Perversitas. Fol. 319.
Pietas mulierum. *Vide* Mulierum pietas.
Pœnæ Divinæ. 322.
Pœnitentia. 325.
Pœnitentia dilata. 328.
Pœnitentia falsa. 329.
Pœnitentium felicitas. 330.
Præcepta Dei, & eorum observatio. 332.
Prædicatio verbi Dei. *Vide* Verbum Dei prædicatum.
Præsentia Dei. 334.
Principes, & Super. boni. 335.
Principes, & Super. mali. 343.
Proditio. 347.
Prosperitas mundana. 349.
Providentia Dei. 352.
Proximorum dilectio. *Vide* Dilectio proximorum.
Prudentia, & discretio. 354.
Pueri bonæ indolis. 360.
Pulchritudo. *Vide* Forma corp.
Pusillanimitas. 361.
Recta intentio. *Vide* Intentio recta.
Religio Christiana. 364.
Resignatio in Divin. vol. 365.
Respectus humanus. 367.
Rixæ. *Vide* Discordia.
Sanctorum invocatio, & auxilium. 369.
Sapientia mulier. *Vide* Mulierum sapientia.
Scandalum. 370.
Scriptura sacra. 371.
Sepultura. 373.
Servorum officium erga Dom. *Vide* Domin. officium &c.
Silentium, & loquacitas. 375.
Simonia. 377.
Simulatio. *Vide* Hypocrisis.
Societas bonorum. Fol. 378.
Societas malorum 381.
Spes, & longanimitas. 385.
Spiritus mali. 386.
Strages hominum. 388.
Stulti loq. mul. *Vide* Mulier. stul.
Superbia. 391.
Superiores boni. *Vide* Princip. & Superiores boni.
Super. mali. *Vide* Princip. &c.
Superiores Eccl. honor. 394.
Superiores, & Principes sæculares honorandi. 395.
Suspicio, & judic. temer. 396.
Templa honoranda. 399.
Tentatio Dei per hominem. 401.
Tentatio hom. per Deum. 402.
Tentatio diaboli. 403.
Testimonium falsum. 405.
Timor Dei. Ibid.
Timor, quo mali timent bonos 408.
Traditiones Ecclesiasticæ. 409.
Tribulatio, & ejus util. 410.
Tyranni. 416.
Vana glor. *Vide* Gloria van.
Vana, & stulta confidentia. 420.
Verbum Dei auditum. 421.
Verbum Dei prædicatum 425.
Veritas odium pariens. 430.
Victoriæ. *Vide* Bella, &c
Vigilantia. 432.
Unitas, & consensus com. 433.
Voluntas Divina. *Vide* Resignatio in Divinam voluntat.
Votum. 435.
Votum impium non implendum. *Vide* Juramenta, &c.
Zelus bonus. 436.
Zelus indiscretus. 439.
Zelus exira justa. *Vide* Ira hominis ex zelo.

FINIS.

1. LOgica est scientia purè practica. 2. Habitus Docentis, & Utentis sunt realiter indistincti. 3. Ad alias scientias methodicè acquirendas, est absolutè necessaria: non item ad easdem simpliciter consequendas. 4. Objectum ejus materiale, sunt operationes mentis in fieri: formale verò, earundem rectitudo passiva. 5. Attributionis, est sola Demonstratio. 6. Distinctio realis consistit formaliter in hac, & illa entitate. 7. Repugnat in creatis, formalis ex natura rei: uti & virtualis intrinseca. 8. Universale fit per intellectum, formaliter præscindentem. 9. Quod manet in actuali prædicatione de termino singulari. 10. Ens præscindit à differentiis: & viciſſim. 11. Relatio, tam Prædicamentalis, quàm Transcendentalis, cõsistit formaliter in fundamento, & termino proximis. 12. Veritas formalis propositionum, est actui semi-extrinseca; ésque de futuris contingentibus determinata. 13. Propositio contingenter vera, posito, quod duret, necessariò transit in falsam. 14. Non potest idem intellectus, idem objectum simul opinari, & scire evidenter. 15. Principia corporis naturalis, in fieri per mutationem, sunt tria, nempe: materia, forma, & privatio. 16. Materia prima Aristotelica, idẽtificat sibi respectum essentialem ad aliquã formam. 17. Appetit æqualiter omnes formas substantiales. 18. Dãtur in viventibus formæ substantiales partiales. 19. Non dantur entitates modales, à suis extremis adæquatè distinctæ. 20. Quare unio physica in composito substantiali, est mera habitudo, resultans ex materia, & forma, tanquam fundamẽto, & ex Decreto Dei, aliisque requisitis, tanquam termino modali. 21. Idem est cum proportione, de actione physica. 22. Nec Divinitùs potest causa agere in distans rigorose. 23. Duæ causæ totales, ritè applicatæ, possunt naturaliter producere eundem effectum simul. 24. Mutua verò duorum causalitas, nonnisi superna-

turaliter, idque quoad secundum duntaxat esse, dari potest. 25. Creatura non potest elevari ad creandum instrumentaliter. 26. Nõ possunt causæ liberæ, salva libertate, prædeterminari physicè. 27. Causæ referuntur transcendentaliter ad suos effectus possibiles. 28. Penetratio, ac Replicatio, non nisi supernaturaliter dari possunt. 29. Res replicata, non potest plus, quàm nõ replicata. 30. Causa propria ascensûs & suspensionis gravium, ad impediendum vacuum fieri solitæ, est gravitas & elaterium aëris 31. Nullum potest dari Infinitum categorematicum creatũ. 32. Uti nec creatura perfectissima. 33. Si continuum permanens, dicatur componi partibus, metaphysicè indivisibilibus, possunt salvari omnia phænomena ejusdem. 34. Datur independenter ab intellectu possibilitas formalis, rebus intrinseca: non item impossibilitas, ab omni possibili contradistincta. 25. Mundus non potuit produci abæterno categorematicè. 36 Astra moveri circulariter ab extrinseco. 37. Sol est formaliter igneus. 38. Plantæ, animantia, sponte nascentia ortum suum, seminibus, ac ovis debent; eisque saltem metaphysicè animatis. 39. Rarefactio, est materiæ, physicè duntaxat ejusdem, ad majus spatium determinatio. 40. Intensio qualitatum absolutarum ferè fit per additionem gradûs, ad gradum. 41. Qui gradus sunt homogenei. 42. Unum simile potest intendere formaliter aliud, non item activè. 43. Non datur actio, & reactio, pro eodem tempore, & secundùm eandem partem qualitatis contrariæ. 44. Certum est, Elementa vulgaria posse in sensu physico invicem transmutari. 45. Omnia Elementa sunt positivè gravia. 46. Gravitant etiam in locis propriis. 47. In projectis sursum perpendiculariter, non datur quies positiva, in puncto reversionis perpendicularis. 48. Non dantur in homine plures successivè animæ. 49. Color realis consistit formaliter in luce, ac lumine, certa ratione modificato. 50. Existentia Dei, potest demonstrari à posteriori. Cui

LAUS, HONOR, & GLORIA.

BIBLIOTECA ASTRA SIBIU

